ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
HISTORIA LIGUSTICA
IN
ROMANAM GOTHICAM LANGOBARDICAM
TRIBUS LIBRIS DISTRIBUTA

COMPLECTENS EJUSDEM VICES AB OBITU SANCTI AMBROSII
ET IRRUPTIONE AC DOMINATU BARBARORUM
USQUE AD FINEM SCHISMATIS AQUILEJENSIS.

ACCEDIT COROLLARIUM

USQUE AD THEODORI II. MEDIOLANENSIS ANTISTITIS
ET LIUTPRANDI REGIS TEMPORA PRODUCTUM.

PARS SECUNDA
LIBER III.



MEDIOLANI. MDCCLXXXXV.

EX GALEATIORUM TYPOGRAPHIO.
SUPERIORUM PERMISSU.

SYNOPSIS PARTIS SECUNDÆ
SEU
EPITOME
Libri III. & cujusque Capitis Sectionum.

ARGUMENTUM OPERIS.

ECCLESIAE MEDIOLANENSIS HISTORIA LIGUSTICA IN ROMANAM GOTHICAM LANGOBARDICAM TRIBUS LIBRIS DISTRIBUTA.

LIBRI TERTII
ARGUMENTUM.

Ecclesiæ Mediolanensis Historia LIGUSTICA LANGOBARDICA; *quæ Honorati & succedentium Antistitum res gestas usque ad Benedictum complectitur: item ab Aquilejensis* Trium Capitulorum *Schismatis, jampridem sub Datio excitati, progressibus; usque ad finem ei tandem impositum Sergii Papæ & Cuniberti Regis opera. Simulque ab Alboini in Liguriam adventu, & Langobardici Regni in Italia initio usque ad Regis Cuniberti obitum. Ab Æra Vulg. Anno* DLXVIII. *ad* DCC.

CAPITIS PRIMI
SECTIONUM SUMMA.

ALboinus postridie Paschatis anni 568. cum innumero Barbarorum exercitu ex Pannonia Venetiæ fines ingreditur. Res ibidem gestæ. Seq. anno Mediolano, & tota Liguria potitur, demptis Ticino, ac maritimis locis. II. Ticinum obsidet. Paulinus Aquil. in Insulam Gradum fugit; Honoratus Mediol. Genuam, ibique Sedem statuit. Justæ ac legitimæ hujus Præsulis fugæ causæ. Num usque ad Rotharis Regnum Mediolanensis Episc. Genuæ degens utramque administraret Ecclesiam. III. De Schismatici *Frontonis* exitu, sedente adhuc Genuæ Honorato. De Primæ nostri *Catalogi* Partis ætate differitur, vivo adhuc ipso Honorato conscriptæ. IV. Honoratus dum Albingauni in Liguriæ maritima Provincia versaretur, S. Verani, postea Cabellicensis Episc., colloquio ibidem fruitur. V. Quot annos sederit Honoratus. Post Hunc nullo modo *Frontus* rejiciendus. Honoratus Genuæ moritur. Ejusd. ad *Nicetam* in Agro Mediol. translatio. Commentitium post Hujus electionem Schisma contra Papebroch. ostenditur. VI. Laurentius II. Genuæ in Ep. Mediol. eligitur. Ante inaugurationem sacramentum

fidelitatis, five *Cautionem*, Romano Pontifici offert, a Gregorio tum Urbis Præf. fubfcriptam. Quid hæc *Cautio* contineret. VII. Alboinus Ticino potitur: ibi Regni Sedem conftituit. Langobardi in Italia debacchantur. Alboino interfecto *Cleph* fufficitur. Et ipfe jugulatur. Tot Tyranni, quot Duces, Italiam mifere vexant. Caffinenfis Monaft. ruina. Liguria ab hifce calamitatibus immunis. VIII. Interim Laurentius Genuæ pacifice fedet. Liguria Langobardor. furore perfeverat immunis. Infelices ipforum in Gallias expeditiones. Irriti Mauritii Aug. conatus adverfus Langobard. Romam obfidentes, adjuvantibus licet Pelagio II. Rom. Pontif., & Laurentio Mediol. Autharis poft Duces Rex eligitur. Childeberti Regis ad Laurentium *Epiftolæ* exemplar. IX. Hæc Epiftola primùm Laurentii merita, deinde priorem Francorum in Italiam adverfus Langob. expeditionem commemorat. Toto Autharis regni tempore Liguria ab Græcor. & Francor. armis nunquam quiefcit. Authari regnante viget adhuc in circumjacentib. Liguriæ urbibus Ducum dominatio. X. Schismatici Aquilej. vires refumunt, Severo Patriarcha impellente, favente Mauritio Aug., Authari Rege Iftriam & Infulam *Comacinam* depopulante. Hujus cum Theudelinda nuptiæ; ferox ingenium. Pelagii II. obitus. Impium Autharis Edictum; opportuna mors. Theudelindæ cum Agilulfo conjugium Catholicis propitium. Ambo Reges falutantur a Langobardis. XI. Agilulfi & Theudelindæ regni initia pacatiffima. Firmata cum Childeberto pace, captivis redemptis, rebellibus Ducibus vel mulctatis, vel conciliatis, in Græcos bellum transfertur. XII. Laurentii Paftoralis follicitudo. Hic Præful Genuæ moritur. Quanto tempore Sedes vacaverit. Conftantius fuccedit. S. Gregorii juffu Genuæ confecratur. Ejufdem Rom. Pontif. de Conftantii electione, & laudibus *Epiftola*.

CAPITIS SECUNDI

Sectionum summa.

SUfpiciones in Conftantii Mediol. Epifc. fidem, Theudelindæ Reginæ animo ab Schifmaticis injectæ, ex quibus hæc a communione Epifcopi abftinet. S. Gregorius fuis litteris eas abftergit. II. S. Gregorii ad Conftantium Epifc., & Theudelindam Reginam *Epiftolæ*. III. In recitatas *Epiftolas* animadverfiones. I. De Schifmaticorum in Liguria diffeminatis dogmatis. II. Quænam effet propofitæ *Cautionis* ratio. III. Quænam Gregorii de Conftantio & Theudelinda concepta opinio. Num jacta jam hoc tempore Modoetienfis Bafilicæ fundamenta. IV. Plura Gregorium inter & Conftantium per epiftolas officia pro Eccl. Mediol. Conftantio commendatur *Lunenfis* Clerus. Num hic tum Mediol. Metropoli fubjectus. De Jure Metrop. Mediol. Schifmaticorum in Conftantium perfecutiones. Confolatoria ad Eum Gregorii *Epiftola*. V. Gregorius Conftantii confilium probat de emendandis litteris, quas ad Theudelindam deftinaverat. VI. Aliæ invicem Gregorii, & Conftantii litteræ, in quibus nonnihil de Ambrofianæ Ecclefiæ tunc temporis difciplina. VII. Exarchus *Romanus* inducias violat. S. Gregorius quot malis, belli hujus caufa, conflictatus. VIII. Maxima Gregorii omnium Ecclefiarum follicitudo. Ejus ftudia pro pace inter *Romanum* Exarchum ac Regem ineunda. Abbas *Secundus*, *Servus Dei*, ad Exarchum legatus a Rege miffus. Gregorius Conftantium calumniis adpetitum per litteras confolatur. *Re-*

mma succedit *Callinicus*. Agilulfus de pace cum Hunnis legationem Mediolani excipit. De hujus Urbis dignitate. Nondum a bellis pacata Liguria. Maritima hujus Provinciæ pars quandiu Græco Aug. paruerit. IX. Inter pacis studia *Callinicus* Schismaticos Istrios urget. Mutua inter Gregor. & Constant. observantiæ testimonia. Tandem loco pacis firmantur induciæ inter Romanos ac Langobardos. X. Ex Gregorii ad Theudel. litteris evincitur, quàm hæc recte de orthodoxa Fide sentiret: quàm adhuc ab ea esset alienus Agilulfus; quàm ab humano sanguine abhorreret Gregorius; quid Ipse de pactis induciis sentiret. Falsus de Regis morte rumor Romæ disseminatus. XI. Constantius sibi Suisq. ab Græcis timet. Præsidiariæ naves inter Langob. num ab Agilulfo primùm inventæ. Antistitis nostri curæ pro Schismate a Comensibus avertendo, pro Ecclesiæ suæ negotiis Constantinopoli expediendis, pro dedicatione Basilicæ Genuæ facienda. XII. Item pro Episcopis Provinciæ suæ in officio continendis. Constantii nostri obitus. Magno elogio a S. Gregorio ornatus.

CAPITIS TERTII

Sectionum summa.

ADeodatus invito Rege Agilulfo in Ambrosii Cathedra sufficitur. De Ejusdem electionis anno: utrum DC., an sequenti, dubium injicitur ex Gregorii *Epistolis*. II. Ex recitata S. Gregorii ad *Mediol. Epistola* evincitur, quàm adhuc ab Cath. Relig. abhorreret Agilulfus. Adeodati maritimum Romam iter ad Gregor. pro Liguisticæ suæ Ecclesiæ negotiis. III. Exarchi *Callinici* perfidiâ captiva cum Genero abducitur Agilulfi filia. Rex iratus Patavium penitus evertit, Ariulphum Spoletinum Ducem in Romanos impellit. Adaloaldus nascitur, ac baptizatur. Nova Agilulfi bella. Filiâ tandem ac Genero dimissis, ab armis cessatur. IV. Agilulfi Regis religio Cath. sensim erumpit: hanc quo tempore sit professus. Theudelinda de suscepto ac regenerato filio Adaloaldo per litteras certiorem facit Gregorium. Hic Reginæ gratulatur, ac munuscula mittit. V. Scrupuli iterum Theudelindam de *Tribus Capitulis* anxiam tenent, quos S. Gregorius jam morti proximus satagit evellere. Hujus S. Pontif. obitus. Quæ exinde consecuta sunt usque ad regni Agilulfi finem, summatim prælibantur. VI. Adaloaldus infans in *Circo* Mediol. Rex a Patre inauguratur. Agilulfi fœdus cum Theudeberto. Hujus Regis filia Regio Puero desponsatur. Theudelindæ matris erga Modoetiensem Basilicam munificentia. VII. Marmoreæ Absidis, maximæ Templi Modoetiensis januæ hemicyclo impositæ, accurata descriptio. Thesauri ibidem asservati vices. VIII. Novæ Mediolani turbæ per Schismaticos concitatæ. *Jo.* Abbas Schismaticus Aquil. Patr. eligitur. S. Columbanus in Italiam adveniens ab quodam *Agrippino* ad Schisma sollicitatur. Jussu Agilulfi ad Bonifacium IV. scribit. IX. Satis prolixæ Columbani ad Bonifacium Epistolæ fragmentum. X. Ejusdem Epistolæ sententiæ ad trutinam revocantur. De Bobiensis Cœnobii fundamentis a Columbano jactis. Hujus, simulque Regis Agilulfi obitus.

CAPITIS QUARTI

SIVE

DIGRESSIONIS

De Comensis Ecclesiæ a Metropoli Mediolanensi ad Aquilejensem defectione.

SECTIONUM SUMMA.

DE antiquo Metropol. Mediol. jure Comensem Episcopum consecrandi, eumque ad Concilia evocandi. Exempla ex Ambrosio & Eusebio desumpta. Comensis Eccl. vices ab Gothici regni exordio. Quæ sub Theuderico & Athalarico successore tranquillitas. II. Sub Gothis Regibus Theodahado ac Witige pace admodum perturbatâ, Comensis Clerus & Episcopus in proxima *Insula* perfugium quærunt. III. De *Lariensis Insulæ* situ, munitionibus, ac vicibus. Furente Totila Comensis Clerus se iterum in eam Insulam recipit, *Christopolim* deinceps appellatam, ut ex Floriani Abb. *Epistola*. IV. Nondum pacatâ omnino post Narsetis adventum ac Totilæ obitum Liguriâ, adhuc Comenses in *Insula*, etiam ultra Agilulfi ætatem, subsistunt. *Francio* per annos XX. ibi tutè commoratus, se tandem cum incolis in Autharis potestatem redigit. V. Insulani in Schisma paulatim propensi S. *Euphemiæ* Basilicam dedicant. Constantii simul & Greg. sollicitudo, ut hanc labem averterent. Comensium apud Gregorium querelæ de *Mauriana* Villa. Sapientiss. Ejusd. responsum per *Epistolam*. Quid in hac *Epist.* occurrat animadversione dignum. I. Comensium subjectio Mediol. Antistiti. II. Eos jam tùm in Schismatis periculo versari, & esse Episcopo destitutos. III. Solos Clericos Schismaticis indulgere. VI. Constantii & Gregorii obitus. Illi Adeodatus Genuæ substituitur. Comenses palam Schisma professi ad Aquilej. castra confugiunt, incentore præsertim. *Jo. Abbate* Aquil. Antistite. De *Agrestino*, Monacho Luxoviensi, Schismatico. VII. *Agrippinus* Monachus Schismaticus Comensi Eccl. ab *Joanne* Aquilejense præficitur. De Sepulcralis ejusd. *Agrippini* Lapidis, & de *S. Euphemiæ* Templi ac Cœnobii in *Insula* vicibus. VIII. *Agrippini* Tituli sepulcralis exemplar fidelissimum exhibetur, ac rite expenditur. De Comensium defectione certior epocha exinde statuitur. Quousque illi in Schismate perduraverint. IX. Extincto etiam Schismate, Romanis Pontiff. indulgentibus, Comenses in Aquilej. ditione adhuc perstiterunt; & ipse Aquilejensis titulum *Patriarchæ* retinuit. De Actis *Mantuani* Concil. deperditis. De Syn. *Marianensi*. Comensium defectionis epocha novis argumentis confirmatur. Num etiam Tridentinus Episcopus tunc temporis ad Schismaticos Aquilejenses unà cum Comensi transfugerit.

CAPITIS QUINTI

SECTIONUM SUMMA.

ADaloaldus post Agilulfi patris obitum cum Theudelinda matre Regnum administrat. Inanes *Agrestini* Monachi conatus pro Schismate disseminando, & S. Columbani Institutis evertendis. II. Bobiensis S. Columbani Instituti ac Mona-

chorum laudes. FEDERICI Card. Borrom. Archiep. honorifica mentio. De geminis præstantiss. Codd. Bobiens. in Bibliotheca Ambros. asservatis. III. Utriusque Codicis accurata descriptio: simulq. de Monastici Ritus cum Ambros. nostro similitudine: de Hymnis *Acrostichis*: de S. Columbani Instituti in Liguria nostra duratione. IV. Theudelindæ cum Adaloaldo pacificum regnum. Hujus Reginæ gesta. Cur Adeodatus Episcop. noster adhuc Genuæ persisteret. V. Theudelindæ obitus. Solus Adaloaldus regnat: qui paulo post a Langobardis regno privatur. Honorii Papæ I. de hoc querelæ ad Liguriæ Episcopos. Isaaccii in Schismaticos furor. VI. Arioaldus Arianus Adaloaldo substituitur. Impia ejus gesta antequam Rex esset. Ejusd. in Gundebergam uxorem perfidia: erga Arianos favor. *Fortunatus* Schismaticus Episc. Gradensem Eccles. invadit. Irritæ de hoc Honorii Papæ querelæ. VII. Adeodati Episcopi obitus. Asterius ei sufficitur. Num Honorii tempore fuerit extinctum *Schisma Aquil.* Asterius Genuæ Byrinum consecrat; ideoque Asterius a Beda dictus *Episc. Genuensis*. Num Mediol. Episcopus Genuæ degens utramque regeret Ecclesiam. Arioaldo defuncto Rotharis, item Arianus, substituitur. Isaaccii Exarchi in Lateranens. Rom. Basilicam invasio. Honorii Papæ, & Asterii Mediol. obitus. VIII. Rotharis, ope uxoris Gundebergæ Arioaldi Viduæ, ad Solium evehitur. Arianorum sectam fovet. Conjugem Reginam injustè carceri addicit. De ejusd. Reginæ virtutibus, ac cum Francorum Regibus cognatione. IX. Fortis Mediol. Episcopi electio. Obiter arguitur Paulus Diac. de perturbato Historiæ suæ ordine, ac rerum inopia. X. Rotharis, restitutâ in pristinam dignitatem Reginâ, expeditionem feliciter admodum in Maritimam Liguriæ oram suscipit. Novum Legum Codicem condit ac promulgat: *Langobardiæ* nomen quando primùm invaluerit: quibus hæc nunc circumscripta limitibus. XI. Ex hac Rotharis expeditione, Mediolanensis Episcopi Fortis, Cleri, ac Civium, Genuæ degentium, desperatio & fuga. XII. Hinc obscura admodum Fortis Episc. administrationis acta. De eadem conjecturæ. De miserrimo Ligusticæ Eccles. statu, regnante Rothari. Num etiam Mediolani sederet Arianus Episc. ab Rothari intrusus. XIII. Fortis Episc. obitus, cujus sepulcrum ignoratur. Statuendus probabiliter plusquam decennii hiatus in Pontiff. Mediolan. chronotaxi; interpontificium scil. sex circiter ann. inter Fortem & Jo. Bonum, & circiter quinque inter Mauricillum & Ampellium. XIV. Joannes cognomento *Bonus*, pacatis Langobardorum rebus, Forti substituitur. Vix inauguratus Concilio Lateranensi subscribit. XV. De nativo Joannis solo. Optima, licet sub Ariano Rege, Pontificatus initia, Gundeberga Catholicis favente. Rotharis moritur: in S. Jo. B Basil. tumulatur. De miraculo ad ejus sepulcrum. Rodoaldus, item Arianus, Patri succedit; sed brevi ex hac vita decedit. Pauli textus de Gundebergæ cum Rodoaldo privigno nuptiis, item de hujus regni ætate, ab Amanuensibus corruptus emendatur. Aripertus I. Rodoaldo substituitur.

CAPITIS SEXTI

SECTIONUM SUMMA.

De veterum Rhythmis, seu *Historiolis*. *De Rhythmo* ex geminis Biblioth. Ambros. Codd. nunc primùm edendo, in laudem *Ariperti*, *Bertaridi*, & *Cuniberti*, Langobard. Regum. Quisnam fuerit ejus auctor; cujus ætatis. II. *Rhythmus*

trifariam divisus primò *Ariperti* laudes complectitur. Hic Arianam hæresim persequitur. Quid egerit sub hoc piissimo Rege etiam Jo. *Bonus* Episc. noster, ut hanc labem deleret. III. An Jo. noster cum Jo. Bergom. Episc. in id adlaboraverit. An Adduam siccis pedibus tranans ad eundem profectus fuerit. An Theudelinda ejus funus duxerit. Hæc omnia Chronologiæ legibus repugnant. IV. De Basilica in Oppido Decimo ad *Sancti Syri* honorem, a S. Jo. Bono constructa. *Canonicorum* mentio quando primùm occurrat. De *Decimarum* origine. V. Joan. *Bonus* hæredem Mediolan. Ecclesiam Testamento relinquit. Sanctissimè moritur. Primus ex Mediol. Episcopis intra mœnia tumulatur. Suum Corpus cultui exponitur ab Heriberto Episcopo; transfertur a S. Carolo. VI. De hujus Sancti Episcopi origine, indole, rebus gestis, atque obitu, vetus *Hymnus* profertur. De ejusd. *Hymni* ætate: de veritate hujus historiæ. VII. S. Antonius, sive Antoninus, Pontifex renuntiatur. De Ariperti Regis pietate. Utriusque obitus eodem anno. Bertaridus & Godebertus, Regno bifariam diviso, Ariperto patri, Mauricillus Antonino, succedunt. Hic quadrimestri spatio moritur. Ejusd. acta ignorantur. Interpontificium per quinquenium circiter. VIII. Godebertus, in fratrem Bertaridum odio accensus, Grimoaldum Beneventanum Ducem ope Garibaldi in eum concitat. Grimoaldus regnandi cupidus Godebertum Ticini interficit, Bertaridum fugat; &, Solio occupato, utriusque Sororem matrimonio jungit. IX. Constantinus, sive Constans, Or. Aug. *Typo* suo Monothelìticæ hæresi patrocinatur. Ejus in Martinum Rom. Pontif. & in S. Abb. Maximum crudelitas. In Siciliam, deinde in Italiam veniens Beneventum aggreditur. A Grimoaldo repellitur. Romam diripit. Ejus gaza in Siciliam transfert. Ibi in balneo occiditur. X. Grimoaldus Lupum Forojul. Ducem superat. Avarum Regem ad pacem compellit. Magna auri summa eidem proposita, Bertaridum illuc receptum sibi tradi postulat. Sed barbari Regis fides Bertaridum servat. XI. Bertaridus exul, Grimoaldi fide prius accepta, ad eundem se confert. Honorifice ac benigne habitus, paulo post Tyranni suspicionem incurrit, qui de eo perdendo consilia agitat. XII. Bertaridus per Aulici fidem Grimoaldi insidias eludit, & feliciter in Franciam evadit. XIII. Grimoaldus Hunulfi Aulici, & alterius servi fidelitatem erga Dominum suum admiratus, utrumque regio animo absolutum, & cum pecunia, dimittit. Bertaridus interim in Francia tutè subsistit. XIV. Spe sua frustratus Grimoaldus Francos in Regni fines irruentes prospero stratagemate opprimit. XV. Exacto regni quinquennio; pacifice vivens Grimoaldus mitiorem animum in Orthodox. Religionem præfert, præsertim Catholicæ Conjugis consiliis & opera. De ejusd. Regis Ariana labe, ac ethnicis superstitionibus. XVI. Quibus gradibus sensim Regia Uxor (quam *Theodotam* appellamus) Grimoaldum ad Cathol. fidem amplectendam alliceret. Qui tandem comitia fieri finit pro Mauricilli Mediol. Antistitis Successore eligendo. XVII. Post quinquenne circiter Interpontificium Ampellius sufficitur. Pia hujus cum Regina officia, ut Grimoaldum ad Fidem converteret. *Joannem* Bergom. Episc., & *Anastasium* Ticin. consecrat. Grimoaldus S. Ambrosii Basilicam Ticini ædificat. Suus in Bergom. Eccl. favor. *Faram Autharis* Bergom. Episcopo adjudicat. Ejusdem Regis obitus.

CAPI-

CAPITIS SEPTIMI

Sectionum summa.

BErtaridus in Francia exul Britanniam transfugere meditans, ad paternum Regnum revocatur summo Langob. gaudio. Puerulum *Garibaldum* Sororis filium Beneventum mittit. II. S. Ampelii obitus. Ad hujus Sancti sepulcrum crebræ ægrotantium concursationes. Succedit S. Mansuetus. Hujus Pastoralis sollicitudo. Mirifica inter Constantinum *Pogonatum* Aug., & Bertaridum Regem pro Fide tuenda consensio. III. Bertaridus, vix redux ad Regnum, *S. Agathæ* Templum cum *Monasterio Novo* Ticini ædificat. Præclara hujus Regis gesta ex *Rythmo*. Quare illud Templum ac Monast. exstruxerit. Num hoc olim unum idemque cum *Theodotæ* Cœnobio fuerit, tum ex *Rhythmo*, tum ex *Theodotæ Epitaphio* hic recitato disquiritur. IV. Ex utroque monumento simul collato constat, geminas fuisse *Theodotas*, quarum prima Soror Bertaridi fuit, qui ipsam S. *Agathæ* Cœnobio, *Theodotæ* deinde nuncupato, præfecit. Quare asseritur unum idemque olim fuisse Monast. a Bertarido institutum. V. Sex inde statuuntur. I. a Bertarido unicum conditum fuisse Parthenonem, a Cuniberto nullum. II. Ejusd. amplitudo. III. Junior *Theodota* quænam fuerit. IV. Utra ex *Theodotis* Cœnobio nomen indiderit. V. Seniorem *Theodotam* Deiparæ Sacellum intra Cœnobii septa ædificasse. VI. Demum hoc Monast. bifariam fuisse divisum. VI. De Permutatione rerum facta ante an. 833. inter utriusque Monast. Antistitas, & à Lothario I. Aug. confirmata anno 839. Nullum pene discrimen inter *Permutationem*, & *Divisionem*. Ergo per hæc tempora primum hujus *divisionis* indicium. VII. Hujus *Divisionis* causa ex Instituti mutatione videtur repetenda. Simile hujusmodi *divisionis* in Urbe Mediol. exemplum, De SS. *Columbani*, ac *Benedicti* Institutis in Gallia. VIII. Ante Carolingos unicè *Columbani* Regula in Liguria vigebat. *Benedictina* in usu esse cœpit post Carolum M. Ex diverso partium studio pro alterutro ex hisce Institutis oborta creditur Monialium *Theodotæ* & S. *Agathæ* divisio. Istæ primævam S. *Columbani*, illæ S. *Benedicti* Regulam profitentur. S. *Agathæ* Cœnobii vices. IX. Regi Bertarido unicam fuisse Sororem, probatur. Hæc ergo ipsa fuit, quæ Grimoaldo vidua Virginibus præfuit, & *Regina Theodota* appellabatur. X. In Sororis gratiam Bertaridus Monast. condit, eique ipsam præficit. Egregiæ ejusdem Antistitæ dotes ex *Epitaphio*. De puella *Theodota* a Cuniberto corrupta. De *Theodotæ* Senioris ætate.

CAPITIS OCTAVI

Sectionum summa.

BErtaridus Judæorum Sectam injecto metu potius, quam immanitate persequitur. Wigilindam ejus filiam cum *Grimoaldo*, Grimoaldi Regis nepote, connubio jungit. II. Constantinus *Pogonatus* Aug. post devictum Mecetium diuturniore cum *Monothelitis*, & cum Saracenis bello conflictatur. His tandem debellatis inducias triennales paciscitur. III. Augusti Epistola ad Donum Rom. Pontif. missa, sed, hoc immortuo, Agathoni successori oblata, adversus *Monothelitas*. Man-

fuetus *Synodum* Mediol. cogit. *Synodica* ejusd. *Epist.* ad Constantinum Aug. Utrum Bertaridus Mediolani sedem fixerit. De huj. Urbis dignitate. IV. Utrum Damianus, postea Ticin. Episcopus, auctor fuerit ejusdem *Synodicæ Epistolæ*, quæ Mansueti nostri nomine circumfertur. V. Bertaridi Regis erga Wilfridum Eboracensem Archiep. exulem hospitalitas ac benignitas. Rodelindæ regiæ Conjugis religio. VI. Provinciales Episcopi cum Mansueto Romanæ Synodo sub Agathone congregatæ intersunt, & *Monothelitarum* hæresim damnant. VII. Quare huic Romanæ Synodo ex Istris Episcopis plures non subscripserint. Quo tempore extinctum fuerit Schisma Aquilejense. VIII. Primum perduellis Alachis Trident. Ducis bellum adversus Bertaridum; qui, Cuniberti filii precibus commotus, cum proditore ad Tridentum devicto pacilcitur, eique Ducatum Brix. attribuit. De peste Ticini & Romæ sæviente. Concilium CP. contra *Monothel.* cogitur. IX. S. Mansueti obitus. S. Benedictus in Mediol. Cathedra succedit. X. Sancti huj. Antist. cum piiss. Regib. pro Fide tuenda sollicitudines. Mediolani Basilicam tit. *S. Benedicti* ædificat; nullum vero Monasterium. Bertaridi Regis obitus. Egregiæ ejus laudes.

CAPITIS NONI

Sectionum summa.

CUnibertus solus post Patrem regnat. Præclaræ huj. dotes. Politiores litteræ nonnihil reviviscunt. Felix Grammaticus floret. *Ceadvallam* Anglosax. Regem, Romam ad suscipiendum Baptismum proficiscentem, benigne excipit Cunibertus; eique comitem in via probabiliter Benedictum nostrum adjungit; qui mortuo Neophyto *Epitaphium* inscribit. II. Benedictus Romæ versans, diutius cum Summo Pontif. de Aquil. Schismate penitus evellendo consultat. III. Reliqua pars *Rhythmi*, Cuniberti Regis gesta, simulque historiam extincti Schismatis Aquil. complectens. IV. De illato puellæ *Theodotæ* a Rege stupro. De secundo Alachis bello, qui, Aldone & Grausone consociatis, Cuniberti Regiam, eo absente, invadit; & Rex salutatur. V. Cunibertus in Insulam *Comacinam* se recipit. De Alachis injuria *Thomæ* Diac. illata, deque ejus crudelitate & avaritia. Sed Aldo & Grauso rebelles, ad Cunibertum reversi, consilium secum ineunt de eo in Regiam suam restituendo. VI. Cunibertus iterum Ticinum, cunctis acclamantibus, ingreditur. Orientalium Langob. erga Alachim favor, Occidentalium erga Cunibertum. VII. Brevis digressio de *S. Joannis* Bergomatis Episcopi martyrio. De Bergomensium eruditione ac litteratura honorifica mentio. VIII. Prima destinatur in Campo *Coronatæ* contra Alachim a Cuniberto pugna; quam tamen Rex, proposito singulari cum Hoste certamine, frustra studet antevertere. IX In ipso prælio *Zeno* Diaconus, Regis personam & habitum mentitus, ab Alachianis pro Cuniberto interficitur. Alachis minæ in Clericos. X. Mox, dolo comperto, novoque ab Alachi recentato duello, hic tandem, iterata pugna, interficitur. XI. Cuniberti gesta post victoriam. *Zenoni* Diac. funebria persolvit. Templum ac Monast. S. *Georgii M.* Coronatæ ædificat. Mutinensium fidem remuneratur. Virginem *Theodotam* a se vitiatam Monasterio Ticinensi addicit.

CAPITIS DECIMI

SECTIONUM SUMMA.

DIversæ Scriptorum sententiæ de SS. Benedicti & Scholasticæ Ossium in Gallias translatione. II. Paulus Diac. erroris ac credulitatis obiter arguitur. Bedæ testimonium de fine *Schismati Aquil.* tandem imposito. Nulla *Aquilej. Synodus* Sergii tempore coacta. III. Sergii Pp. adversus Justinianum II. Aug. constantia pro tuenda Fide, in *Trullana* Synodo labefactata. Ejus cum Benedicto nostro ac Cuniberto Rege consilia pro Aquil. Schismate penitus extinguendo. Id confirmatur ex *Rhythmo*. IV. *Rhythmi* sup. recit. prior pars enucleate expenditur; ubi obiter de *Papiæ* nomine Urbi Ticinensi indito. De Damiano Ticinensi Episcopo. V. Reliqua pars *Rhythmi* ad trutinam revocatur; ubi de *Thomæ* Ticin. Diac. & *Theodoaldi* Legisperiti ad Sergium Pp. legatione. Quis fuerit hic *Thomas*. Romana Synodus cogitur. Schisma Aquilejense penitus tandem extinguitur. VI. *Rhythmi* conclusio. De Litterarum rusticitate Cuniberti ævo, earumque paulatim progressibus usque ad Liutprandum. De hujus *Rhythmi* ætate. Quæ deinum Schismatis extinctionem sint consequuta. VII. De fine hujus Schismatis narratio Pauli D. erroris & inscitiæ arguitur. Quam *Epistolam* scripserit Damianus, ex *Rhythmo* conjicitur. Quo circiter Cuniberti ætatis anno hæc acciderint. VIII. Cuniberti Regis obitus. Nonnulli ex ejus familia superstites recensentur; præsert. puerulus Liutbertus, & Cuniperga, Regis filii. Cuniberti *Epitaphium*, primum Sepulcrale Langob. monumentum. De hujus Ævi litteratura.

CAPITIS UNDECIMI
SIVE
COROLLARII

In quo Langobardici Regni vices usque ad Liutprandi tempora, & reliquæ S. Benedicti Antistitis nostri res gestæ; nonnulla item de ejus successore Theodoro II. breviter expediuntur. Demum de statu Urbis Mediolanensis, ejusdem Liutprandi ætate.

SECTIONUM SUMMA.

INfelix Ansprandi, Liutberti tutoris, & Rotharit Ducis Bergom. fœderatorum adversus Ragimbertum apud Novariam pugna; in qua Liutbertus regno privatur a Ragimberto. Et ipse brevi moritur; cui succedit Aripertus II. ejus filius. II. Hic novo prælio Ansprandum ac Rotharit superat, Liutbertum interficit. Ansprando in *Insula Lariensi*, Rotharit Bergonsi subsistentibus, Laudem Pomp. & Bergomum per vim capit. Rotharit occidi jubet. Ansprandus ex Lario in Bajoariam fugit. III. Aripertus II. *Insulæ Lariensis* munitiones evertit. Ejus in Ansprandi consanguineos inaudita crudelitas, in *Theuderadam* præsertim, *Auronam*, & *Sigibrandum*. IV. Num ex Ansprandi Regis Familia ortum habuerit etiam *Theodorus II.* Mediol. Episc., *Auronæ* frater. V. Tot calamitatum sub Grimoaldi & Ariperti II. tyrannide testis fuit & particeps *Theodota* Senior ad-

huc superstes. VI. Ariperti II. victoria utrum S. Boniti precibus referenda. Huj. Regis virtutes ac vitia. Jurene, an injuria Regnum Liutberto usurpaverit. VII. S. Damianus Episc. Ticin. moritur. Ei succedit Armentarius. Inter hunc & Benedictum Mediol. de jure Consecrationis Romæ lis instituitur. Quomodo pro re sua peroraverit Benedictus. VIII. Item Armentarii oratio pro sua ipsius causa tuenda. IX. Benedicto causa abjudicatur; servato sibi tamen jure Ticinensem Episcopum ad Synodos evocandi. Quo tempore hoc quoque jus obsoleverit. X. Ansprandus cum Theudeberti Bajoarici copiis Liguriam profectus, iterum cum Ariperto confligit, ancipiti pugnæ exitu. Aripertus noctu Ticinum redit, Regiam auro spoliat, & apud Francos fugere meditatur. XI. Auro onustus Ticinum fluvium tranatat. Aquis absorptus eadem nocte interiit. Quot pene incredibilia in hac Pauli Diac. narratione occurrunt. XII. Langobardi Regnum Ansprando deferunt, qui post trimestre spatium moritur. XIII. Regis Ansprandi *Epitaphium*. Ejus filius Liutprandus Rex renuntiatur. Pia ejusdem in *Theuderadam* matrem officia. XIV. Reliquus Benedicti Pontificatus Liutprando regnante felicissimus. Hujus Antistitis obitus. De ejusdem sanctitate opinio. XV. Theodorus II. Benedicto succedit. Hunc ex Regia Stirpe natalem habuisse, plane constat etiam ex *Rhythmo De Laudib. Mediol.* De hujus *Rhythmi* ætate. XVI. Inde conjicitur, *Theodorum* fuisse *Auronæ* Liutprandi Sororis fratrem. Aurona Mediolani Monasterium condit, ab ipsa nuncupatum: quo tempore, & loco, quave de causa. Quo anno id auctum fortasse ac locupletatum. De *Auronæ* sanctitatis fama. XVII. Quis esset, regnante Liutprando, Mediol. Urbis status, ex *Rhythmo* synchrono declaratur.

QUÆ IN ALIQUOT EXEMPLARIA HUJUS SECUNDÆ PARTIS IRREPSERUNT,

ERRATA CORRIGE

Pag. 328. *lin.* 15. , sedente *p.* 395. *nota* (104) *l.* 1. C. 26. *p.* 407. *l.* 2. postposita *p.* 432. *n.* (84) *l.* 2. XVIII. (error pro VIII., sicut adnotavit etiam Papebrochius) *p.* 434. *l.* 11. *faciat* *p.* 436. *l.* 15. apparebit *p.* 437. *l.* 4. quot *p.* 439. *l.* 14. Godescalchi *p.* 482. *l.* 14. tetrasticho *p.* 486. *n.* (81) *l.* 2. (64) *p.* 527. *n.* (99) *l.* 1. p. 353. *p.* 532. *l.* 17. atque postrema *p.* 546. *n.* (*) afferat auctor Lect. *Brev. Ambr.* ad diem 29. Octob., item Saxius *p.* 547. *n.* (*) *l.* 4. Laurentium I., Thomam (quorum trium &c.) *p.* 550. *n.* (47) *l.* 2. 1574. 1575. & 1576. *p.* 552. *l.* 19. Mediolani relictis *p.* 568. *n.* (79) 583. & 584. *p.* 569. *l.* 18. DCLXVII. *p.* 572. *l.* 7. sigla *p.* 599. *n.* (76) Cap. X. Sect. ult. &c. *p.* 617. *n.* (49) *adde*: In *Calend. Mediol.* scripto initio anni 1465., quod ex *Brev. Ambr.* excerpsit & edidit Domin. Georgius (in Op. *Martyrolog. Adonis* &c. P. 1., Romæ 1745. in fol. p. 715. & seqq.) legitur ad diem 3. Sept. Comm. S. *Mansueti Ep. & Conf.* Item in *Calend. Ambr.* 1574., edito jussu S. Caroli, habetur hujus Sancti Commem. ad diem 28. Febr. in *Capite Quadrag.*, cujus tamen Officium transfertur ad diem præced. In *Martyrolog.* habetur ejus Comm. ad diem 19. Febr. *p.* 672. *n.* (31) *l.* 2. 687. *p.* 701. *l.* 5. opportune *p.* 703. *l.* 11. : *Tollunt*

Siqua errata inciderunt in Sectionum Summam, emendavimus in Synopsi hujus Partis.

LIBER III.



Alboin Ticinum ingrediens equo lapsus, contra votum Urbi parcit.

LIBER TERTIUS

Ecclesiæ Mediolanensis Historia LIGUSTICA LANGOBARDICA; quæ Honorati & succedentium Antistitum res gestas usque ad Benedictum complectitur: item ab Aquilejensis Trium Capitulorum *Schismatis jampridem sub Datio excitati progressibus; usque ad finem ei tandem impositum Sergii Papæ & Cuniberti Regis opera. Simulque ab Alboini in Liguriam adventu, & Langobardici Regni in Italia initio usque ad Regis Cuniberti obitum. Ab Æræ Vulg. Anno DLXVIII. ad DCC.*

CAPUT PRIMUM.



ALboin itaque Audoini & Rodelindæ filius, X.us extra Italiam Langobardorum Rex, vetere gloria elatus, & recenti de Gepidis victoria ferox, fœderatus insuper Avaris seu Hunnis, immenso odio in Justinum inflammatus, & huic etiam infensissimus, ad Italiæ opes cupiditatis oculos jamdiu adjecerat. Quumque se nihilo inferiorem Odoacre Herulo, aut Theuderico Gotho

Alboinus postridie Paschatis anni 568. cum innumero Barbarorum exercitu ex Pannonia Venetiæ fines ingreditur. Res ibidem gestæ. Seq. anno Mediolano, & tota Liguria potitur, præter Ticinum, ac maritima loca.

parí fortuna usis arbitraretur, abrogato Narseti imperio, viduam defensore & incolis propter luem & luis pedissequam famem ferme destitutam Provinciam hanc conspicatus, omnigena barbarorum ad prædam anhelantium colluvione conflatum exercitum ineunte vere ex Pannoniæ finibus abduxit. Primæ hujus expeditionis epocha designatur postridie Kalendas Aprilis anni DLXVIII.; quum eo anno in ipsas Kalendas Pascha Domini incidisset, ut asseverat (1) Paulus certissimis diei Paschalis & Indictionis indiciis, certe ex Langobardorum Annalibus, quos vidit, desumptis, ut nullum sane ambigendi locum relinquat; licet alioquin Chronologiæ legum impatiens alibi sæpissime idem Paulus videatur. Quare mirum accidit fortasse lectoribus *Libri Pontificalis*, sive *Anastasii*, ut vocant, *Bibliothecarii*, dum legunt (2) in *Vita Joannis* III., evocatos per Narsetis litteras in Italiam Langobardos; quum tamen in *Vita Benedicti* I. (3) idem scribat, *eodem tempore omnem Italiam eos invasisse*, idest sedente hoc ipso Pontifice, qui Petri Cathedram obtinuit anno dumtaxat DLXXIV. Nimirum, qui tam solerter secreta Narsetis cum Langobardis consilia introspexerat, solus oscitabundus tota propter eos jam per solidum quinquennium trepidante Italia, eorum nomen nondum audierat. Nisi quis interpretari velit vel de Langobardicæ irruptionis non initiis, sed progressibus fuisse locutum; vel illam, quam sæpe usurpat, dicendi formulam, *Eodem tempore*, laxius esse intelligendam. Minus certe miror, quod Paulus ipse hanc formulam (4) impro-

(1) Lib. 2. Cap. 7. *Igitur Langobardi relicta Pannonia .... Italiam properant possessuri .... de qua egressi sunt mense Aprili per Indictionem primam, alio die post sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini Incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti.* (2) Num. III. p. 228. Ed. cit. (3) Num. I. p. 230. (4) Lib. 2. Cap. 10. Vide sup. p. 339.

vide arripiens aperte ſcripſit, uno eodemque tempore, quo *Benedictus Papa Romanam regebat Eccleſiam*, *Aquileienſi quoque Civitati Paulum* (ideſt *Paulinum*) *præfuiſſe*, qui irruentium Langobardorum metu perculſus in Gradum Inſulam cum theſauro ſe receperat. Ceterum iiſdem plane ac Paulus indiciis Auctor *Miſcellæ* deſignat celeberrimæ ac luctuoſiſſimæ expeditionis tempus, ac primi triennii Langobardorum motus, ſcribens (5) Libro XVI.: *Indictione prima, in ipſis Kalendis Aprilis egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia, & ſecunda Indictione cœpere prædari in Italia; tertia vero Indictione dominari cœperunt in Italia*; quæ laconice, ſed vere dicta dilucide explicat Paulus. Primum enim nos docet (6) Alboinum Indictione I. die II. Aprilis (anni DLXVIII.) egreſſum ex Pannonia ad Italiæ poſſeſſionem properaſſe. Deinde, ut ex ejus apud eundem rebus geſtis colligo, hac ipſa currente Indictione Venetiæ fines (7) ingreſſus Fori Julii Caſtrum ſibi ſubjecit. Illic commoratus ac hiberna conſtituens Giſulphum, quem alii (8) *Graſulfum* appellant, ſuum *Marpahis*, ſeu ſtratorem, atque, ut fama erat, Nepotem, Forojulienſium Ducem creavit, illique, quas optabat, *Langobardorum Faras*, ſeu nobiliores *proſapias* ad ſui, & Ducatus tutelam attribuit. Ibi vero, ſeu Tarviſii perhumaniter (9) Felicem hujus urbis Epiſcopum excipiens, *omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit, & per ſuum pragmaticum poſtulata firmavit*. Hibernis egreſſus Indictione II., ſeu anno DLXIX. ab Aprili menſe uſque ad Septembrem prædas agere cœpere Barbari, aſſerente (10) Paulo, Vincentiam, Veronam, & reliquas Venetiæ civitates ab Alboino poſtmodum in poteſtatem redactas, exceptis

---

(5) Inſ. in *Rer. It. Scr.* T. I. p. 111. col. 2. in fine. Vide ſup. pag. 360. nota (159). (6) Lib. 2. Cap. 7. (7) Lib. 2. Cap. 9. (8) Maurini PP. *Art de verif. les Dates*, verbo *Graſulfe* I. Conſule Murat. ad an. 590. pag. 535. & Lup. *Cod. Diplom. Bergom.* Vol. 1. *Prodrom.* col. 160. & ſeqq. (9) Lib. 2. Cap. 12. (10) Lib. 2. Cap. 14.

Patavio, Mantua, & Montesilicis, quæ, licet intactæ, Regem ne ultra progrederetur vetuere. * Hinc tertia (11) vix cœpta Indictione, quæ juxta Chronologos a mense Septembri ipsius anni DLXIX. initium sumebat, eodem, quem prædiximus, anno Adduam transgressus, per tritum superiore Sæculo ab (12) Alarico, & postmodum ab (13) Attila callem in nostram Liguriæ Provinciam, prædonibus illis non futurus inferior, libere penetravit. Mediolano, Urbe Provinciæ primaria, recenter a Narsete laudabiliter reparata, potitus, exinde dominationis & regni sui memorandam semper epocham, teste (14) Sigonio, constituit. Exceptus itaque, reclamante nemine, III. Non. Septemb., imo in speciem acclamante populo, ab omni injuria intactam Urbem reliquit, & præter (15) Ticinum, quæ visa est ad obsistendum parata, omnem mox sibi feliciter Liguriam subjiciens occupavit, solis (16) exceptis civitatibus in extremæ Liguriæ maritimis locis.

* An. DLXIX.

Ticinum obsidet. Paulinus Aquil. in Insulam Gradum, Honoratus Mediol. Genuam fugit; ibique Sedem statuit. Justæ ac legitimæ hujus Præsulis fugæ causæ.

II. Igitur, ne tanta Langobardorum felicitas, ab unius munitæ Urbis oppugnatione retardata, ad illius muros hærere tanquam ad scopulum cogeretur, Alboinus obseptis præsidio militum, quæ Ticinum ducebant, viis, & extracta in opportunius tempus arctiore obsidione, majorem exercitus partem in totam pene Italiam locustarum more populaturam effudit. Hinc post Septembrem anni DLXIX. miseræ Italiæ consequutus squalor & luctus: hinc illæ lacrymæ, quibus afflictos Romanos S. Gregorius tamdiu suis in litteris prosequebatur (17) XXVII. & XXXV. post annis: hinc demum Italorum desperatio & fuga, quæ priore jam anno Civi-

(11) Ibid. Cap. 25. (12) Vide sup. p. 7. 10. &c. (13) Vide sup. pag. 95. & seqq. (14) *De Regno It.* L. 1. ad ann. 570. col. 16. Hanc Alboini dominationis epocham anno 570. initium habuisse testatur Muratorius ad ann. 569. p. 475. (15) Vide infra Sect. VII. init. (16) Vide sup. p. 304. nota (*). It. infra Cap. III. Sect. IV. & C. V. Sect. XI. (17) Vide Lib. 5. *Ep.* 21. ad Constantin. Aug. Ind. XIII. col. 751. E. Item L. 13. *Ep.* 38. ad Phocam Imp. Ind. VI. col. 1244. E. Vide infra Sect. VII.

tates consilio & ope Primorum destitutas ferme omnes reliquerat. Paulinum Aquilejensem narrat (18) Diaconus cum Ecclesiæ thesauris Sedem suam in Insulam Gradum transtulisse. Pari item ratione, territus strepitu e proximo circumsonantis belli Honoratus Mediolanensis Antistes, adventum hostium prævertens, perfugium ab imminente clade videtur quæsiisse inter obsepta montibus & maritima Liguriæ loca, Sedemque in Genuensi urbe (19) fixisse, teste eodem (20) Diacono, qui eam regionem belli Langobardici injuriis immunem, & diutius eorum armis intactam confirmat. Ad id consilii ineundum facile permovit S. Eusebii exemplum, qui Patrum memoria ad posteros propagata, dum Attila toti Italiæ excidium minitaretur, ruinamque denuntiaret, Alpes versus cum Clero ac populo præcipiti fuga se proripiens, desertam ac ferme vacuam Urbem ingruentis hostis furori objecit. Testis est S. Maximus Taurinensis Episcopus, seu quisquis (21) ex Ecclesiæ nostræ vel Diaconis vel Presbyteris auctor fuerit *Homiliæ* (22) inscriptæ: *In Reparatione Ecclesiæ Mediolanensis*, ubi rem graphice describit jam supra (23) recitatis verbis, quæ nunc juvat repetere: *Quis non miretur*, inquit, *illam tantam dispensationem iræ cælestis & gratiæ? Quandoquidem inruptis muris armatos furentesque hostes populi inermes, ut velocissimi equites tarda atque onere grava-*

---

(18) Lib. 2. Cap. 10. cit. Vide sup. p. 371. & Murator. ad an. 568. p. 476. (19) In nota 157. ad Paul. Diac. L. 2. C. 25. p. 434. sic: „ *Annales Mediolanenses* S. Honoratum „ ad Januenses fugisse ferunt dolore actum, quod auctor fuisset tradendæ Alboino Civitatis, „ quam contra pactum ferocissimus Rex diripuerat “. Eadem mutuatus est Ughell. T. 4. Sed quam fidem mereantur hi *Annales*, consule Murator. *R. I. Scr.* Tom. 16. pag. 637. in *Præfat.* ad Excerpta eorund. *Annal.* Vide & *Annali d' Italia* ad ann. 569. pag. 479. (20) Consule Lib. 2. Cap. 25. cit. infra pag. 376. & Cap. II. Sect. VIII. sub fin. & Cap. III. Sect. IV. & sup. p. 304. nota (*). (21) Vide sup. pag. 43. nota (*). (22) Inter Opp. S. Max. *Hom.* XCIV. col. 316. Edit. Rom. 1784. in fol. (23) Pag. 97. nota (23) pag. 99. & 100.

ta ſuo trepidantium plauſtra fugerunt. Quare, quum ſub *Homiliæ* finem ipſum Euſebium gratias Deo pro felici reditu agentem oſtendat, hiſce eundem Euſebium verbis Deum alloquentem inducit: *Probavi* (24) *judicantis cenſuram: gratiam parcentis agnoſco. Mærores meos, ac triſtitiam plebis Tuæ in peregrinatione deflevi; ſed lacrymas a Te meas gaudeo non eſſe deſpectas .... Expuliſti me offenſus, & propitius reduxiſti. Imo, ut verius dicam, propitius expuliſti; ne in loco temere permanens miſeriam captivitatis incurrerem*. Doctus itaque Euſebii exemplo, quod ignorare non poterat (quum recurrente anniverſario illius Templi Dedicationis die in vigiliis antiquitus apud nos ea ipſa *Homilia* recitaretur) ne *temere* hic *permaneret* Honoratus, Genuam verſus (25) contendit; eadem fortaſſe ac Euſebius ſpe ſuſtentatus, fore ut ea citius tempeſtas detumeſceret, & cum potiori gregis ſui parte aut etiam multitudine illuc ſe recipiens, *tigna & trabes Eccleſiæ*, ut ejuſdem *Homiliæ* (26) verbis utar, *parietes & tecta hoſti irruenti* obtulit, & *receptacula Eccleſiæ permiſit exuri*; ſuoſque cives, quæ viva & *vera eſt Dei Eccleſia*, integros incolumeſque ſervavit. Quam etiam ut ſartam tectamque ab omni periculo ſchiſmatis præſtaret, detentum in cuſtodia *Frontum* & exauctoratum, nequid novi interim in Liguria moliretur, aut ſecum Genuam captivum abduxit; aut, ſi Narſetis juſſu illuc jam antea exulabat, ut ſupra (27) innuimus, diligentiore cuſtodia ibidem uſque ad mortem continuit. Accedebat altera illuc confugiendi cauſa, quæ forte Euſebium (28) etiam anteriore ſæculo moverat: patrimonium (29) ſcilicet ipſius Mediolanenſis Eccleſiæ, cujus tuendi neceſſitas nobi-

(24) *Hom.* cit. col. 318. (25) Conſule ſis, quæ dicemus infra Sect. XII. (26) Ibid. col. 316. init. (27) Pagg. 351. & 357. & infra p. 376. (28) Vide ſup. p. 96. (29) Vide ſup. pag. 256. nota (*).

liorem ovilis portionem, ſcilicet Clerum, illuc ire compulerat. Sepoſita enim illa & dirempta montibus Provinciæ Mediolanenſis pars quum omni belli vacaret injuria & mare liberum ſpectaret, aditum tutiſſimum præbebat cenſuum Eccleſiæ contrahendorum, qui Clero noſtro & Eccleſiæ neceſſarii (30) ex *Sicilia*, & ex *aliis Reip. partibus*, teſte (31) S. Gregorio, & (32) Caſſiodorio, exportabantur. Adjungi etiam hiſce abſentiæ cauſis poteſt tacitus Apoſtolicæ Romanæ Sedis conſenſus; imo & apertiſſimus, ut idem S. Gregorius declarat, approbans electiones a Clero Mediolanenſi Genuæ factas (33) *Conſtantii* ejuſque ſucceſſoris (34) *Adeodati* in Epiſcopos, licet hujus Electi abſentiæ obſtaret Regis Agilulphi voluntas. Quî autem accuſari poteſt Honoratus, ſi in ipſo ingruentis belli tumultu ac primordiis ſibi Suiſque fuga conſuluerit, poſtquam præiverat feliciſſimo eventu S. Euſebii exemplum; & triginta atque amplius poſt annos continuatam Paſtorum ibi præſentiam ſuo calculo S. Pontifex Gregorius approbavit adeo, ut nullum (35) *S. Ambroſii Vicarium*, ut ejus verbis utar, agnoſceret, niſi eum, qui ab Ambroſiano Clero Genuæ eſſet communibus ſuffragiis electus? Ceterum illa nullo explenda ſolido monumento lacuna, quæ in ſerie Genuenſium Epiſcoporum ampliore etiam hiatu patet per hæc tempora, ſcilicet inter Paſchaſium (36) qui Euſebii Mediolanenſis (37) *Synodicæ Epiſtolæ* ad Leonem I. miſſæ anno, ut ſupra (38) probavimus, CDLI., & Joannem, qui Concilio, non Romano, ut apud Ughellum, ſed

Num uſque ad Rotharis Regnum Mediolanenſis Epiſc. Genuæ degens utramque adminiſtraret Eccleſiam.

(30) Vide ſup. p. 149. & infra Cap. III. Sect. I. (31) Lib. XI. *Epiſt.* 4. Ind. IV. Opp. Tom. 2. col. 1095. Ed. Pariſ. 1705. Vide Labbé T. 4. col. 1378. in Nota Binii *a*. (32) *Variar.* Lib. 2. *Epiſt.* 29. inſcript. *Theoderici Regis Adilæ viro Senatori Comiti*. (33) V. infra Sect. XII. (34) Infra Cap. III. Sect. I. (35) Lib. 11. *Ep.* 4. col. 1095. B. (36) Vide Ughell. *It. Sacra* T. 4. col. 841. num. VII. & VIII. (37) Ap. Labbé *Concil.* T. 5. col. 1335. in fine. It. int. Opp. S. Leonis T. 1. col. 1080. (38) Pag. 93. & 94.

Constantinopolitano III. subscripsit (39) anno DCLXXX., me facile adducit, ut credam, Langobardici præsertim Regni tempore usque ad Rotharim (40) maritimæ Ligusticæ oræ domitorem, Genuensem item & Mediolanensem Ecclesiam a nostris Episcopis fuisse administratam. Turbulenta enim illa & periculosa tempestate tutum non erat Mediolani versari propter Langobardos; contra omnis expers periculi nostris civibus ea in Urbe commoratio, quò nondum barbarorum furor pervaserat, ut Paulus (41) scripsit, declarans, *Alboinum Mediolanum & universæ Liguriæ civitates cepisse, præter eas, quæ in litore maris positæ essent*. Quare etiam mutuo nostrorum ac Genuensium Civium suffragio electum Mediolani ad Ambrosii Cathedram reor S. Joannem cognomento *Bonum* patria (42) Genuensem, eo quod communibus jamdiu religionis, & pietatis vinculis uterque earum Ecclesiarum Clerus elector cohæreret, & perspectis dudum Viri, communis ferme civis, virtutibus in eundem omnium promiscua vota ac calculi conspirarent;

De Schismatici *Frontonis* exitu sedente adhuc Genuæ Honorato. De Primæ nostri *Catalogi* Partis ætate differitur, vivo adhuc ipso Honorato conscriptæ.

III. Reliquum jam est, ut de *Frontonis* a Mediolanensi S. Ambrosii Cathedra, ut jam dixi, detrusi exitu tandem differamus. Allatis de causis adductus facile mihi persuadeo, ut hujus Pseudopastoris assertæ jam (43) a Papebrochio captivitati assentiar, eumque (44) in obscura custodia aut jam antea sedente Auxano Narsetis jussu Genuæ exulem fuisse, aut serius ab Honorato sanctissimo Præsule illuc secum abductum; & donec illa nos schismatis labe ejus mors liberaret, in vinculis perstitisse; in iisque dum adhuc Honoratus in vivis ageret animam efflasse, in Schismate adhuc

(39) *Concil.* T. 6. col. 700. D. (40) Vide infra Cap. V. Sect. X. (41) Lib. 2. C. 25. cit. V. sup. p. 373. & not. (20) ibid. (42) Vide infra Cap. V. Sect. XV. (43) *Exegesi* cit. num. 46. pag. LXVI. (44) Vide sup. p. 374. & loc. citt. in nota (27) ibid.

adhuc fortasse pertinacem. Quare popularis (45) manavit error, hunc Pseudoepiscopum, cui *Simoniaci* potius, idest intrusi, quam *Schismatici* nomen vulgo tribuitur, ad Romanam Mediolani Portam terra hiante absorptum, vivumque in Inferos detrusum. Neque id, Frontonem nempe ante Honoratum sedisse, in morem conjectantis auguror; sed *Catalogi* nostri antiquissimi, quem præ oculis habeo, quemque aliorum eruditione præstantium Virorum examini subjeci, auctoritate fultus plane affirmo. Etenim assentior libenter (46) Papebrochio, Primam illam *Catalogi* Partem haustam ex superstite aliquo, post captam ab Alboino Urbem, Ecclesiæ nostræ monumento, ex quo non solum nominum seriem, sed etiam annorum, quibus quisque sedit, numerum in suam scriptionem transtulit secundus *Catalogi* continuator, qui usque ad Tertiam Partem a *Forte* incipientem suas adnotationes Genuæ versatus perduxit. Sed ab ejusdem doctissimi Viri sententiá in statuendis *Frontonis* & *Honorati* Pontificatus annis cogor dissentire ipsa *Catalogi* inspectione & examine, cujus scriptio pari tenore semper usque ad Tertiam Partem feliciter pertingit. Verum cum ad Honorati sedis annos devolvor, incurrit in oculos manifestissime lacuna numeri annorum nedum in primæva scriptione, uti jam (47) diximus, sed & in apographo nostro penitus omissi, ac pene dicam recentissime ab quopiam intrusi per geminas unitates II; freto fortasse auctoritate aliorum *Catalogorum* (48) qui ex antiquiori aliquo vel autographo, vel apographo efformati, atque identidem interpolati, *duos* revera exhibent Honorati sedis annos. Quare, ut sum-

(45) Vide Landulph. Sen. *Med. Hist.* Lib. 2. C. 3. & in *Catal.* ap. Murat. *R. It. Scr.* T. 1. P. 2. pag. 229. (46) *Exegesi* cit. num. 48. pag. cit. (47) Pag. 349. & 350. Vide & infra pag. 381. & ibid. nota (57). (48) Vide infra pag. 381. nota (57) cit.

mopere laudanda eſt fides ſecundi Scriptoris, qui vetere membrana uſus numerum Honorati annorum, quem non invenerat, omiſit; ſic maxime reprehendenda videtur illius audacia, qui primus vetuſtiorem aliquem *Catalogum* exſcribens marte ſuo *duos* eidem Sedis annos affinxit. Quamobrem, qui Primam illam nomenclaturæ Partem primus deſcripſit, & in *Frontone* finem fecit, quum de Epiſcopis ageret poſtremis, quos ipſe noviſſet, quomodo ignorare potuiſſet annos Honorati, ſi XI. ante annis dumtaxat *Frontoni* eſſet præmortuus, quum hujus tam certe deſcribat ætatem? Robur igitur additur conjecturæ noſtræ validius ex ipſa Honorati annorum omiſſione. Ex qua ſcribentis formula facile aſſeverare poſſumus, vivente adhuc Honorato, eo quod hujus obitus annos non deſignavit, mortuum jam fuiſſe *Frontonem*. Hic igitur, quum poſt XI., quibus Cathedram uſurpavit, annos aliquandiu adhuc in exilio ſupervixiſſet, ex hac vita ſedente Honorato, deceſſit. Primævus *Catalogi* ſcriptor Ejus ſepulturæ locum ignoraverit, nec ne, ſtatui nequit, eo quod ſerius adjunctum fuiſſe jam alibi (49) obſervavimus. Porro, ſi ei fides habenda, qui illum in *Catalogo* noſtro adnotavit, Is *Genuæ* (50) *depoſitus* fuit *ad Sanctum* .... penitus omiſſo Eccleſiæ nomine, eo quod fortaſſe dubitaret, utrum locus ſacer, an profanus eſſet. Neque putet quiſpiam mihi aliquid negotii faceſſere ex eo, quod deſignatur in *Honorato* locus, quo ejus Corpus fuit translatum, ſcilicet *ad Nocetam*, Vicum duobus circiter paſſuum millibus ab Urbe noſtra diſſitum extra Romanam Portam. Facile enim ex jam dictis hunc nodum diſſolvam, & adverſarium ipſum implicabo reponens, non potuiſſe a primævo Scriptore addi

(49) Sup. pag. 350. nota (127). (50) Vide ſup. pag. 350. cit. In *Catal.* ap. Murator. T. 4. cit. ſic: *Arontius* (i. e. Frontus) *Epiſcopus ſedit annos XI.*, omiſſo ſepulcri loco.

illa verba *dep. ad nocetâ*. Quæ certe (ficuti etiam præcedentium Epifcoporum fepulcri loca) a Tertiæ Partis nomenclatore, ut opinatur Papebrochius, vel fortaffe verius ab eo, qui Tres priores *Catalogi* Partes, uno & continenti charactere ufque ad Guidonis obitum confcriptas, uti jam (51) præmonuimus, in unum collegit, adjuncta fuere. Multo enim ferius facræ ejufdem Sancti exuviæ in agrum noftrum feliciori tempore fuerunt illatæ; eamque tranflationem certiffime primus nomenclator ignorabat, utpote qui ante hujus Præfulis obitum decefferat. Tranquille igitur tanquam in portu, licet furente per totam pene Italiam Langobardorum procella, cum Clero fuo & civibus agebat Honoratus; eo etiam poft *Fronti* mortem metu liber, nequis lupus miferam relictam Mediolani gregis partem invaderet. Opperiebatur Ille quidem, & affiduis Superos fatigabat votis, ut tandem tempeftas illa ceffaret, & excitati quiefcerent jam fluctus, quemadmodum S. Eufebio prædeceffori fuo, Attila invadente, evenerat. Verum aliter admodum res cecidit. Inhærentes enim Italiæ vifceribus hi Barbari per annos amplius ducentos invidendam Eufebii felicitatem declaravere, quæ in placidam tranquillitatem, æftuante Attilæ procella, parvo interjecto fpatio divinitus eft commutata.

Honoratus dum Albingauni in Liguriæ maritima Provincia verfaretur, S. Verani, poftea Cabellicenfis Epifcopi, colloquio ibidem fruitur. * An. DLXX. DLXXI.

IV. * Dum meliorum temporum fpe Honoratus erectus in Liguriæ montibus verfaretur, S. Verani, poftea Cabellicenfis Epifcopi, fama permotus, qui Mediolanum Roma reverfus mira utrobique multa patraverat, præfentem alloqui, & de facie nofcere maxime concupivit, ut ejus Sancti vitæ Scriptor teftatur (52) in hæc verba: *Deinde petente SS.mo Viro Honorato ipfius* (Mediola-

(51) Vide fup. pag. 350. cit. (52) Ap. Labbeum *Novæ Biblioth. MSS. librorum* T. 2. pag. 692. Edit. Parif. 1657. in fol.

nensis) *Civitatis Episcopo*, *ad Civitatem*, *cui nomen est Albingano* (i. e. Albingauno) *profectus accessit*; *ibi quoque plurima signa virtutum*, *Christo auxiliante*, *non solum Fidelibus*, *sed etiam Gentilibus ostendit*. Ex hoc igitur Hagiographo discimus, Honoratum eo tempore in Genuensi ora domicilium jam ante fixisse; neque enim ad ejus postulationem Albingaunum, urbem sexaginta passuum millibus Genua dissitam, accedere S. Veranus voluisset; nisi Ejus præsentia ibidem fruendum foret. Exulabat illic tunc temporis Honoratus Langobardorum arma declinaturus, quó quum confugisset, ut diximus, ante Septembrem anni DLXIX., hæc Verani illuc peregrinatio nonnisi in annum DLXX., vel sequens biennium videtur rejicienda. Neque mihi quis objiciat Dionysium Sammarthanum de *Gallia Christiana* egregie meritum, qui, gentilium suorum Opere retexto & mirum in modum atque ordinem redacto, Acta (53) Prætextati Episcopi, qui Veranum antecedit, affigit annis DXLIX. & DLIV. & non ultra, & nihil certi de tempore ejus mortis affert. Quid enim vetat, post Concilia iis annis habita, ex quibus Prætextati sedis annos indicat Sammarthanus, Præsulem hunc supervixisse usque ad Honorati in Liguria maritima degentis tempora? ultra quæ haud valde differri potest Verani electio in Prætextati locum, quæ juxta anonymum ejus vitæ Scriptorem (54) procurata est satagente Rege Metensi Sigiberto, cujus mors contigit anno DLXXV. opera Fredegundis. Ceterum ipsa quoque Verani inter Langobardorum arma Albingaunum ad S. Honoratum divertentis mira securitas referri etiam hemanitus poterat ad tempus, quo inter triennalem obsidionem afflicta Ticinensi Urbe vacabat metu reliqua Liguria, Alboino adversus pertinaces

(53) T. 1. col. 941. Edit. Parif. 1716. (54) *Nova Biblioth.* cit. pag. 694.

dumtaxat sæviente, & universo Marte in Thusciam & ultra translato ab armis cessabatur, quod contigit anno DLXXI. & sequente.

Quot annos sederit Honoratus. Post Hunc nullo modo *Frontus* rejiciendus. Honoratus Genuæ moritur. Ejusd. ad *Noceram* in Agro Mediol. translatio. Commentitium post Hujus electionem Schisma contra Papebroch. ostenditur.

V. Hactenus probavimus, *Frontum* a primævo *Catalogi* nostri Scriptore extra ordinem ceterorum fuisse descriptum, utpote Schismaticum & ejectum: suumque illi ordinem assignavimus inter Vitalem & Auxanum; ut patentem illic XI. annorum, quibus dicitur in nomenclatura *Catalogi* sedisse, lacunam impleremus, quam Episcopo innominato Papebrochius, Saxius, aliique assignant. Jam ex sequentibus constabit, nullo modo *Frontum* ipsum post S. Honoratum sedere potuisse. Statuendum igitur, ut ex scriptura ipsa *Catalogi* constat, in primis nullum certum annorum numerum a Scriptore Primæ Partis S. Honorato fuisse assignatum, & biennium ejus sedis, ut videnti cuique patet, longo post tempore ab imperito aliquo fuisse suppletum. Nostrarum jam partium erit, certum stabilire tempus, quo Sanctus ille ad Superos evolavit. * Itaque, V. illi sedis annos saltem incompletos adscribentes, Eum versus finem anni DLXXII. vixisse contendimus; tum quod liberum est, ejus sedis spatium constituere ab Elenchi Scriptore nullatenus definitum; tum quia id ratio persuadet, si velimus certos sedis annos in *Catalogo* descriptos Laurentio II. ejus Successori attribuere, quos contra scripti fidem negare nullo modo debemus. Quid si imperitus ille Scriptor, qui primus annos in (55) posterioribus *Catalogis* supplevit (56) per geminas unitates, legerit in Diptycho aliquo post Honorati mortem exarato quinarium numerum,

* An. DLXXII.

(55) Sic in Ambros. nostro *Honoratus sed. añ* (additum in spatio recentiori manu *JJ*) & post lacunæ reliquum *dep. adnoceta*. In *Catal.* vero Metrop. ap. Murat. T. 1. P. 2. *Honoratus sedit annos duos. Depositus est ad Nucetam in Ecclesia S. Georgii*. In altero ap. eund. T. 4. *Honoratus Episcopus sedit ann. II. sepultus est in Ecclesia S. Georgii ad Nocetam*. (56) V. sup. pag. 349. & 377.

qui ea ætate sic exprimebatur II., quem male interpretatus sit pro numero binario? Quibus positis illud etiam conficietur, quod nullo pacto post Honoratum XI. *Frontonis* anni interseri possint usque ad annum Christi DC., ut ex dicendis constabit. Hujus sententiæ meæ fundamentum sit Constantii post Laurentium electi (57) certissima epocha, quam indubiam legimus in *Epistolis* (58) S. Gregorii Magni. Datæ sunt istæ Indictione XI. & XII., quæ a mense Septembri anni DXCII. & DXCIII. initium habent. In quarum prima, quæ est XXVI.[a] Libri III.[ii] data mense Aprili Indict. XI. (scilicet anno DXCIII.) *ad Magnum Ecclesiæ Mediolanensis Presbyterum*, Clerum ac Populum admonet de idoneo Episcopo absque dissensionibus eligendo. In altera vero XXIX.[a] data *Presbyteris, Diaconibus, & Clero* ejusdem Ecclesiæ; item in *Epistola* XXX.[a] data *Joanni Subdiacono*, & XXXI.[a] data *Romano Patricio Exarcho Italiæ* sermo est de Constantii electione jam facta. In *Epistola* vero I.[a] Libri IV.[i] Indict. XII.[a] Constantio ipsi gratulatur Gregorius de ejus in Episcopum electione. Itaque certe mense Aprili anni DXCIII., imo, ut infra ex fide *Catalogi* nostri (59) probabimus, a die XXI. mensis Augusti anni DXCII. vacabat jam Mediolanensis Genuam translata Sedes per Laurentii Antistitis obitum. Quod si Laurentio decessori deposito XII. Kal. Sept. ex eodem *Catalogo* nostro antiquissimo tribuantur anni Sedis XVIIII. & menses VII., retrogradientes deveniemus ad diem XXII. Januarii DLXXIII., quo die, utpote Dominico, inaugurari potuit Laurentius Episcopus. Itaque ante hunc diem defunctus certe fuerat S. Honoratus. Etenim, quum expungendum sit tempus Sedis vacuæ post ejus

(57) Vide sup. pag. 352. & not. (134) ibid. (58) Lib. 3. *Epist.* 26. Tom. 2. col. 642. *Ep.* 29. col. 644. *Ep.* 30. col. 645. *Ep.* 31. col. 646. Lib. 4. *Ep.* 1. col. 681. (59) Vide infra in not. pag. 386. nota (*) & not. Sect. XII.

mortem, & *Cautionis* a Laurentio exhibitæ, ut mox videbimus, aliquot intercessisse fortasse menses inter S. Honorati mortem & successoris Laurentii inaugurationem necesse est. Quo tempore expuncto, diem supremum Genuæ obiisse Honoratus dicendus est circa Novembrem anni DLXXII., cui sententiæ proxime accedit Pagius, qui ad hunc annum (60) Honorati obitum refert. Et licet ejus Sancti festum celebretur mense Februario, nos hac celebritate prosequimur non depositionis diem, sed translationis in Ecclesiam *S. Georgii* ad *Nocetam* in Agro Mediolanensi. Hoc loco Papebrochius credule nimium *Catalogi* ordinem sequutus, seriem Episcoporum nostrorum improvide turbavit. Non ausus nimirum *Frontum* eo loco, quo nos reposuimus, recensere, in annorum supputatione transversim actus novum Schisma commentus est Historicis nostris & toti Antiquitati inauditum post electionem Honorati. Censuit enim (61) *Frontum, Honorato fugiente, Mediolani superordinatum sacrilege, & ordinato rite Genuæ etiam Laurentio, perrexisse nihilominus titulum tenere Episcopi, ac tandem comprehensum Genuamque abductum ibidem obiisse anno DLXXXI.* Sic eximius ille Vir ut ordinem Catalogi, & numerum annorum cujusque Episcopi servaret, incredibilia plane per funes & machinas composuit, & nullius auctoritate testata. Quis porro tantæ auctoritatis Mediolani supererat Laurentii defensor, qui Episcopum ab Urbe tum Langobardis Arianis subjecta in Catholici Episcopi extra Regni fines positi jus & potestatem transferret? Omitto non sustineri hoc pacto XI. in *Fronto* Sedis, sed vitæ dumtaxat annos. Hæc omnia ingeniose excogitata fateor; sed veritati dissona serio expendentibus videntur, atque hac de causa unice coagmentata, ut *Frontum*

(60) Ad *Annal.* Baron. an. 581. num. 8. (61) *Exegesi* cit. num. 46. V. sup. p. 352.

XI. sedisse post Honoratum annos, & Genuæ sepultum juxta ordinem *Catalogi* comprobaret. Quanto rectius contra in nostra sententia omnia procedunt!

Laurentius II. in Antistitem Genuæ eligitur. Ante inaugurationem sacramentum fidelitatis, sive *Cautionem*, Romano Pontifici offert, a Gregorio tum Urbi Præf. subscriptam. Quid hæc *Cautio* contineret.

VI. Igitur, quo tempore de Successore in defuncti locum & Sedem sufficiendo Genuæ inter Clerum & Primores consultatio habebatur, facile in Laurentii electionem, utpote singulari virtute & moribus spectatissimi, omnium suffragia conspiravere. Romam delatum ocyus de facta electione nuncium fuisse verisimillimum est. Dissoluta jam enim inter Aquilejenses ac Mediolanenses mutuæ consecrationis consuetudine & dirempta Sedium propter Schisma societate, ut supra (62) innuimus ubi de Auxani electione & *Fronti* exauctoratione egimus, necessum erat, ut quotquot in Ecclesiæ Romanæ Unitatem consentirent Episcopi, ab eadem etiam consensum & consecrationis per *proprios Episcopos* (63) obtinendæ facultatem postularent. Id ipsum conjicio religiose servatum a Mediolanensibus electoribus Genuæ commorantibus in electione Laurentii. Verum, quum Aquilejense Schisma tunc maximas vires sumeret; & illius Ecclesiæ Pseudoepiscopus *Patriarchæ* (64) nomine superbe assumpto in Venetiæ ac Rhætiæ sibi subjectorum Antistitum consecrationem eum morem invexisset, ut a consecrandis *Cautionem* exigeret, sive jusjurandum, quo spponderent, se eidem fidei inhæsuros, quam Aquilejensis Consecrator (65) erga *Sanctam Remp.* (idest

(62) Vide sup. p. 353. & 366. & infra Sect. XII. (63) Vide S. Greg. *Epist.* recit. infra Sect. XII. cit. (64) Vide sup. p. 346. & infra C. II. Sect. IV. & V. & *Digress.* C. IV. Sect. VII. & IX. & C. X. Sect. VI. (65) Vide Schismaticorum libellum supplicem ad Imp. Mauritium ap. Baron. *Annal.* anno 590. n. 42. *Tempore ordinationis unusquisque Sacerdos in Sancta Sede Aquilejensi* Cautionem *scriptis emittimus* * *studiose de fide Ordinatoris nostri: nos fidem integram Sanctæ Reip. servaturos, quod ipse novit dominus, nos fideliter toto corde & servasse, & hucusque jugiter conservare.*

* Ap. Lup. Op. cit. col. 238. *studio & fide.*

(idest *Græcum Imperium*, ut interpretatur (66) de Rubeis) profitebatur: pari modo Romana etiam Ecclesia id ab inaugurandis Episcopis exigebat, ut *Cautionem* (67) scriptis consignatam exhiberent, qua se Unitati Romanæ Ecclesiæ adhærere testarentur. Atque hoc quidem potiori jure, quum pro Unitate Fidei tuenda tantum Romani Pontifices fortiter depugnarent, quantum Aquilejenses decertarent pro destruenda. * Hujusmodi igitur *Cautionem* Romanus Pontifex Joannes III. a Laurentio II. electo exegit, quum adhuc in Petri Cathedra sederet anno DLXXIII., ut invicte probavit Pagius (68) in criticis ad Baronium notis, & ex eo in *Italiæ Annalibus* (69) confirmat Muratorius. Ad delendam vero insitam ex Eruditorum omnium, qui de V.a Synodo egerant, animis opinionem; quod nimirum hujusmodi *Cautio* cogeret inaugurandos Episcopos celeberrimæ *Trium Capitulorum* condemnationi consentire, sufficiat legenti cuique recolere, quid a Firmino Tergestino, Episcopo Schismatico, ut Patres Maurini arbitrantur, exegerit S. Gregorius M. in formula reconciliationis ejusdem, exhibita in Appendice (70) S. Gregorii Epistolarum: *Jurans dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta Quatuor Euangelia ..... me in Unitate Ecclesiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio sum reversus, & communione Romani Pontificis semper & sine dubio permanere* &c. En igitur jurisjurandi formula, quæ a Schismatico resipiscente exigebatur, qui in *Tria Capitula* non consenserat. Cur igitur exactior, & cum

* A. DLXXIII.

(66) Op. cit. Cap. XXVI. num. 3. col. 229. C. Vide & Lupi *Cod. Diplom.* col. 238. (67) Vide sup. pag. 353. & 366. & infra ex ipsis S. Gregorii *Epistolis* 2. & 3. Lib. 4. relatis Cap. II. Sect. II. & III. Vide & *Epist.* 39. ad eund. Constantium Lib. 4. cit., quæ recitabitur ibid. Sect. V. (68) Ad ann. 572. nota 2. (69) Ad ann. 573. (70) Col. 1300. Opp. T. 2. Edit. Parif. 1705. cit.

ſpeciali eorum mentione a Catholico Epiſcopo poſtularetur? Hinc facile ſubſcribo Cl. Hieronymi a Prato ſententiæ, qui hoc ipſum aliis argumentis fuſius probavit in ea, quam ſupra (71) laudavimus, Diſſertatione. *Cautionem* hanc Laurentii ipſius nomine obſignatam *diſtrictiſſimam* fuiſſe, & ab ſe ipſo, quum *Præturam*, ſeu, ut in alio Codice (72) legitur, *Urbanam Præfecturam gereret*, *ſubſcriptam* una cum *nobiliſſimis Viris & legitimo numero*, luculenter teſtatur S. Gregorius, in ſua *Epiſtola* (73) ad Laurentii ſucceſſorem Conſtantium (*).

Alboin Ticino potitur: ibi Regni Sedem conſtituit. Langobardi in Italia debacchantur. Alboino interfecto *Cleph* ſufficitur. Et ipſe jugulatur. Tot Tyranni quot Duces Italiam miſere vexant. Caſſinenſis Monaſt. ruina. Liguria ab hiſce calamitatibus immunis.

VII. Haud læta inaugurato Laurentio initia Pontificatus fuere, acciſa nimirum ſpe omni Patriæ repetendæ. Paulo antequam conſecraretur hic Pontifex, Ticinenſem urbem trienniali obſidione (74) cinctam in deditionem (75) acceperat Alboinus, ibique ſolio collocato (76) nutans adhuc Regnum confirmaverat. Ex tam felici

---

(71) Pag. 353. & nota (136) ibid. (72) Vide notam ad S. Greg. *Epiſt.* 2. Lib. 4. T. 2. col. 682. (73) *Epiſt.* 2. L. 4. cit. col. 681. (*) Citatæ *Epiſtolæ* teſtimonio ſi auctoritas acceſſerit vetuſtiſſimi *Catalogi* noſtri, quum hic plane annos XIX. & menſes VII. (V. ſup. pag. 382., & infra Sect. XII. in not.) Laurentii ſedis, illa Ejuſdem obitus epocham deſignent; percommode ex utroque ſimul deducitur & ejuſdem Gregorii Præfecturæ tempus, & diuturna vita in S. Andreæ Monaſterio exacta. Nam, quum vere ſcribat Gregorius, ſe Præfecturæ munere fungi, cum Laurentius *Cautionem* juratus emiſit, illius Præfectura debet incidiſſe in annum 572. aut ineuntem 573., ex quo progredientes uſque ad menſem Auguſtum anni 592., quo obiiſſe jam vidimus (ſup. p. 292. & infra Sect. XII.) Laurentium, mire conciliantur ſupradicti ejuſdem ſedis anni. Quo Præfecturæ tempore conſtituto, reliquos Gregorius annos uſque ad 579. (*Art de verif. les Dates.* V. *Gregoire*; & Murat. ad hunc an.) quo Conſtantinopolim Romanæ Sedis Apocriſiarius a Pelagio II. miſſus eſt, certe in Romano S. Andreæ Monaſterio exegit, quibus & duos Abbates, Valentinum ſcilicet & Maximianum, de quibus meminit *Dial.* L. 3. & 4., noſcere & colere potuit Monachus jam factus, ut fuſe probat Pagius in not. ad Baron. ann. 581. nota 4. Baronius vero (an. cit. num. 6.) in errorem inductus fuit Tabula Archiepp. Mediol. Galeſiniana in *Actis Eccl. Mediol.* inſerta, in qua XII. tantum anni Sedis Laurentio tribuuntur. (74) Vide ſup. pag. 372. (75) Paul. Diac. Lib. 2. C. 27. Ticinenſium deditionem opinatur eveniſſe Muratorius exeunte anno 572., aut fortaſſe ſubſequentis initio (Vide *Annal.* ad hunc an 572. init.). De dominationis vero Alboini epocha vide ſup. p. 372. cit. nota (14). (76) Herm. Contr. in *Chron.* ap. Murator. ad an. 573. pag. 487. init.

eventu corroborata Barbarorum ferocia in omnes Italiæ partes multo impotentius imminebat; unde nec maritima Liguriæ ora metu vacare poterat, exundantibus libere ad Latium usque Langobardis. Imperitia (77) tamen fortasse locorum, & difficiles in montes accessus sartam ab hostium injuriis tectamque eam regionem servarunt quoad Laurentius vixit; licet ipse ob Regni Langobardici varias easque semper immanes vices in maxima semper fuerit trepidatione versatus. Nam paulo post, & fortasse eodem anno (78) DLXXIII., quum Alboinus Rosimundæ uxoris jussu, astu nefario, & insidiis crudeliter interfectus fuisset, *Cleph* ex ea gente nobilissimus ad regiam dignitatem Ticini a Primoribus Regni evehitur; qui, ut Pauli Diaconi (79) verbis utar, brevibus quidem, sed vehementissimis, *multos Romanorum Viros potentes alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbavit*. Itaque quum *Cleph* virtute cederet Alboino, hunc facile superavit feritate. Verum brevi eoque sævitiarum plenissimo regno defunctus post menses VIII., vacuum quidem Italiæ Imperium Ducibus reliquit * exeunte anno DLXXIV., vel initio subsequentis (80) a familiari suo (81) jugulatus. Hinc hydræ more tot Tyranni Italiam miserrime vexaverunt, quot ipsa numeravit Duces, scilicet plusquam (82) XXX. Paulus ipse Catholicus, sed Langobardus, suæ gentis vitia dissimulaturus paucis verbis omnia complectitur: *Spoliatis* (83) *ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia ex maxima parte capta & a Langobardis subiugata est*. Quin

*An. DLXXIV. vel DLXXV.

(77) Vide infra pag. 389. & sup. p. 372. & loca citt. in nota (16) ibid. (78) De anno hujus Regis obitus dissentiunt valde Historici. Consule Murator. ad hunc ann. (79) Lib. 2. Cap. 31. (80) V. Murator. ad ann. 575. init. (81) Paul. Diac. Lib. 2. Cap. 31. cit. (82) Paul. Diac. L. 2. C. 32. (83) Cap. 32. cit.

etiam ad hæc tempora referendam esse Eruditi existimarunt Monasterii Cassinensis eversionem, quam Paulus Diaconus (84) extra ordinem posuit. Hæc satius innuere est, quam enucleare; præsertim quum fusius ea mala describat (85) Gregorius Magnus in *Dialogis* & *Epistolis*, & Card. Baronius ad annum DLXXIII. num. IV. & V. Qui autem recolere velit, Langobardorum exercitum ex Ethnicis, Hæreticis, & pessimis Christianis fuisse conflatum, facile assequi poterit vulnera Catholicæ Religioni ab illis prædonibus illata, quin ea verbis refricemus. Igitur Triginta & amplius Ducibus ad clavum Langobardicæ, ut ita dicam, Reip. sedentibus, quum singuli amplificandis ditionis suæ finibus impense inhiarent, incredibile dictu est, quam continenti belli incendio omni ex parte conflagraverit tota ferme Italia. Hinc per Thusciam in Romanum agrum exundabant Barbari: inde in Campaniam populabundi progrediebantur, cædem ac ruinam Neapolitanæ civitati minitantes: quá Romanos viciniarum urbium invasione intra patriæ mœnia compulsos immaniter urgebant: quá Faroaldus Spoletinus Dux (86) ausus est Sedem ipsam Imperii Græcorum Ravennam injuriis omnibus belli lacessere; captoque Classensi Portu & exciso, Exarchi Longini Ravennæ inclusi oculos tristi incendii & direptionis spectaculo verberare. Liguriam certe nostram Superi fortunavere. Nam quæ pars nostrorum in Mediolanensi Urbe & agro substiterant, quum se Alboino jam dedidissent, hisce fuit calamitatibus immunis, ut nuper recitata Pauli verba testantur. Quæ vero, & major pars in terras confugerat maritimas, quó longius a metu aberat, có felicius calamitatem evasit.

(84) Lib. 4. Cap. 18. Vide Horat. Blanci not. 62. ibid. V. Murat. ad an. 582. pag. 511.
(85) *Dial.* L. 3. C. 29. & 38. Id. L. 5. *Ep.* 21. 39. 40. 41. L. 6. *Ep.* 60. L. 8. *Ep.* 22. L. 13. *Epist.* 38. V. sup. p. 372. & nota (17) ib. (86) P. Diac. L. 3. C. 13. Lege ibid. notam (93).

Interim Laurentius Genuæ pacifice ſedet. Liguria Langobardor. furore perſeverat immunis. Infelices ipſorum in Gallias expeditiones.

VIII. Hæc itaque erat miſerrima Italiæ facies toto illo Langobardici Interregni decennio, quæ Genuenſe Laurentii Epiſcopi noſtri, civiumque Mediolanenſium gratum ferme atque Italis invidendum efficiebat exilium. Ibi enim, Deo ita providente, inter tot malorum ceteris in partibus graſſantium procellas quieta omnia atque tranquilla. Paſtorali ſollicitudini, nullo turbante, datus locus; & in rebus ubique trepidis Gregi divinitus proviſa ſecuritas: Etenim, quum brevi, licet difficili, aſcenſu poſſet Taurinatium Dux in maritimam Liguriæ partem ſiniſtrorſum deſcendere; ſive Deo ducente, ſive locorum & montanarum partium, uti (87) diximus, imperitia, una cum eo reliqui Duces audaciori, ſed infeliciori, conſilio Francos atque Burgundiones dextrorſum aggredi conſtituerunt. Per Nicæenſem primum ditionem (88) Gallias ingreſſi Langobardi bellum cum ingenti relata præda feliciter auſpicati, poſtmodum (89) male ab Ennio, cognomento *Mummulo*, Guntramni Regis Duce mulctati ac victi, ab Ebredunenſi regione regredi in Italiam coacti ſunt. Iterum * autem tentata belli aleâ; tres eorum Duces (90) Amo, Zaban & Rhodanus novis populationibus Francos laceſſebant, atque iterum victi fuerunt; Rhodanus quidem, ad Gratianopolim vulneratus, per montes confugit ad Zaban, quocum iterum ſe conjunxit. Ambo per Ebredunenſem regionem quum ad Secuſium palabundi veniſſent, ſeminſtulati, omni præda amiſſa, vix in Italiam reverſi ſunt, in quam felicius, non tentato ſecundo bello, ſe prius Amo receperat. Sed de his fuſius Paulus in ſuæ Hiſtoriæ Langobardicæ Libro III. Sic Superis bene juvantibus & amicam veluti porrigentibus manum, ſervata maritima Liguriæ pars a bellorum injuriis & laqueis, in quos in-

* A. DLXXVI.

(87) Sup. pag. 387. & nota (77) ibid. (88) Paul. Diac. Lib. 3. cit. Cap. 3. Murat. ad ann. 575. (89) Ibid. Cap. 4. (90) Ibid. Cap. 8. Murator. ad ann. 576.

Irriti Mauritii Aug. conatus adversus Langobard. Romam obsidentes, adjuvantibus licet Pelagio II. Rom. Pontif., & Laurentio Mediol. Autharis post Duces Rex eligitur. Childeberti Regis ad Laurentium *Epistolæ* exemplar.
* A. DLXXIX.
* A. DLXXXIV.

vicem improvidi se maxime induerunt Langobardi Duces. Fovere interim Pastorali sollicitudine Laurentius dispersum Gregem nunquam destitit, atque instar Mosis orans, alienis manibus Amalec debellabat. Contra * Pelagius II. Romanus Pontifex Romæ a Barbaris obsessæ miseratione commotus, legatione Constantinopolim missa, precibus Tiberium Constantinum Aug. fatigabat (91) ut totius belli molem, quo implicitus erat, a Persis in Langobardos transferret; verumtamen irrita ejus vota, quoad vixit ille Augustus, reciderant. Sed repetitis felicius ad Successorem, ejusque generum Mauritium (92) obsecrationibus, id tandem pervicit, ut ad afflictæ Italiæ calamitates animum atque oculos adjiceret. * Hinc (93) cum Childeberto Francorum Rege pacta pecunia, atque icto fœdere, ad liberandam Barbarorum jugo hanc Provinciam solerter licet incumbere Augustus videretur, & Pontifex Pelagius urgeret; importunæ a Smaragdo Exarcho firmatæ cum Authari Rege, tum nuper a Langobardis (94) electo, induciæ (95) utriusque vota eluserunt. Exstant apud Rerum Francicarum Collectores ultro citroque missitatæ Mauritium inter & Childebertum litteræ, in quibus de eximenda a Langobardorum vi Italia agitantur utrinque consilia. Quas inter mirifice in rem nostram facit ea, quæ ejusdem Childeberti nomine *Laurentio Patriarchæ* inscribitur, Antistiti scilicet (96) nostro, qui tum in Genuæ urbe adhuc Græcis subjecta versabatur. Recita (97) *Epistolam*.

---

(91) Menandr. Protector. ap. Murator. ad an. 579. init. (92) Ap. Labbé *Concil.* T. 5. col. 938. *Epist.* 3., ad Greg. Diac. tunc Rom. Sedis Constantinopoli Apocrisiarium, deinde Summum Pontif., data IV. Non. Oct. Ind. 3. scilicet 584. Vide & Murat. ad hunc an. (93) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 17. Vide infra pag. 392. (94) Id. Lib. 3. Cap. 16. Vide & Murator. ad an. 584. (95) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 18. Murator. ad an. 584. in fine & 586. initio & 587. p. 522. (96) Murat. ad an. 584. (97) Ap. Du-Chesne T. 1. p. 874. num. XLV. It. ap. Mart. Bouquet T. 4. p. 90. *Epist.* LXIX.

Ad Patriarcham Laurentium,
De Domini nomine

„ Beatæ opinionis ubique cursum meritis extendentes, certantes
„ beatum Martyrem æquiparare sicut nomine, sic mercede, ut
„ per Vos totus hic ille redeat, cujus adepti estis vocabulum,
„ qui sacrosanctæ Ecclesiæ sic dispersit numismata, ut census effu-
„ sione per pauperes augmentaret talenta, ad Nos usque bonum
„ tanti operis divulgante: gratias referimus supernæ Clementiæ,
„ quæ Vobis illud contulit, quod multis hic est in munere, &
„ Vobis singulariter futuræ gloriæ tempore proficiat ad mercedem.
„ Quapropter sancto Apostolatui Vestro salutationis officia depen-
„ dentes, commendatione prælata, & ut Nostri in sacris interces-
„ sionibus Vestris memores esse dignemini, fiducialiter obsecran-
„ tes, speramus, ut, quia divina Clementia ea nos ætate corro-
„ borat, ut Catholicæ parti nostræ non desint * solatia, juxta * i. e. auxilia
„ votum Romanæ Reip., vel sacratissimi Patris nostri Imperatoris
„ in Italiam direximus adversus gentem Langobardorum religioni
„ ac fidei iniquissime perfidam. Vestra sollicitudine ad Virum
„ præcelsum Smaragdum Ravennæ jubete celeriter nuntiare, ut
„ & pars Reip. in quo per ipsum valet solatium armatorum in-
„ ferre super hostes festinet, & quantum Dominus præceperit,
„ quod potest fieri in præsenti, non moretur. Quod fuerit vero
„ residuum, si Christo placuerit, adveniente anni futuri tempore
„ optamus exercitum in Causa dirigere, quatenus manus Domini
„ gentem exsecrabilem, Vobis exorantibus, dignetur elidere, quæ
„ injuria Sanctorum & morte suorum Fidelium, sanguinis effusio-
„ ne manus crudelitatis armavit. Hoc etiam sperantes, ut ipsi
„ præcelso Smaragdo de nostris legatariis jubeatis pariter nuncia-
„ re, ut tam Vestra, quam Ejus ordinatione, quam celeriter ad

„ locum destinatum Imperialis Urbis festinent accedere, & ad „ Nos (Christo præsule) quæ opportuna mandata sunt, renuntiantes velociter, siqua restant; pacis studio (divinitate propitia) communiter explicentur “.

Hæc Epistola apprime Laurentii merita deinde priorem Francorum in Italiam adversus Langob. expeditionem commemorat. Toto Autharis regno Liguria ab Græcorum & Francorum armis nunquam quiescit. Authari regnante viget adhuc in circumjacentib. Liguriæ urbibus Ducum dominatio.

IX. Ex hac Epistola tum fama Laurentii nostri per Gallias pervagata manifeste tenetur; tum Illius in miseros pietas cum cognomine Sancto Laurentio comparata celebratur; ac denique similia Pelagii votis studia Episcopi nostri declarantur pro Italiæ libertate ex Barbaris redimenda. Verum, quum in ea Childeberti Epistola mentio *Smaragdi* injiciatur, loqui Rex videtur de ea in Italiam Francorum expeditione, quam ipse cum Mauritio Augusto pecunia interveniente, uti diximus, pepigerat (98) anno DLXXXIV., quæque nullum Italis emolumentum, maximum vero ipsi Childeberto attulit. Namque quum Italiæ libertatem pretio L. millium auri pondo a Francis emisset Augustus; ex adverso Franci a Langobardis nova accepta pecunia mercati iterum Italiæ servitutem a nostra Provincia intactis hostibus recessere. Hoc unum saluti fuit Italiæ, quod tanto belli periculo edocti Langobardi, divisas Regni vires impares externis bellis fore, in unum totius Imperii robur colligere decreverunt, novoque Rege, scilicet *Authari*, uti jam supra (99) innuimus, electo, Remp. unius potestati submittere, ex quo, tanquam ex Capite, in totum Regni corpus vis atque consilium emanaret. Sic Cl. Muratorio visum est statuere, eaque de causa Autharim Clephonis filium, manu atque animo promptissimum juvenem Regia dignitate donatum narrat ad hunc

(98) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 17. cit. Vide sup. pag. 390. De altera quippe & tertia Francorum contra Langobardos expeditione narrat Paulus Cap. 28. & C. 30. & Muratorius *Annal.* ad ann. 588. & 590. (99) Pag. 390. cit.

hunc annum DLXXXIV. in *Annalibus*: licet in posterum vexatos identidem Francorum armis Langobardos nunquam omnino quievisse, nisi ad annum DXC., Autharis vitæ postremum, testantur (100) Gregorius Turonensis, & (101) Paulus Diaconus, qui aliquot post novum electum Regem narrant Francorum adversus Langobardos certamina. Hinc crebras apud Du-Chesnium (102) legimus Childeberti & Brunichildis ad Mauricium Aug. aliosque Imperii Proceres missitatas *Epistolas*, quibus eorum animos subdole pertentabant, ut pace prius inter Romanos & Francos firmata, & promissis auxiliis, in Langobardicæ gentis perniciem acrius conspirarent. Adeoque necesse est suspensam semper inter spem libertatis, & servitutis metum fuisse Liguriam, & cum ea Laurentium nostrum Episcopum, atque incentorem belli Pelagium II. Quorum uterque, quoad vixere, tanto conatu atque spe dejecti, nullibi Italiam respirasse a Langobardorum jugo semper doluerunt; si paucas Æmiliæ & Venetiæ urbes & castra excipiamus, quæ crudelius a Francis habita, quam a Langobardis fuerant, ut S. Gregorius in citatis Epistolis dolet, & ipse Mauritius (103) apud Childebertum fuit conquestus. Quum autem crebra Ducum mentio occurrat apud Paulum Diaconum post dejectos XXX. Duces a Regni Langobardici administratione, jamque Authari universæ Nationis Rege constituto; operæ pretium est observare cum eodem Paulo, non omnino obliteratum Ducum nomen fuisse post Regnum iterum a Langobardis renovatum. Quum enim vigeret in posterum

(100) *Hist. Franc.* Lib. 9. Cap. 20. ad ann. 588. ap. Mart. Bouquet T. 2. pag. 346. B. It. Cap. 25. ad eund. ann. ibid. pag. 348. It. Lib. 10. C.p. 3. ad ann. 590. pag. 265. D. (101) Lib. 3. Cap. 17. 22. 28. & not. 171. ibid., Cap. 30. & 33. (102) Op. cit. T. 1., it. ap. Mart. Bouquet Op. cit. T. 4. pag. 82. & seqq. (103) Ap. Du-Chesne *Epist.* 39. T. 1. p. 870. & 871. It. ap. Bouquet T. 4. cit. pag. 86. *Epist.* 63.

Regium nomen & auctoritas, retentos video Duces extra planam Liguriam, in qua Regalis etiam Sedes collocata fuerat: video hinc & inde dispositas alias Ducum in nobilibus Urbibus stationes, quæ meditullium Regni circumjacentes ad ipsius defensionem veluti invigilarent. Hinc ad Alpes maritimas Astensis atque Taurinensis excubabant Duces: ad Tridentinas & Carnicas Tridentinus & Forojuliensis: in Venetia interiore Brixianus & Bergomensis: contra Flaminiam & Græcos Thusciæ, Beneventi, Spoletique Duces erant Langobardis præsidio. Horum sæpius in ipsius Pauli Historia aut per seriem identidem retextam, aut pro re nata mentionem (*) injectam videmus.

(*) Paulus Diac. Lib. 3. Cap. 16. vix enarrata Regis Autharis electione sic prosequitur: *Hujus in diebus* (scilicet Autharis) *ob restaurationem Regni Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem regalibus usibus tribuunt, ut esse possit, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur.* Præter *Majores* Duces (ut Muratorius appellat, *Antiq.* T. I. *Diss.* V. p. 149.) *quorum imperio suberant plures Civitates, seu integræ Provinciæ*, Forojulienses scilicet, Spoletanos, ac Beneventanos, a Paulo passim memoratos (quorum series ab Alboini adventu usque ad seriorem ætatem producitur post Francorum dominationem apud Chronographos Maurinos) quot erant Langobardorum civitates, totidem pene erant Duces qui *Minores* ab ipso Muratorio nuncupantur, *quibus una civitas regenda ac defendenda tradebatur*. Ait enim Paulus Lib. 3. Cap. 8. *Unusquisque Ducum suam Civitatem obtinebat. Zaban Ticinum* &c. Hos juvat hic singulos a Diacono, vel ab aliis enumeratos recensere. *Amo*, *Zaban* jam dictus, & *Rhodanus tres Langobardorum Duces*, L. 3. C. 8. cit. = *Taurinenses* Duces, *Agilulf*, Rex Langob. Lib. 3. Cap. 29. *Charoaldus* (scil. Arioaldus Rex Langob.) ap. Fredegar. in *Chron.* num. XLIX. in Paul. Diac. nota 217. p. 469. *Garibaldus* ib. Lib. 4. C. 53. & *Ragumbertus* Rex Langob. Lib. 6. Cap. 18. = *Tridentini* Duces, *Euin*, Lib. 2. Cap. 32. & alibi, *Gaidoaldus* Euini successor, ibid. Cap. 11. & *Alachis* Lib. 5. Cap. 36. = *Minulfus* Dux *Insulæ S. Julii* Lib. 4. Cap. 3. = *Bergomenses* Duces, *Vuallari* Lib. 2. Cap. 32., *Gaidulfus* Lib. 4. Cap. 3., & *Rotharis* Lib. 6. Cap. 18. = *Tarvisinus* Dux, *Ulfaris*, Lib. 4. Cap. 3. = *Perusini* Duces, *Maurisio*, vel *Mauritio* Lib. 4. Cap. 8., & *Agatho* Lib. 6. Cap. 54. = *Veronensis* Dux, *Zangrulphus*, L. 4. C. 14. = *Parmensis* Dux, *Godescalcus*, L. 4. C. 21. = *Astensis* Dux, *Gundoaldus* Theudelindæ germanus, L. 4. C. 41. = *Brixiæ* Duces, *Alachis* Lib. 2. Cap. 32., *Gaidoaldus* L. 6. C. 50., & *Rotharis* Rex Langob., ap. Maurinos, *Art de verif. les dates* = *Vicentinus* Dux, *Peredeo* L. 6. C. 54. = *Gummarith* alter *Langobardorum Dux crudelissimus* a Gregorio M. memoratur ad *Populonium* Etruriæ, *Dial.* L. 3. C. 11. Consule Murat. *Annal.* ad ann. 576. & 598. & *Antichità Estensi* Cap. 1. P. 1.

Schismatici Aquilej. vires resumunt, Severo Patriarcha impellente, favente Mauritio Aug., Anthari Rege Istriam & Insulam *Comacinam* depopulante. Hujus cum Theudelinda nuptiæ: ferox ingenium. *A.DLXXXVII

X. * Tristiora interim Laurentio e Liguria afferebantur quotidie nuncia, Schismatis scilicet Aquilejensis impune & liberius serpentis, imo grassantis. Etenim, quum Pelagius II. favore Exarchi Smaragdi (104) sustentatus impetrasset, ut Severus Patriarcha in Grado Insula degens, Ravennam evocatus Schisma per vim ab Exarcho illatam potius, quam voluntarie ejuraret; hic postea dimissus & ad propriam Sedem reversus, coacto (105) Episcoporum suorum Concilio, cuncta Ravennæ acta rescidit; simulque consentientes Schismatici Antistites (106) supplicem Mauritio Aug. libellum obtulere, quo ejus patrocinium contra Smaragdi vim implorabant. Hinc (107) confirmata Schismaticorum audacia & longius progressa videbatur; nam & Autharis (108) jam * Istriam populabundus pervaserat, & ab *Insula Comacina* capta, & ingenti præda abacta, Francionem (109) expulerat veteranum Narsetis Ducem, qui in munitissimo tunc temporis loco per annos XX. Langobardorum furorem tutus eluserat. Ex Mauritii favore & Autharis bello latius disseminabatur Schisma, & in Liguriam proximam imminebat; quô etiam permanasse regnante Agilulpho, inferius (110) videbimus. Neque * consequutæ post hosce belli turbines Autharis cum religiosissima, & Catholicis addicta Theudelinda Bajoariorum Ducis, vel Regis, Garibaldi filia (111) Laurentium nu-

* Anno DLXXXVIII.

*A.DLXXXIX

(104) Paul. Diac. L. 3. C. 6. Baron. ad. an. 586. n. 86. Murator. ad an. 587. Vide & De Rubeis *Monum. Eccl. Aquil.* Cap. 29. num. 2. qui hanc Smaragdi vim Severo illatam refert & ipse ad an. 586. Vide infra Cap. II. Sect. IV. & Cap. IV. *Digress.* Sect. IX. sub fin. (105) Paul. Diac. ibid. De Rubeis ibid. col. 258. refert hoc *Marianense Concilium* ad an. 587. Murat. ad 588. Vide & infra Cap. IV. *Digress.* Sect. IX. citt. (106) *Libell. Schismaticor.* ap. Baron. in App. ad T. 4. *Annal.* & ap. De Rubeis Op. cit. Cap. 31. num. 3. col. 237. (107) Vide infra Cap. IV. *Digress.* Sect. V. & seqq. (108) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 26. cit. Murator. ad ann. 588. sub finem. Vide infra Cap. IV. *Digress.* Sect. IV. (109) Vide infra Cap. IV. *Digress.* Sect. III. & IV. (110) Cap. II. Sect. II. & seqq. (111) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 29.

Pelagii I. obitus. Impium Antharis Edictum; opportuna mors. Theudelindæ cum Agilulpho conjugium Catholicis propitium. Ambo Reges salutantur a Langobardis.
* An. DXC.

ptiæ Episcopum nostrum consolabantur, quæ ferocissimo Viro copulata Catholicam Fidem in sinu fovens, inspirare tamen ejusdem amorem marito non poterat, juveni præfervido, & in Ariana hæresi ab incunabulis educato. Inter hasce tam tristes rerum vicissitudines decessit Pelagius * anno DXC. die VIII. Februarii, qui vere felicius decessisse dicendus est, quam Laurentius noster supervixisse ad sequens biennium. Vix enim ad Superos abierat hic Summus Pontifex, cum Paschate subsequenti (112) ferale Edictum Rex Autharith proposuit, quo Langobardorum filii in proxima illius festi celebritate ritu Ariano non expiari, sed pollui jubebantur. Facile est præjudicio nostro occupare acerbissimum dolorem, quem certe ex tam impio Edicto conceperit nostri Laurentii animus, quum videret sepositam Mediolani Gregis sui partem non solum Regis ferociæ obnoxiam, sed etiam accisam funestissima hac lege Ovilis augendi spem; quum per Baptismum aditu Ecclesiæ Langobardorum filii arcerentur. Lenivit tamen, ne dicam absterfit, dolorem Pastoris, quæ paucis post mensibus, scilicet (113) Nonis Septembris, Ticini contigit mors Autharis, veneno extincti, & Genuam inde per nuntios allata; quam divinitus contigisse intempestivo Langobardis tempore, utpote in flore Regiæ ætatis, scribit Gregorius Libri I. *Epistola* XVII. Post hujus, inquam, ut Gregorius idem (114) vocat, *nefandissimi* Regis mortem auspicatiora jam tandem Religioni Catholicæ tempora in primaria Liguriæ Urbe Mediolano advenire videbantur, quæ, remotis procellis atque turbinibus, serenitatem nisi omnimodam, saltem aliquam per intervalla spondebant. Signum sustulerat Fidei Ortho-

(112) S. Gregor. M. in *Epist.* 17. Lib. I. infra cit. Cap. III. Sect. IV. (113) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 34. (114) *Epist.* cit.

doxæ ad bene ſperandum Deus Opt. Max. eo plane tempore, & teſtatum fecit, tum maxime ſe Eccleſiæ ſuæ præſto eſſe, cum præſentiſſime videbatur deſperandum. Nam exinde a Bajoariæ gentis in Regnum Langobardorum ſucceſſione, ut deinceps obſervabimus, non ſolum a Langobardica natione hæreſis atque ethnicæ ſuperſtitionis labes fuit abſterſa; verum etiam Chriſti Religio fuit invecta, & mirifice demum, Liutprandi potiſſimum Regis exemplis & magnifica pietate, illuſtrata. Superſtes Authari marito vidua Theudelinda, miti admodum ingenio, compoſitiſque, atque ad eam, quam profitebatur, Fidem accommodatis moribus, præſertim nativa indolis ſuavitate, Langobardæ, cui inſita erat, gentis animos non ſolum demulſerat, verum etiam ita ſibi devinxerat, ut ferociſſima illa natio (115) vacuum viduæ Reginæ ſolium offerret; data tamen eligendi ſibi novi Conjugis optione, pollicita, eum ſe loco Regis habituram, quem Ipſa thalamo ſocium deſtinaſſet. Quæ, ne Viri furorem adhuc pati, & in ſinu præfocare Fidei femina cogeretur, Catholicæ Religioni non adeo inimicum Principem *Agilulphum* ſeu *Agonem* (utroque enim nomine (116) apud ejus Ævi Scriptores appellabatur) Taurinatium (117) Ducem in maritalis thori Regnique ſocietatem adſcivit, qui demum etiam Religionem noſtram amplexus eſt. Quumque hic evocatus Reginæ ad Laumellum in Agro Papienſi occurriſſet, in Regiam ambo venientes a Ticinenſibus Reges futuri ſalutabantur

(115) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 34. cit. (116) Vide Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 1. Fredegar. *Chron.* Cap. 34. S. Columb. *Epiſt.* infra cit. Cap. III. Sect. IX. ſub fin. S. Greg. *Epiſt.* recit. infra pag. 406. (117) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 29. *Agilulf Dux Taurinenſium Civitatis.* In *Prologo Leg. Rotbar.* inſ. *Rer. It. Scr.* T. 1. P. 2. pag. 17. *Agiliup Thuringus ex genere Anauvat.* Hinc Familiarum cognomina jam in uſu apud Langob. fuiſſe ſuſpicatur Carolus Tenivellius, *Biografia Piemonteſe*, *Decade Prima* pag. 24. Edit. Taurini 1784. in 8. Vide infra Cap. V. Sect. VIII. in nota (*).

* An. DXCI.

ineunte Novembri anni DXC. Sed * subsequente anno convocatis Regni universi comitiis, mense Majo Regnum gentis totius administrandum Agilulphus communi omnium suffragio, publice, maxima cum celebritate, a Primoribus, accepit in Mediolani Urbe, non solum Liguriæ, ut (118) diximus, *primaria*, sed eo etiam tempore clarissima (licet Ticini constituta Regia Sede propter munitionem loci) atque ob suam amplitudinem Regni Procerum conventui magis accommodata.

Agilulphi & Theudelindæ regni initia pacatissima. Firmata cum Childeberto pace, captivis redemptis, rebellibus Ducibus vel mulctatis, vel conciliatis, in Græcos bellum transfertur.

XI. Pacifica admodum & belli expertia videntur fuisse auspicatissimi hujus regni exordia; & tutum porro Religioni nostræ tum, hisce regnantibus, asylum ipsa S. Gregorii *Epistola* XVII.[a] Libri I.[i] *Ad universos Episcopos Italiæ* inscripta declarat; ad eos scilicet, qui in Mediolanensis Provinciæ juribus continebantur, *ut Langobardorum filios in Ariana hæresi baptizatos* (nimirum ex anni superioris DXC. Edicto ab Authari promulgato) *ad Catholicam Fidem concilient*. Sub ipsis igitur Regibus locus erat Pastoralibus Catholicorum Episcoporum curis, vigebat reverentia erga Romani Pontificis Edicta. Terror vero feralis Regii Decreti omnino sublatus videbatur; ipso S. Doctore libere ad eos conscribente: *Quos ergo potestis, admonete, quanta virtute valetis; eos ad Fidem rectam suadendo rapite, æternam eis vitam sine cessatione prædicate*. Quum enim Childeberti Francorum Regis (119) ab Mauritio Aug. commoti bellum iterum in Langobardos ferveret, quumque Autharis legati ad Childebertum (120) missi perniciosum initum cum Mauritio fœdus dissolvere conarentur, & interpositis Guntramni Austriæ, seu Galliæ Orientalis, Regis officiis de pace agerent; intempesti-

(118) Vide sup. p. 353. & nota (139) ibid. (119) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 30. Murat. ad an. 599. (120) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 33.

va mors Autharim intercepit. Quare alii (121) legati illico in Gallias missi, qui id Childeberto nunciarent simulque Langobardorum omnium vota pro pace concilianda exponerent. Qui id tandem pervicere, ut a bello rursus movendo Franci abstinerent. Hinc (122) misso cum pecunia legato Agnello Tridentino Episcopo, prima optimorum Regum cura in hoc versata est, ut Langobardi superiore bello abducti in captivitatem partim pacto pretio redimerentur, partim Brunichildis magnificentia dimissi in patriam, sive Liguriam, redirent. Nova deinde Euin Tridentini Ducis Regio nomine missa legatio ita Childeberti animum delinivit, ut veterum illatarum vicissim injuriarum oblitus perpetuam cum Langobardorum Rege pacem firmaret. Sedato externo bello, sua novus Rex ad comprimendos rebelles Duces illico studia convertit; quorum nonnullis (123) propter pertinaciam capite mulctatis, aliis in gratiam receptis, totam belli molem (124) in Græcorum urbes transtulit, quibuscum nec solidam inire pacem, neque duraturas inducias propter Exarchorum perfidiam pacisci unquam potuerat.

Laurentii Pastoralis sollicitudo. Hic Præsul Genuæ moritur. Quanto tempore Sedes vacaverit. Constantius succedit. S. Gregorii jussu Genuæ consecratur. Ejusdem Rom. Pontif. de Constantii electione, & laudibus *Epistola*.

XII. Sed, ut ad Laurentium redeam, hic in tam varia rerum fortuna nihil tamen quicquam a Pastorali remittens sollicitudine & Ecclesiæ Mediolanensis bona (125) in Sicilia tueri studuit, & Cleri sui disciplinam servare. Testes Pastoralis hujusmodi diligentiæ sunt geminæ S. Gregorii litteræ, quarum prima est LXXXII.[a] Libri I. Indictione IX. (quæ incipit a Septembri anni DXC.) pro tuendo Mediolanensis Ecclesiæ in Sicilia patrimonio; altera XXVI.[a] Libri III., quæ *Magno Presbytero Mediolanensi* inscribitur: qua postrema docemur, hunc a Laurentio communione privatum, &,

(121) Id. Lib. 3. Cap. 34. (122) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 1. (123) Ibid. Cap. 8. (124) Ibid. Cap. 8. (125) Vide sup. pag. 256, & loca citt. ibid. nota (*).

mortuo interim hoc Præſule abſolutionem a Romano Pontifice poſtulaſſe. Et licet obtenderet in precibus ſuam innocentiam hic presbyter; non tamen omnino eam probaſſe Sancto Pontifici viſus eſt ad eundem ſcribenti: *quatenus culpam, ſiqua eſt in te, propter quam Dominici Corporis & Sanguinis communione fueras privatus, vel latens in te inventa eſt, tuæ fidei puritate detergas*. Poſt diutinum tandem ac *bonum certamen curſum conſummavit* Præſul noſter vigilantiſſimus. Ex tempore igitur, quo data fuit hæc ipſa, quam nuper citavimus, S. Gregorii *Epiſtola*, menſe ſcilicet Aprili, Indictione XI. (anni DXCIII.) & ex *Catalogo* noſtro (126) aperte
* An. DXCII. teſtante, Laurentium * obiiſſe XII. Kal. Sept., conſtat ex hac vita Genuæ migraſſe præcedenti anno DXCII. (127) atque ante ſucceſſoris Conſtantii electionem Ambroſianam Sedem Genuæ vacuam fuiſſe, tot ſaltem ſcilicet menſes, quot a die XXI. Auguſti
* An. DXCIII. ejuſdem anni uſque ad * inſequentis Aprilem effluxerant. Nam in ipſis ad Magnum datis abſolutionis litteris illum monet, *ut Clerus & Populus ad eligendum nullatenus diſſentiant Sacerdotem ..... ne in diverſis ſtudiis damnum eccleſiaſticis rebus eveniat*. Hoc primum ſerió, & eodem fortaſſe tempore inculcat *Epiſtola* XXIX.[a] ejuſdem Libri III.[ii] *ad Presbyteros & Clerum Mediolanenſem* inſcripta, paternis monitis referta pro concordia ſuffragiorum impetranda, & linenda cedro, atque Apoſtolico Parente digna. In altera vero, ſcilicet XXX.[a], in mandatis dedit Joanni Subdiacono, ut Genuam ſe conferens ſingulorum ſuffragia exploret, qui ſi in Conſtantium con-

(126) In noſtro *Catal.* ſic: *Laurentius ſedit an. XVIIII. m. VII. Ob. XII. Kal. Sept. Sep. eſt in Genua ad ſcm̃ ſyrum. vix. annis LXXXVI.* In *Catal.* Murat. T. 4. *ann.* LXXXII. In altero T. 1. P. 2. de vitæ tempore nihil. (127) Vide ſup. pag. 382. & not. (59) ibid.

consentiant, ipsum sibi in syngrapha non *subscripta* a Mediolanensibus propositum tanquam communiter electum faciat consecrari *more Decessoris sui*. Quibus verbis dilucide constat, & antiquatum jam fuisse morem a Pelagio I. relatum (128) mutuæ Aquilejenses inter & Mediolanenses Episcopos consecrationis, neque Constantium deducendum esse Ravennam, ut superius (129) vidimus contigisse in consecratione Vitalis; sed inaugurandum esse a *propriis*, idest Provinciæ suæ, *Episcopis*, juxta Metropolitanum morem, quem ipse Gregorius ingenue aperit eidem Subdiacono legato, Epistolam sic concludens (130). *Si quidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc Eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu facias consecrari; quatenus, hujusmodi servata consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & a se concessa aliis sua jura non minuat*. Mediolanensis itaque Ecclesia, quum semper in Romanæ communione perstiterit, uno dempto *Frontone*, ut superius declaratum est; tum maxime his temporibus turbulentissimis, & in voluntario, ut ita dicam, exilio constituta

---

(128) Vide Fragm. Holsten. cit. huj. Operis pag. 341. & seqq. 353. & 366. Vide & pag. 384. (129) Pag. 331. & 332. (130) Lib. 3. *Epist.* 30. cit. col. 646. Eadem fere verba leguntur in præced. Epist. XXIX. in fine: *Latorem vero præsentium Johannem Subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut Electum vestrum sua imminentia . . . . secundum morem decessoris ejus faciat Episcopum consecrari. Nam, sicut ab aliis nostra exigimus; ita singulis sua jura servamus*. Hæc item pene congruunt cum iis, quæ habentur in *Epist.* 31. ibid. *ad Romanum Patricium* inscripta: *Et quia quantum ex Cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro, Diacono ejusdem* (Mediolanensis) *Ecclesiæ, omnium consistit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui Eum, in quo omnium voluntates atque consensum concorditer convenire cognoverit, a suis Episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu, faciat consecrari*.

Unitatis tuendæ causa, laudatur etiam a Gregorio, & crimine (131) omni absolvitur propter Episcoporum absentiam, quum scribat eidem legato Joanni, ad approbandam Constantii electionem misso, *multos Mediolanensium Genuæ coactos barbarica feritate subsistere*. Quamvis vero & explorata a Pontificio Subdiacono, ac plane testata unanimi consensu fuisset Constantii electio, multum adhuc temporis, videlicet ad sextilem circiter mensem protracta videtur Ejusdem inauguratio. Ipse enim Summus Pontifex *Romani Patricii*, Exarchi, Ravennæ degentis, voluntatem, sive calculum explorare voluit, rogans (132) *ut prædicto Constantio, seu fuerit consecratus Episcopus, nec ne, ubi necesse fuerit, secum dignetur impendere, justitia favente, solatium*; addens insuper magnificam Electi commendationem in hæc verba: *Meus est enim proprius, olimque mihi magna fuit familiaritate coniunctus* (133). Quum vero videam, nonnisi Indictione XII.ª, quæ a Septembri anni DXCIII. duxit initium, datam *Epistolam* S. Gregorii (134) qua gratulatur Constantio, *quia Ordinationis suæ meruit celebratione relevari*, & docet, *Pallium, ad sacra Missarum solemnia utendum, Illi ex more transmisisse*; hoc certe indicat, Pontificiam ejus administrationem paulo ante cœpisse (*).

---

(131) Consule fis, quæ supra diximus a pag. 373. ad 376. (132) Lib. 3. *Ep.* 31. sup. cit. (133) In Epist. XXIX. cit., vers. init. nihil luculentius de Constantii virtute loqui poterat iis verbis: *Dudum mihi cognitus fuit; & cum in Urbe Regia responsa Sedis Apostolicæ facerem, longo mihi tempore adhæsit; sed nihil unquam in Illo, quod reprehendi possim potuisset, inveni*. (134) Lib. IV. *Epist.* 1. (*) Ex jam dictis arbitror, aliquem latere errorem in Notis Chronologicis *Privilegii* ejusdem Pontificis *Monasterio S. Medardi concessi*, rejectique in *Append. Epist.* (col. 1284. It. in *Concil.* T. 5. col. 1582.) a Maurinis PP., cui dicitur *Constantius Mediolanensis-Episcopus subscripsisse VII. Kal. Junii Anno ab Incarnatione Domini DXCIV. Ind. XI.*, quæ vere spectat ad ann. DXCIII. Quomodo enim in nostra Provincia fuit consecratus Constantius, & Pallium eidem missum Roma, nonnisi jam incepta Ind. XII. seu ab inchoato Septembri anni DXCIII., si tribus antea mensibus jam fuerat Romæ Constantius, ubi *Privilegio* subscripsit? Pallium enim præsens a Summo Pontifice accepisset, si ibidem hoc tempore versatus esset.

CAPUT SECUNDUM.

Suſpiciones in Conſtantii Mediol. Epiſc. fidem Theudelindæ Reginæ animo ab Schiſmaticis injectæ, ex quibus hæc a communione Epiſcopi abſtinet. S. Gregorius ſuis litteris eas abſtergit.

Veruntamen libere fatebor, in Agilulphi & Theudelindæ Langobardorum Principum regno nonnulla apparere veſtigia vel favoris Schiſmaticis impertiti, vel diſſenſionis cum Catholicis Epiſcopis, quæ piorum Regum religioni, ac Fidei integritati labem aliquam aſpergant, & diſſidentis a *V.*ª *Synodo* animi notam inurant. Inciderat nimirum ipſorum adminiſtratio in turbulentiſſima adhuc vigentis Aquilejenſis Schiſmatis tempora, quibus & Epiſcopi in diverſas abibant ſententias, his *Synodo V.*ª adhærentibus, aliis ex adverſo eandem veluti monſtrum penitus averſantibus. Quantum hiſce tollendis diſſidiis inſudaverint Romani Pontifices Pelagius I. & II., docent eorundem *Epiſtolæ* (1) quas hic referre non vacat. Certe Gregorius ipſe Magnus horum Regum, Agilulphi ſcilicet & Theudelindæ, tempore inauguratus, quid ſentiret, dilucide ſatis probat in ſua Fidei profeſſione adnexa *Epiſtolæ* XXV.ª Libri I. in hæc verba: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo & Epiſtola, quæ* Ibæ *dicitur, erroris plena reprobatur*: Theodorus *perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur: Scripta quoque* Theodoriti, *per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata, refutantur*. Alterum, & multo gravius, tum accesserat jam inde ab Alboini temporibus incommodum Mediolanenſium, ſcilicet Epiſcoporum abſentia a primaria Sede, qui poſt occupatam a Langobardis Liguriam una cum Clero Genuæ, tum Provinciæ Mediola-

(1) *Concil.* T. 5. col. 788. & ſeqq. & col. 931. & ſeqq.

nensis urbe, versabantur, Græco non minus Imperio, quam Romanæ Ecclesiæ studiosissimi. Periculosum interea, nempe intestinum contra Constantium Præsulem nostrum atque ipsam Reginam a Schismaticis Aquilejensibus movebatur bellum; quo & in suspicionem pseudocatholici noster vocabatur Antistes, & Schismatis laqueis ipsa Theudelindæ religio irretiebatur. Tres Provinciæ nostræ Episcopi (2) technam hanc struxerunt, ut a Constantio nostro Reginæ animum alienarent; commenti scilicet, *Cautionem* (3) ab Eo ad consecrationem impetrandam Romæ in scriptis oblatam, qua in damnationem *Trium Capitulorum* consensisset. Hinc dolis circumventa Regina se ab Episcopi Constantii communione suspenderat. Tum demum patuit, quam vere Mediolanensi Gregi timeret decessor Laurentius. Sensim enim a proxima Venetia in Liguriam gliscebat Schismatis lues; quum Autharis in Histriam prædabundus excurreret, quumque Histrorum spoliis onustus inde rediret, amplificaret quidem Regnum, sed Religionem Catholicam ingenti clade prosterneret. Constantius ipse Bonifacio Gregorii Diacono litteris ad eundem datis rem totam aperuerat; quam quum Bonifacius secreto nuntiasset Romano Pontifici, hic ocyus Con-
* An. DXCIV. stantii dolorem lenivit * tribus *Epistolis*. In quarum prima (4) consolatur dolentem, testatumque facit, nullam de *Tribus Capitulis* in data *Cautione* mentionem fuisse injectam; sed unicam hanc Apostolicæ Sedis curam fuisse, *quatenus Unitatem universalis Ecclesiæ in Sacerdotum* sive Episcoporum *mentibus per omnia custodiret*. Alteram (5) vero eidem Constantio dedit, qua iterum testatur,

(2) Vide infra pag. 406. in utraque Greg. ad Constant. *Epist.* pag. 409. 411. & Sect. XI. & Cap. IV. Sect. V. (3) De *Cautione* vide quæ præmisimus pag. 384. & seqq. Vide & infra pag. 408. (4) Lib. 4. *Epist.* 2. (5) *Epist.* 5.

in illius *Cautione* neque verbo, neque scripto factam de *Tribus Capitulis* mentionem; additque exactam Professionem Fidei de Chalcedonensi Concilio, dicens, se *Fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi per omnia illibatam custodire, nihilque ejus definitioni addere, nihil subtrahere audere*. Tertiam (6) demum Reginæ ipsi inscripsit, in qua dolet, eam a sui Episcopi communione abstinere; speratque, adveniente Joanne Abbate, & Hippolyto Notario Pontificiis legatis, omnem dubietatis nubeculam jam fuisse sublatam. Singulas hasce Epistolas operæ pretium erit hic integras exhibere.

Gregorius Constantio Episc. Mediolanensi.

S. Gregorii ad Constantium Episc., & Theudelindam Reginam *Epistolæ*.

II. „ Dilectissimus filius meus Bonifacius Diaconus quiddam „ mihi ex scripto Fraternitatis tuæ secreto nuntiavit, quod ex- „ quisita occasione potius, quam inventa, tres se Episcopi (7) „ a pia Fraternitatis vestræ communione separaverint, dicentes, „ Vos in damnationem *Trium Capitulorum* consensisse, atque *Cau-* „ *tionem* fecisse. Et quidem, siquid de *Tribus Capitulis* in quo- „ cumque vel verbo, vel scripto nominatum est, bene Fraternitas „ tua reminiscitur, quamvis decessor Fraternitatis tuæ Laurentius „ districtissimam *Cautionem* Sedi Apostolicæ emiserit, in qua Viri „ nobilissimi, & legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego „ quoque tunc Urbanam Præturam gerens pariter subscripsi: quia „ postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut „ Sedes Apostolica curam gereret, quatenus Unitatem universalis „ Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret. Quod „ autem dicitur, filiam nostram Theodelindam Reginam se se a „ communione Tua hoc audito nuntio suspendisse, constat per „ omnia; quia, etsi pravorum hominum verbis ad paululum seducta

(6) *Epist.* 4. Opp. T. 2. cit. col. 682. & seqq. (7) Vide pag. praeced. & not. (2) ibid.

„ est, venientibus tamen Hippolyto Notario, & Johanne Abbate,
„ erit modis omnibus vestræ Fraternitatis communionem quæsitura:
„ cui etiam meas Epistolas direxi, quas Fraternitas vestra sine di-
„ latione transmittat. De Episcopis vero, qui se suspendere visi
„ sunt, aliam Epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris, eos
„ non ambigo de superstitione suæ superbiæ apud Fraternitatem
„ tuam pœnitentiam acturos.

„ Subtiliter autem mihi & breviter indicastis, vel de *Agone*
„ Rege, vel de Francorum Regibus quæ gesta sunt. Peto, ut
„ Fraternitas vestra, quæ adhuc recognoverit, mihi modis omni-
„ bus innotescat. Si autem videritis, quia cum Patricio nihil facit
„ *Ago* Langobardorum Rex, de Nobis eis promittite: quia para-
„ tus sum in causa ejus impendere, si ipse utiliter aliquid cum
„ Republica voluerit ordinare.

Gregorius Constantio Episc. Mediolanensi.

„ Pervenit ad Nos, quod quidam Episcopi vestræ Diœcesis ex-
„ quirentes occasionem potius, quam invenientes, se se scindere a
„ Fraternitatis vestræ unitate tentaverint, dicentes, Te apud Roma-
„ nam Urbem, in *Trium Capitulorum* damnationem, *Cautionem* fe-
„ cisse. Quod videlicet idcirco dicunt: quia quantum Fraternitati tuæ
„ etiam sine *Cautione* credere soleam, nesciunt. Si enim hoc esset
„ necessarium fieri, verbis nudis Vobis credi potuisset. Ego tamen
„ nominata inter Nos neque verbo neque scripto *Tria Capitula* re-
„ colo. Sed eis, si citius revertuntur, de suo errore parcendum est:
„ quia juxta Pauli Apostoli vocem: *Non intelligunt neque quæ lo-*
„ *quuntur, neque de quibus affirmant*, nos enim, auctore veritate,
„ teste conscientia, fatemur, nos fidem sanctæ Chalcedonensis Sy-
„ nodi per omnia illibatam custodire, nihilque ejus definitioni ad-
„ dere, nihil subtrahere audere. Sed, siquis contra eam, ejusdem-

„ que Synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum appetit
„ usurpare, eum omni dilatióne postposita anathematizamus, atque a
„ sinu matris Ecclesiæ alienum esse decernimus. Quem igitur ista
„ mea confessio non sanat, non jam Chalcedonensem Synodum di-
„ ligit, sed matris Ecclesiæ sinum odit. Si ergo ea ipsa, quæ au-
„ dere visi sunt, zelo loqui animæ præsumpserunt; superest, ut
„ hac satisfactione suscepta, ad Fraternitatis tuæ unitatem redeant,
„ seque a Corpore Christi, quod est sancta universalis Ecclesia,
„ non dividant.

Gregorius Theodelindæ Reginæ Langobardorum.

„ Quorundam ad Nos relatione pervenit, ab aliquibus Epi-
„ scopis Gloriam vestram, usque ad hoc scandalum contra sanctam
„ Ecclesiam fuisse perductam, ut se se a Catholicæ unanimitatis
„ communione suspenderet. Quod quantum Vos pure diligimus,
„ tantum de Vobis fortius dolemus, quia Vos imperitis stultisque
„ hominibus creditis, qui non solum ea, quæ loquuntur, nesciunt,
„ sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt. Dicunt enim piæ
„ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Sy-
„ nodum fuisse constituta: qui dum neque legunt, neque legentibus
„ credunt, in ipso errore manent, quem sibi de Nobis ipsi finxerunt.
„ Nos enim, teste conscientia, fatemur, de fide ejusdem sancti
„ Chalcedonensis Concilii nihil motum, nihil esse violatum: sed
„ quidquid prædicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est,
„ ut fides Chalcedonensis Concilii in nullo vexaretur. Siquis au-
„ tem contra ejusdem Synodi fidem aliquid loqui præsumit, vel
„ sapere, Nos ejus sensum sub anathematis interpositione detesta-
„ mur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ nostræ at-
„ testatione cognoscitis, superest, ut nunquam Vos a Catholicæ
„ Ecclesiæ communione separetis; nec tot vestræ lacrymæ, tan-

„ taque bona opera pereant, si a fide vera inveniuntur aliena.
„ Decet ergo Gloriam vestram ad Reverendissimum fratrem &
„ Coepiscopum meum Constantium, cujus fides & vita bene olim
„ mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique di-
„ rectis vestris epistolis indicare ordinationem ejus, quam benigne
„ suscepistis, & quia ab ejus Ecclesiæ communione in nullo sepa-
„ ramini. Quamvis in hac re me vobis superflue dicere arbitror:
„ quia & siquid in vestro animo dubietatis fuit, veniente filio
„ meo Johanne Abbate atque Hippolyto Notario, ex corde ve-
„ stro arbitror fuisse sublatam.

In recitatis *Epistolis* animadversiones. I. De Schismaticorum in Liguria disseminatis dogmatis. II. Quænam esset propositæ *Cautionis* ratio. III. Quænam Gregorii de Constantio & Theudelinda concepta opinio. Num jacta jam hoc tempore Modoetiensis Basilicæ fundamenta.

III. Porro in hisce, quas recitavimus, litteris quamplurima emergunt adnotanda. In primis occurrunt oculis disseminata in Liguria dogmata ob Schismatichorum pestilentiam, qui se aliosque a Catholicorum unitate disjunxerant, *exquirentes potius secessionis occasionem, quam invenientes*. Deinde, quæ esset propositæ *Cautionis* ratio, in qua non *Tria Capitula* damnabantur, sed Catholicæ Ecclesiæ Unitati dumtaxat prospiciebatur, atque unica fortasse Fidei professio exigebatur, qua integra Chalcedonensis Synodi fides & Dogma constaret, rejecta inani *Capitulorum* in *Quinta* damnatorum quæstione, quæ ambages potius Fidei insinuare poterat, & a S. Pontifice *superstitio superbiæ* appellatur. Tertió colligitur, quanta apud Pontificem existimatione floreret Constantius, cujus etiam *nudis verbis* sine *Cautione* credere potuisset: & reteguntur Schismaticorum doli, qui falso obtendentes *Tribus* Quintæ Synodi *Capitulis* imminutam Chalcedonensis auctoritatem, videbantur non *Chalcedonensem Synodum diligere, sed matris Ecclesiæ sinum odisse*. Ultimó luculentissime eminet concepta a Gregorio de Theudelindæ religione opinio; *detestatus* enim *sub anathematis interpositione* quotquot *contra Chalcedonensis Synodi fidem aliquid loqui præsumunt vel sapere*,

re: rogat, ut nunquam ſe a Conſtantii communione ſeparet, *ne tot eius lacrymæ tantaque bona pereant, ſi a fide vera inveniuntur aliena*. Perſpectiſſima itaque ſancto Pontifici Theudelindæ pro Religione ortodoxa ſtudia jam fuerant. Quorſum enim ejus tot bona opera commemorat in citata ad eandem *Epiſtola*, data Indictione XII., (quæ initium ſumpſerat a menſe Septembri anni DXCIII.) niſi jam publicum de ſua religione teſtimonium exſtitiſſet? Innuere autem hiſce verbis facile videtur Romanus Pontifex, quod Paulus Diaconus Libri IV.ⁱ Capite VI.° tradidit, ſcilicet *per hanc Reginam multum utilitatis Dei Eccleſiam conſequutam eſſe*; nimirum reditus Eccleſiarum, quas Langobardi antea invaſerant, illa Regina ſupplicante reſtitutas, Catholicæ Fidei uſum retentum, donis ornata Templa, atque Epiſcopos, prius abjectos, in priſtino dignitatis gradu collocatos. Neque diſſentiar, ſiquis tantis bonis operibus accenſere velit jacta fortaſſe jam prope (8) Regium Palatium Baſilicæ Modoetienſis (9) fundamenta, quæ certe ſeptennio poſt ſtrenua ædificatione perduci ad exitum potuit, & magnificis donis ornata fuit, annuiſque cenſibus ditata, & inſignibus etiam Sanctorum, quæ tum in uſu erant, Reliquiis a S. Pontifice Gregorio exornata. Glaucomam hanc a tribus Epiſcopis Theudelindæ oculis objectam non ſolum litteris ſanare ſtuduit Gregorius, verum etiam Joannis Abbatis, & Hippolyti Notarii alloquio, quos hac de cauſa ad Eandem miſerat, quorum verbis ſperabat, omnem ab illa nubeculam ſuſpicionis fore diſſipandam. Pari etiam humanitate uſus ſanctus Pontifex erga ſeductores Reginæ Epiſcopos (10) videtur.

(8) Vide Epigraph. in *Evangeliſtar.* Reginæ Theudelindæ ap. Friſ. *Diſſ.* 1. pag. 43. & *Diſſ.* 2. pag. 48. (9) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 22. Vide infra Cap. III. Sect. III. & VI. (10) Vide ſup. pag. 406. ſub fin. & not. (2) ibid.

Nam in secunda indicatarum litterarum, quam Constantio miserat, ac jusserat ostendi iisdem Episcopis, non ambigens, eos pœnitentiam acturos, miti admodum vocabulo illorum Schisma *erroris* nomine arguit, scribens: *Sed eis, si citius revertuntur, de suo errore parcendum est, quia iuxta Pauli Apostoli vocem;* „ * *non intelligunt* „ *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* ".

* I. ad Tim. C. 1. v. 7.

Plura Gregorium inter & Constantium per epistolas officia pro Eccl. Mediol. Constantio commendatur *Lunensis* Clerus. Num hic tum Mediol. Metropoli subjectus. De Jure Metrop. Mediol. Schismaticorum in Constantium persecutiones. Consolatoria ad Eum Gregorii *Epistola*.

IV. Si justo temporis ordine procedunt S. Gregorii *Epistolæ* in novam formam redactæ atque digestæ a Maurinis Patribus, paulo post, sive exeunte anno DXCIII., sive ineunte DXCIV. nova imposita est cura Constantio ex ejusdem Pontificis mandato, ut Cleri scilicet *Lunensis*, qui in Provinciæ suæ tum jure continebatur, & ceterorum *Religiosorum* mores emendaret. Licet enim priores S. Gregorii Operum Editores *Laudensium* legant in *Epistola* XXII. Libri IV., tamen ex Regio Codice *Lunensium* substituendum Maurini (11) censuere. Cui opinioni atque lectioni ratio ipsa suffragatur. Genuæ enim degens Constantius facile, utpote e proximo, poterat ejus loci corruptelis medicam manum admovere, non ita *Laudensium* urbis in Langobardiæ meditullio tum sitæ. Quo autem pacto subvenire his poterat, quum a Metropoli Ipse sua abesse cogeretur? Præterea *Lunensis* Civitatis Episcopus erat ipse *Venantius*, ut præcedens ejusdem Libri testatur *Epistola*, qui Metropolitam suum in vitiorum Cleri inquisitione, & destructione adjutorem sibi dari optaverat, ut in eo *negotio adjiceretur auctoritatis auxilium*. Institit itaque totis viribus huic procurandæ emendationi; & Canonum disciplinæ inhærens, diligenter persecutus est id, quod non tam Pontificium mandatum, quam fraterna dilectio Coepiscopi *Venantii* a se quodam veluti jure flagitabat. Ne-

(11) Vide ad eandem *Epist.* 22. notam *a*.

que absonum videri potest, *Lunensem* urbem eo tempore Mediolanensi Metropoli fuisse subjectam, quum late tunc in maritimas Liguriæ partes nostræ Sedis jurisdictio protenderetur. Quod autem de urbe Mediolanensis Provinciæ in ea *Epistola* loquatur Gregorius, dubitare nos non sinunt illius verba: *Quanquam fraterna dilectio hoc a Te, & sine nostris scriptis debeat exigere*: itemque illa: *Nec patiamini, in locis vestris eos, qui non gerunt in moribus, quod ostenderunt in habitu, per abrupta diutius evagari*: & demum ipsius *Epistolæ* conclusio: *ut & animæ tuæ proficiat, si tui causas vigilanter atque vivaciter perscrutaris officii*. Vigebat itaque etiam extra Langobardiam jus Mediolanense Metropoliticum, quod (12) recentiores nonnulli, *Patriarchæ* (pudendi scilicet vocabuli e Schismate (13) primum exorti) *Aquileiensis* nomen pluris, quam par est, facientes, originem habuisse putaverunt Langobardorum ætate; quamvis centum & amplius ante annis exstitisse manifeste doceat (14) *Synodica* Eusebii ad Leonem M. *Epistola*, itemque alia (15) Cleri Italiæ ad legatos Francorum Constantinopolim mittendos, superius relatæ, ut omittam Sirmondi concertationes cum Salmasio, quæ legi possunt Tomo IV.° (16) ejusdem Operum. Veruntamen, tribus Provinciæ Mediolanensis refractariis & Schismaticis Episcopis, de quibus supra (17) sermonem instituimus, Pontificiis etiam ostensis a Constantio litteris nihil omnino deterritis, irritus penitus ceciderat Gregorii labor pro iisdem ad nostri Episcopi communionem revocandis. Omissa quæstione, utrum mentio de *Tribus Capitulis* facta in *Cautione* fuisset, intime scrutaturi hujus

(12) Vide Jo. Rinaldi Comitis de Carolis Opp. T. 15. cit. pag. 241. & seqq. Item *Antichità Ital.* cit. Tom. 3. Lib. I. §. X. pag. 68. Vide & sup. pag. 364. & notam (173) ibid. (13) Vide sup. pag. 346. & 384. & loca ibid. citt. in nota (66). (14) Vide sup. pag. 92. nota (16) & pag. 93. (15) Vide sup. pag. 324. & seqq. (16) Vide præsertim *Propemptici* Lib. 1. Cap. 8. col. 166. & 167. Edit. Paris. cit. (17) Vide pag. 404. & notam (2) ibid.

Metropolitæ fidem, & ad animi ipsius cubilia pervenire cupientes tres Schismatici Antistites, instantibus etiam Brixianis civibus, id a Constantio, antequam eidem communicarent, exigere conati sunt, ut scripto juratus testaretur, *se Tria Capitula minime damnasse*. Alterum illi crimen affingebant iidem perduelles, quod *inter Missarum solemnia Episcopum Johannem Ravennatis Ecclesiæ nominaret*, sive ejus nomen de more e diptychis recitaret; quod Schismatici sæpe nomen exsecrabantur, nondum obliti, quibus Exarchi Smaragdi (18) vi & injuriis affectus fuisset, & coactus Severus eorum Patriarcha superioribus annis ante ipsum *Joannem* Schisma ejurare. Has itaque rebellium Episcoporum querelas declaraverat S. Gregorio per epistolam Constantius, cui responsum dedit litteris scriptis Indictione XII. (inter Septembrem scilicet anni DXCIII. & DXCIV.) quæ leguntur Libro IV. num. XXXIX.* Respondit propterea Pontifex, adigi illum ad jusjurandum non posse, eo quod etiam ejus decessor Laurentius hujusmodi se non obstrinxerit sacramento. Ceterum jurare posse, integram se Chalcedonensis Concilii fidem servare; quoscumque vero ea Synodus damnat, a se etiam damnari; & absolvi quotquot illa absolverit, quó illis celerrime satisfiat. Posse autem omitti in Missarum celebratione *Johannis* Ravennatis nomen, quum Ravennas Episcopus mentionem non faceret Mediolanensis. Ipsius *Epistolæ* verba recitamus:

Gregorius Constantio Episcopo Mediolanensi.

„ Scriptis Sanctitatis vestræ percursis, in gravi Vos mœrore esse „ cognovimus, maxime propter Episcopos & cives Brixiæ, qui „ Vobis mandant, ut eis epistolam transmittatis, in qua jurare „ debeatis, Vos *Tria Capitula* minime damnasse. Quod si decessor

(18) Vide sup. pag. 395. & not. (104) ibid.

„ Fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, a Vobis quæri non
„ debet. Si autem fecit, cum universali Ecclesia non fuit, &
„ *Cautionis* suæ juramenta transcendit. Sed quia eundem Virum
„ sua credimus sacramenta servasse, atque in unitate Catholicæ
„ Ecclesiæ permansisse, dubium non est, quod nulli Episcoporum
„ suorum juraverit, se *Tria Capitula* minime damnasse. Ex qua
„ re colligat Sanctitas vestra, quia cogi non debet ad hoc,
„ quod a Decessore vestro factum nullo modo est. Sed ne ii,
„ qui Vobis ista scripserunt, scandalizari videantur, transmittite
„ eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini,
„ neque Vos aliquid de fide Chalcedonensis Synodi imminuere,
„ neque eos, qui imminuunt, recipere, & quoscunque damnavit
„ damnare, & quoscunque absolvit, absolvere. Unde credo, eis
„ posse celerrime satisfieri. Quod autem scripsistis, quia scandali-
„ zantur plurimi eorum, quia fratrem & Coepiscopum nostrum
„ Johannem Ravennatis Ecclesiæ inter Missarum solemnia nomine-
„ tis, requirenda Vobis consuetudo antiqua est; & si consuetudo
„ fuit, modo a stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero
„ consuetudo non fuit, fieri non debet, unde quibusdam scanda-
„ lum moveri possit. Tamen sollicite perquirere studui, si idem
„ Johannes frater & Coepiscopus noster Vos ad altare nominet,
„ quod minime dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam
„ non facit, quæ necessitas cogat, ignoro, ut Vos illius faciatis.
„ Quod quidem, si sine aliquorum scandalo fieri potest, Vos tale
„ aliquid facere valde laudabile est, quia caritatem, quam erga
„ fratres vestros habetis, ostenditis &c. “.

V. Sed gravior Constantium urebat cura de Theudelinda Regina, cui superius relatas S. Gregorii litteras offerre sine certo ejusdem offensionis periculo non audebat. In illis (resignatas enim

Gregorius Constantii consilium probat de emendandis litteris, quas ad Theudelindam destinaverat.

acceperat) occurrebat implicita mentio *Synodi* V.ª, a qua, instigantibus Schismaticis, per errorem summopere abhorrebat. Relege *Epistolam* quam supra (19) recitavimus. Talia idcirco scripserat Romanus Pontifex non ignorans, quod impie blaterabant Schismatici, Romanam nimirum Cathedram a fide defecisse, unde Aquilejenses Episcopi (20) *Patriarchæ Occidentalis* nomen affectaverant; qui in Occidente titulus uni Romano Episcopo competit, ut in relata concertatione invicte probavit Sirmondus. Horrebat igitur Constantius proponere Theudelindæ oculis, quid Justiniani tempore actum in *Synodo* V.ª fuisset, contra quam nimis vigebat Reginæ præjudicium. Quare priores litteras novis a Gregorio emendari optavit, quod consilium mitissimus Pontifex æqui bonique fecit, imo maxime probavit, rescribens (21). „ Quod autem scripsistis, quia *Epistolam* meam Reginæ Theodelindæ transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea *Quinta Synodus* nominabatur; si Eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicuti Vobis placuit, ut *Quatuor Synodos* solummodo laudaremus. De illa tamen Synodo, quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ a multis *Quinta* nominatur, scire Vos volo, quia nihil contra *Quatuor* sanctissimas *Synodos* constituerit, vel senserit; quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est; & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur; sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen, sicuti voluistis, ita fecimus, ut ejusdem Synodi nullam memo-

(19) Pag. 407. (20) Vide sup. pag. 346. & 384. & loca ibid. citt. in nota (66).
(21) Lib. 4. *Epist.* 39. cit. col. 720.

„ riam faceremus. Sed & de Episcopis, quæ scripsistis, prædictæ „ filiæ nostræ Reginæ scripsimus ". Loco itaque priorum litterarum alteras Theudelindæ obtulit Gregorius, quæ ejusdem Libri IV. & Indict. XII.ª numero XXXVIII.ª leguntur. In quibus, omissis actis Justiniani tempore, imo penitus suppressis, prudentissime suam fidem profitetur de primis IV. Synodis Generalibus, & præsertim effuse laudans Chalcedonensem, eique adhærens: quo tacite Reginam demulcens, nihil unquam Romanam Ecclesiam ab ejus dogmate quidquam detraxisse insinuaret; intactis tamen reliquis prioris *Epistolæ* sententiis, ut perspicue apparet cuilibet utramque diligenter comparanti. Quæ quidem constans etiam consuetudo S. Pontificis fuit, ut Schismaticos sancte eluderet, qui, quum falso obtenderent, *Quinta Synodo* labefactatam Chalcedonensis fidem, Pontificio oraculo eruditi, agnoscere clara & perspicua hujus Concilii professione possent, quid de *Quinta* credere deberent, quæ nihil plane de *Quartæ* Synodi Œcumenicæ fide detraxerat.

VI. Sed antequam dimittamus Gregorianam ad Constantium, de qua hactenus sermo fuit, *Epistolam*, observandum adhuc nobis superest, quænam esset de canonica Clericorum vitâ nostræ Ambrosianæ Ecclesiæ disciplina, etiam quum Genuæ veluti in exilio versarentur. Illic cum reliquo Clero *Fortunatus* quidam degebat, qui veteranus etiam sub Laurentio Constantii decessore in nostræ Ecclesiæ castris militaverat. Sed hoc tempore conquestus apud Pontificem fuerat, se vel loco motum, vel de se movendo post longa stipendia quæstionem intentari. Hujusmodi dirimendæ controversiæ judicem se obtulit Gregorius, *siquid emerito* Clerico *rationabile opponi posset*; mandans, *ut in Romano iudicio deberet ventilari*. Digna est ista consuetudo, quæ legentium oculis, ipsi Gregorii verbis, proponatur: „ De Fortunato autem Fraternitatem vestram

Aliæ invicem Gregorii, & Constantii litteræ, in quibus nonnihil de Ambrosianæ Ecclesiæ tunc temporis disciplina.

„ esse sollicitam volumus, ne Vobis a malis hominibus in aliquo
„ subripiatur. Nam audio, eum cum decessore vestro Laurentio
„ ad mensam Ecclesiæ per annos plurimos nuncusque comedisse,
„ inter Nobiles consedisse, & subscripsisse; cumque, Fratre no-
„ stro sciente, in * numeris militasse. Et post tot annos modo
„ videtur Fraternitati vestræ, ut de status sui conditione pulse-
„ tur. Quod mihi omnino incongruum videtur. Et ideo hoc per
„ ipsum Vobis, sed secreto mandavi. Tamen siquid est rationabi-
„ le, quod ei possit opponi, in nostro debet judicio ventilari ".
Pupugit extrema hæc Gregorianæ *Epistolæ* pars Episcopum no-
strum, qui videtur detrectasse hujus causæ cognoscendæ Romanum
judicium. Quare amarulentum stomachum credere licet erupisse,
ad ipsum Pontificem dum rescriberet, ut colligere facile possumus
ex mitissimo Gregorii responso, quod habemus *Epistola* IV.ª Libri
V. data mense Sept., Indict. XIII. (anno scilicet DXCIV.) in hæc
verba: „ Multum Nos de Fortunati persona carissimæ Fraternitatis
„ vestræ mirari facit Epistola. Sed a Vobis minime Scripta ipsa
„ dictata sunt, aut certe, si vestra sunt, Nos in eis fratrem no-
„ strum Domnum Constantium nequaquam agnoscimus. Debuistis
„ enim, & adhuc debetis attendere, quia pro vestra est opinio-
„ ne, quod scribimus. Nam dum illic se prædictus Fortunatus
„ violentiam sustinere, nec defensoris auxilium invenire potuisse
„ commemorat, quid aliud, nisi vestram attingit invidiam? Ergo,
„ ut nec opinionem vestram hæc res apud quosdam obsuscet,
„ nec Ecclesiæ vestræ posset fieri in aliquo, si bona causa est,
„ detrimentum; instructam huc debet mandare personam, ut causæ
„ qualitas trutinata sine vestra possit invidia terminari. Quoniam
„ præsertim post ejus querelam, si illic pro vestris partibus fuerit
„ dicta sententia, non rationabiliter, sed sola potestate credetur
„ su-

* Sic. *Numerus* idem ac *cohort*. Vide ibid. nota *g*.

„ superatus". Ceterum arbitror, victum tanta SS. Pontificis mansuetudine Constantium rem totam Ejusdem judicio penitus permisisse: neque enim ulla deinde legitur utráque ex parte instituta deinceps de hoc negotio querela in repetitis ad hunc Præsulem litteris. Quare Episcopum nostrum etiam deinceps similem sibi fuisse facile agnoverit; uti hoc, de quo agimus, anno paratissimum habuerat *Venantii* Episcopi sui Provincialis adjutorem pro Cleri sui *Lunensis* corruptelis emendandis. Testes enim sunt *Epistolæ* III.[a] IV.[a], & VII.[a] Libri V.[i] de pœnis inflictis ea occasione *Jobino* Diacono & Abbati Portus Veneris, itemque *Saturnino* ex gradu Sacerdotali dejecto, & in Gorgonam sive Caprariam Insulam ablegato, quám viriliter commissam sibi provinciam cum *Venantio* Constantius suscepisset. Imo quám religiose morem Romano Pontifici gereret, suumque eidem omnino judicium submitteret, aperte declarat ipsa eadem, in qua de Fortunato lenissime conqueritur, data a Gregorio *Epistola* (22) unde docemur, Pontificiam a Constantio exspectatam sententiam de *Amandino* Sacerdote & Abbate ab ejus decessore Laurentio, *culpa exigente*, *deposito*, utrum deberet Ordini suo restitui; itemque de *Vitaliano* Expresbytero puniendo. Neque legimus, ullatenus refragatum Pontificio Decreto, quo statutum fuit, ne ullo modo illum ad sacrum Ordinem revocaret, alterum vero *distincte custodiret* in Siciliam deportandum.

VII. Præclaras hasce pro Ecclesia Mediolanensi susceptas a S. Pontifice curas intempestivum (proh dolor!) ab Exarcho *Romano* motum bellum miserrime intercepit. Quare ab alienis ad Romæ ipsius deflendas calamitates Gregorius evocatus, coactus est ex Al-

Exarchus *Romanus* inducias violat. S. Gregorius quot malis belli hujus causa conflictatus.

(22) Lib. 5. *Epist.* 4. cit.

mæ Urbis mœnibus ſpectare villarum incendia, agrorum populationes, abductamque prædam; &, quod maxime Ipſius animum commovebat, effuſum ſuorum ſanguinem uſurpabat oculis, morientium gemitus auribus excipiebat. *Quis enim* (ſcribebat Indictione XIII. X. Kal. Januarii, die ſcilicet XXIII. Decembris anni DXCIV. ad Datianum ſive Domitianum Melitinæ Epiſcopum Metropolitanum (23) ipſe Gregorius) *Quis enim in hac terra non lugeat, quæ, Barbarorum gladiis tradita, pene iam non habet, qui in ea vivant, & tamen habet quotidie, qui moriantur?* Agilulphus Rex injuriam ulturus, quum videret induciarum tempore occupatam in Thuſcia Peruſium, deinde Narniam, aliaſque urbes (24) a Ravennæ Exarcho, Romanum Agrum infeſtare cœperat, & ipſi Romæ imminebat armatus, unde avocatos milites audierat ad præſidiarios captis

* An. DCXV. urbibus imponendos. * Dolebat itaque Pontifex Græcorum perfidiâ violatum Langobardorum fœdus, quum his per fraudem tot Civitates pro induciarum tempore contra fidem auferrentur; & Romæ ipſi præſentiſſimum crearetur diſcrimen; &, quod maxime dolendum erat, dolis Exarchi *Romani*, defenſores Romæ Præfectus & Magiſter militum in Auguſti indignationem incurriſſent. Placet ipſa Gregorii verba referre, qui rem totam, ad Mauritium (25) ſcribens, ſuis coloribus, tamen curſim, pingit: *Si enim poſſum, has celeriter plagas enumero. Primum, quod mihi pax ſubducta eſt, quam cum Langobardis in Thuſcia poſitis ſine ullo Reip. diſpendio feceram; deinde corrupta pace, de Romana Civitate milites ablati ſunt: & quidem alii ab hoſtibus occiſi, alii vero Narniis, & Peruſii poſiti; & ut Peruſium teneretur, Roma relicta eſt. Poſt hoc pla-*

---

(23) Lib. 5. *Epiſt.* 16. (24) Vide Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 8. (25) Lib. V. *Epiſt.* 40. Indict. XIII.

ga gravior fuit adventus Agilulphi; ita, ut oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos, qui intra Civitatem fuimus, Deo protegente, manus ejus evasimus, quæsitum est, unde culpabiles esse videremur; videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac Urbe diu multa servari nullatenus possunt. Et quidem de me metipso in nullo turbatus sum, quia, teste conscientia fateor, adversa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute dumtaxat meæ animæ evadam. Sed de gloriosis viris Gregorio Præfecto & Castorio Magistro militum non mediocriter sum afflictus, qui & omnia, quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum, & custodiæ Civitatis in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt; & post hæc omnia gravi Dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta sed mea persona gravat; cum qua, quia pariter in tribulatione laboraverunt, post laborem pariter tribulantur. Quis, hæc legens, immensam Gregorii caritatem non amet, & ex adverso *Romani* tunc Exarchi fraudes & calumnias non exsecretur? quas sine fuco & ingenue aperit idem S. Pontifex Sebastiano Episcopo Sirmiensi (26) in hæc verba: *Quæ, Frater sanctissime, de amici vestri Domni* Romani *persona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit ita, ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam Reip. Judices, qui nos malitia sua rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum atque Clericorum, Monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias suspectum semper exsistere,*

(26) Ibid. *Epist.* 42.

cujus laboris, cujus doloris ſit, veſtra Fraternitas tanto verius penſet, quanto me, qui hæc patior, purius amat. Revera quot quantiſque curis non dicam angi, ſed æſtuare oportuit ſanctum illum æque atque invictum Pontificem toto illo triennio, quod inter inducias ab Exarcho violatas, & pacem poſtea ſui Ipſius precibus ab Agilulpho exoratam interceſſit! Hujus pacis ſequeſtrem (27) ſe obtulerat Gregorius Exarchum inter & Agilulphum; quare *ſimplicitatis* nomine (28) Exarchi fallaciis a Mauritio fuit inſimulatus. Romam dum ſervare ſatageret, perdere illam *Romanus* Exarchus, imminuto præſidiariorum numero, conabatur. Dum extinguere humani ſanguinis ſitim in hoſtibus pariter & Græcis ſtuderet, vidit lacrymoſis oculis Hoſtem Romana mœnia obequitantem, ſuoſque cives captivos, ferarum inſtar catenis conſtrictos, venumdandos abduci. Dum Idolorum ſuperſtitionem (29) ex Sardinia tentat evellere, ſummo cum dolore audit, Judices pecuniam exigere, *ut illis Idola colere liceret*; & miſereri cogitur calamitatum, quibus Siciliæ & Corſicæ incolæ per iniquos Judices vexabantur.

Maxima Gregorii omnium Eccleſiarum ſollicitudo. Ejus ſtudia pro pace inter *Romanum* Exarchum ac Regē ineunda. Abbas *Secundus Servus Dei* ad Exarchum legatus a Rege miſſus.

VIII. Inter haſce graviſſimas curas maxima etiam imminebat omnium Eccleſiarum ſollicitudo. Inſuper comprimenda erat Conſtantinopolitani Patriarchæ ſibi *Œcumenici* titulum uſurpantis (30) arrogantia: frangenda audacia Maximi (31) qui Salonitanam Eccleſiam invaſerat: nova Catholicorum colonia in Angliam (32) mittenda: delenda Simoniæ labes (33) in Gallia: eradenda Manichæorum (34) dogmata: abſtergendæ in Africa reliquæ Donatiſtarum (35) maculæ: demum Iſtriæ Epiſcopi (36) partim offi-

(27) *Epiſt.* 36. Lib. 5. (28) Ibid. *Epiſt.* 40. (29) Ibid. *Epiſt.* 41. (30) Ibid. *Epiſt.* 19. 20. 21. (31) Lib. 6. *Epiſt.* 25. 26. & 27. (32) Lib. 6. cit. *Epiſt.* 51. 52. 53. (33) Lib. 5. *Epiſt.* 53. 54. 55. (34) Lib. 6. *Epiſt.* 14. (35) Lib. 2. *Epiſt.* 48. Lib. 4. *Epiſt.* 35. Lib. 6. *Epiſt.* 37. 65. &c. (36) Lib. 5. *Epiſt.* 46. 47. 51.

ciis, partim doctrina ad Unitatem reducendi. Sed non videbatur dimittenda interim suscepta pro virili de pace conciliandâ cogitatio. * Hac de causa videtur, Gregorio urgente, missus Ravennam a Rege Agilulpho *Secundus* Abbas *Servus Dei* (quem conjicio eundem esse a Paulo (37) indicatum & in Regis Aula versatum) qui cum Castorio Pontificio Notario multa de pace ineunda cum *Romano* Exarcho tractasse videtur, ut colligimus ex Libri VI. *Epistola* XXX.[a] Inter tot procellas ac turbines Reip. non potuit etiam a Liguria nostra dimovere paululum oculos amantissimus Pastoris nostri Constantii Romanus Pontifex, quem calumniantium vocibus impetitum, & malignis obtrectatorum dicteriis obnoxium audierat, ex Ejusque scriptis intellexerat. * Erexit itaque consolatoria *Epistola* (38) dejectum mœrore Illius animum; proposuitque ob oculos Serpentis antiqui malitiam; docens, in adversis ad cor proprium recurrendum, egregiâ illa solatus sententiâ: *Quem conscientia defendit, & inter accusationem liber est; & liber vel sine accusatione esse non potest, si sola, quæ interius addicit, conscientia accusat*. Instat ergo, ut, animum a maledicorum dicacitate sejungens, erga ea, quæ sui muneris sunt, virilius intendat. Quanquam ex eadem *Epistola* discimus, satis fortem Constantii animum jam antea fuisse, quum Episcopum suæ Provinciæ depositum (39) exauctorasset. Utinam exstaret indicium loci & criminis, propter quod tam severe juxta Canones in eum animadverterit; ex quibus magis per illam ætatem Liguriæ nostræ historia illustraretur. Hoc eodem anno DXCVII. magno etiam angore Gregorium levare

* An. DXCVI.

Gregorius Constantium calumniis adpetitum per litteras consolatur. *Romano* succedit *Callinicus*.

* An. DXCVII.

(37) Lib. 4. Cap. 28. Vide & notam (99) ibidem. Vide infra Cap, III. Sect. III. & not. (*) ibid.. (38) Lib. 7. *Ep.* 14. data mense Martio Ind. XV. i. e. an. 597. (39) Vide infra pag. 431. & 432. & Cap. III. Sect. I.

debuerit (40) abdicatio, sive obitus *Romani* Exarchi, cui *Gallicinum*, sive *Callinicum* substitutum esse innuit idem S. Pontifex (41) Indictione XV. Mortem ejus Exarchi sequenti anno DXCVIII. affigit (42) Gussanvillæus in suis ad Gregorii *Epistolas* adnotationibus, quam tamen Cl. De Rubeis (43) præcedenti anno accidisse affirmat. Quum vero Paulus Diaconus uno eodemque Capite (44) *Romani* obitum, & Hunnorum Regis ad Agilulphum, pacem cum eo facturi, legationem aperte describat; hinc facile intelligimus alterutro anno, quo e vivis decessit Exarchus, Agilulphum pacem cum Hunnis firmasse. Eam legationem Mediolani fuisse ab hoc Rege exceptam, idem scriptor asserit Paulus, pro loci, credo, & Regis ipsius dignitate, utpote illa in Urbe, in qua ingentem populi & civium multitudinem tum in pace & tranquillitate inter bella externa degentium posset Hunnis objicere: præsertim quum nostra Urbs a Narsete jam reparata diuturnâque florens quiete sensim in veterem magnificentiam (45) rediret, ejusque cæli & agri salubritate Rex ipse delectaretur. Haud libenter autem Paulo assentirem, si Hunnorum legationem, *Romani* mortem, & pacem inter *Callinicum* novum Exarchum & Agilulphum initam uno impetu narrans, hæc omnia in idem tempus contigisse vellet. Nam Gregorius sæpe nimiùm testatur & dolet in suis *Epistolis*, etiam post Exarchi obitum, bellum Græcos inter & Langobardos adhuc exardescere. Ut quid enim scriberet Indictione I. (a Sept. scilicet anni DXCVII. ad Sept. anni DXCVIII.) ad Patriarcham Antiochenum: *Quæ (46) autem mala a Barbarorum gladiis, quæ a perversitate Judicum patimur, Beatitudini vestræ narrare refugio, ne*

Agilulphus de pace cum Hunnis legationem Mediolani excipit. De hujus Urbis dignitate. Nondum a bellis pacata Liguria. Maritima hujus Provinciæ pars quamdiu Græco Aug. paruerit.

(40) Vide *Art de verif. les dates*. V. *Romain*. (41) Lib. 7. *Epist.* 29. (42) Ad *Epist.* 33. Lib. 1. nota *a*. (43) Op. cit. Cap. 32. col. 283. Vide & Murator. ad ann. 597. in fine. (44) Lib. 4. Cap. 13. (45) Vide pag. 353. nota (139). (46) Lib. 8. Ep. 2.

eius gemitum augeam, quem minuere consolando debueram: si tum in pace conquievisset? Cur eâdem Indictione * Terracinensi Episcopo (47) commendasset murorum urbis custodiam, mandans, ut *nullus neque per Ecclesiæ nomen excusari a murorum vigiliis valeat*, nisi hostiles impetus formidasset? Quomodo demum primis Indictionis II.ª mensibus, in *Epistola* (48) ad Januarium Caralitanum Episcopum, de exscensione in Sardiniam facta a Langobardis dolere potuisset, de qua biennio ante (49) Gennadium Africæ Patricium præmonuerat, nisi prædæ sitis adhuc Langobardos armasset? Constat quidem ex ea ipsa ad Januarium *Epistola*, Probum Abbatem, jam antea ad Agilulphum ex Gregorii atque Exarchi consilio missum, diu pro pace concilianda egisse cum Rege; sed eam conventam, & fide firmatam non apparet, nisi * ex litteris Ipsius (50) ad Theudelindam datis, ut infra (51) dicemus. Nunc regredi ad superiorem annum, scilicet DXCVIII., liceat, ut discamus, utrum Genuensis ora in ditione jam esset Langobardorum, ut ex Gregorii ipsius (52) verbis suspicatus est Muratorius ad annum DCIV. Video enim anno DXCVIII. missam a S. Gregorio (53) ad omnes Metropolitas ditioni Græcorum subjectos *Epistolam* pro observanda lege Mauritii Augusti, qua sanxerat & vetuerat, publicis rationibus obligatos quoscunque neque in Clero, neque in Monasteriis suspiciendos; milites vero antequam Monastico habitu induerentur, per triennium esse probandos. Eam autem legem inter ceteros observandam proponit Constantio Metropolitæ Mediolanensi, tum Genuæ degenti. Ligustica ergo regio Græco adhuc Augusto pare-

* An. DXCVIII

* An. DXCIX.

(47) Ibid. *Epist.* 18. (48) Lib. 9. *Epist.* 4. *Indict.* II. inchoata a Septembri anni 598. Vide Murat. ad ann. 598. pag. 554. in fine. (49) Lib. 7. *Epist.* 3. (50) Lib. 9. *Ep.* 43. Vide Murat. ad an. 599. init. (51) Pag. 425. (52) Lib. 14. *Epist.* 12. Ind. 7. a mense Sept. an. 603. (53) Lib. 8. *Epist.* 5. Indict. I. a mense Sept. an. 597.

bat. Neque arbitror, posse a Muratorio demonstrari, quo modo, vel tempore maritima Liguriæ pars in Langobardorum venerit potestatem, nisi post Adaloaldi regnum. Sensum autem Gregorianæ, cui ille innititur, *Epistolæ* suo explicabimus (54) loco & tempore.

Inter pacis studia *Callinicus* Schismaticos Istricos urget. Mutua inter Gregor. & Constant. observantiæ testimonia. Tandem loco pacis firmantur induciæ inter Romanos ac Langobardos.

IX. Pacis conciliandæ cunctationem consolabatur novi Exarchi *Callinici* sollicitudo pro Schismaticis Romanæ Ecclesiæ unitati adjungendis. Hanc declarat locuples testis (55) SS. Pontifex. Quo tempore per legatos nuncium Exarchus de relata ex Sclavis victoria transmiserat, certiorem fecerat Pontificem de Capritana Insula (vulgo *Caharle*) in Adriatico Sinu ad unitatem Fidei revocata. Ejus Insulæ Episcopi Ordinationem Ravennati Episcopo *Mariniano* commisit (56) Gregorius, licet illa in jure Aquilejensis esset Episcopi; eâ nimirum de causa ac conditione, quam explicat: *ut eandem Insulam in sua Diœcesi habeat* (Ravennas) *quousque ad Fidem Catholicam Histrici Episcopi revertantur, ut & unicuique Ecclesiæ suæ Diœceseos iura serventur, & destituto a Pastore Populo non desit protectio & cura regiminis*. Eodem tempore testatum fecit, quanti æstimaret Præsulis nostri Constantii prudentiam atque consilium. Quum enim cognoscenda Ravennæ esset contumacis *Maximi* Salonitani Episcopi depositi causa, eique substitutus esset *Honoratus* Archidiaconus; adjutorem illi, si opus fuisset, in ea causa examinanda dedit Constantium Mediolanensem Antistitem, qui Ravennam veniens cum *Mariniano* resideret, & de eadem causa pariter decerneret: qua de re Litteras etiam ad Constantium (57) dedit. Quam utramque *Epistolam*, licet altera sit in ordine X.ª, altera vero LXVII.ª, uno tamen eodemque tempore scriptas esse,

(54) Infra Cap. III. Sect. IV. Vide & supr. pag. 373. (55) Lib. 9. *Epist.* 9. (56) Ibid. *Epist.* 10. (57) Lib. 9. cit. *Epist.* 67. Vide infra pag. 430.

esse, jus & ratio postulare videntur. Revera tanta erat in Gregorium Constantii reverentia & fides, ut, quum sibi per litteras (58) commendasset Pontifex Vigilium Præfectum, Patrimonio Romanæ Ecclesiæ in Liguria, ut arbitror; isque occasione hujus commendationis mutuas a Constantio pecunias exegisset, neque Præfectura sua defunctus nomen exsolvisset; amice illum monuerit Gregorius, ne tantum commendationi Pontificiæ tribueret, ut crederet, se velle ullum Ecclesiæ illi gravamen imponi. Pacem interim, seu certas ad definitum tempus inducias firmatas die XIX. Junii anni DXCIX., procul dubio asseverat (59) Daniel Papebrochius ad hunc diem, addente (60) Sigonio solemni jurejurando ac cæremonia confirmatas III. Kal. Quinctiles inter anniversariam SS. Petri & Pauli celebritatem. Respiravit itaque a diuturni belli calamitatibus Italia ope ac præsidio geminorum Mediolanensium Martyrum Protasii ac Gervasii, quibus sacer ille dies habebatur. Utque perennis hujus beneficii memoria exstaret, ejus diei Liturgiæ addidit S. Gregorius novum *Introitum* ex *Psalmo* LXXXIV. desumptum, cujus initium erat: *Loquetur Dominus pacem in plebem suam, & super sanctos suos* &c. In hisce exponendis sequimur S. Gregorium ducem, cujus *Epistolæ* digestæ sunt per certos annos, seu Indictiones. Quis enim fidem habeat in chronotaxi Paulo Diacono, qui suis illis intercalaribus formulis = *Inter hæc* = *Eodem tempore* = *Hac etiam tempestate* = *Per id tempus* = *His diebus* = rerum seriem identidem permiscet, nec finit certum ubique pedem figi? De hac singillatim pace loquens Libro IV. Capite VIII., videtur innuere, ipsam cum Agilulpho factam spectare ad

(58) Lib. 9. cit. *Epist.* 35. (59) *De SS. Gervas. & Protas.* num. X. *in Act. SS.* T. 3. Jun. pag. 284. col. 1. initio. (60) *De Regno Ital.* Lib. 1. ad hunc an. Opp. T. 2. col. 73.

Romani Exarchi tempora, quocum nulla unquam pax fuit, ut supra (61) memoravimus. Ibi enim dicit, post captam Perusium aliasque urbes Regem Langobardorum *pacem firmissimam cum Romanis pepigisse*: imo Capitibus IX.° & X.° exponit litteras Gregorii ad Theudelindam & Agilulphum. Deinde Capite XI.° narrat mortem Joannis Episcopi Ravennatis, qui, ut apparet (62) ex S. Gregorio, obiit anno DXCV. Demum Capite XIII., ut (63) vidimus, scribit, *Callinicam* successorem *Romani* in Exarchatu cum Agilulpho pacem iniisse, quæ vere inita fuit, sed anno (64) DXCIX., ad quem annum geminæ illæ (65) ad Regem & Reginam S. Gregorii Litteræ referuntur, quum datæ sint Indictione II.ª

Ex Gregorii ad Theudel. litteris evincitur, quam hæc recte de orthodoxa Fide sentiret: quam adhuc ab ea esset alienus Agilulphus; quam ab humano sanguine abhorreret Gregorius; quid Ipse de pactis induciis sentiret. Falsus de Regis morte rumor Romæ disseminatus.

X. Et quoniam mentio incidit harum litterarum, diligenter in iis observanda aliquot occurrunt. Agens enim gratias Theudelindæ, quod, *referente* id sibi *Probo Abbate*, *studiosius & benigne, sicut solebat, ad faciendam pacem se impendisset*, in hæc præclara verba Eidem gratulatur: *Neque enim aliter de Cristianitate vestra fuerat confidendum, nisi quia in causa pacis laborem & bonitatem vestram in modis omnibus monstraretis. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ita cor vestrum sua pietate regit, ut, sicut rectam fidem tribuit; ita quoque placita sibi Vos semper operari concedit.* Hæc mihi postrema verba scrupulum evellunt, quem recitatæ superius (66) ejusdem Gregorii litteræ infixerant de ambigua Theudelindæ religione; quum seducta ab Schismaticis Liguriæ ac Venetiæ Episcopis se a Pastoris sui Constantii communione separasset. Relata enim Gregorii verba = *rectam fidem tribuit* = nos aperte docent, hoc tempore piissimam eam Reginam & obsecun-

(61) Vide Sect. VII. p. 417. & seqq. (62) Lib. 5. *Epist.* 56., vide ibid. notam *a*. Vide & not. (45) ad Pauli Diac. L. 4. C. 10. (63) Pag. 422. (64) Vide Murat. ad h. a. init., & sup. p. 423. & nota (51) ibid. (65) L. 9. *Ep.* 42. & 43. cit. (66) Pag. 405. & seqq.

dasse Pontificis voto, & ad Mediolanensis sui Antistitis communionem rediisse, & excitatas a Schismaticis de eversa per *V.am Synodum* Chalcedonensis Concilii fide dubitationes penitus abstersisse. Contra vero, ea, quæ in eadem Epistola subdit S. Pontifex, rogans his verbis: *ut apud excellentissimum Coniugem vestrum ita agatis, quatenus Christianæ Reip. societatem non reiiciat. Nam, sicut Vos scire credimus, multis modis est utle, si Se ad eius amicitiam conferre voluerit*: cum alienum Agilulphi animum tunc a Catholica Religione fuisse testantur; tum inversum in Pauli Historia rerum ordinem, & eversam chronologiam accusant; qui exponens Libro IV.° Capite VI.° ejus Regni exordia, narrat, eum *Regem Catholicam Fidem tenuisse, & multas possessiones Ecclesiæ largitum esse*. Fœderis enim cum *Callinico* Exarcho icti tempore, hoc anno scilicet DXCIX. (quod infra Capite XIII.° a Paulo narratur) certo scimus ex S. Gregorio, illum adhuc alieno ab orthodoxa Religione animo fuisse. Quod vero certissime constat, ex utraque ad Regem & Reginam ea occasione scripta *Epistola* illud præcipue eminet; scilicet lenissimum Pontificem toto semper animo ab effundendo humano sanguine abhorruisse. Hoc nimirum respersa tam Romanorum, quam Langobardorum arma exhorrescens intime commovebatur: atque istam singularem in hostes æque ac Suos pietatem ingenue aperiri Mauritio ipsi Augusto non erubuit per Sabinianum Apocrisiarium suum (67) ad quem ita scripsit: *Unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris, quia si ego Servus eorum in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me*

(67) Lib. 4. *Epist.* 47. Indict. XII. a mense Sept. an. 593.

miscere formido. Non adeo tamen firmam hanc pacem putabat Gregorius (68) ipse, ut novum ex ea suboriri bellum posse non reformidaret. Hinc rogabat (69) Regem, ut Ducibus, scilicet Spoletino ac Beneventano, qui in Romanum agrum (70) proxime imminebant, *præciperet, ut hanc pacem pure custodirent, neque occasiones sibi aliquas quærerent, unde aut contentio, aut ingratitudo nasceretur*. Clarissime autem docemur, utrum pax illa esset pacis, an veriore induciarum nomine appellanda, ex *Epistola* (71) ab Eodem data * Indictione III. (anno scilicet DC.) ad Innocentium Africæ Præfectum, in qua quum certum statuatur tempus, quo cessandum ab armis esset, perspicue eruimus, dumtaxat inducias Langobardos inter ac Romanos pactas fuisse. Sic enim scribit: *Sollicitudinem vestram desiderato nuncio relevamus indicantes, cum Langobardorum Rege usque ad mensem Martium futuræ quartæ Indictionis de pace, propitiante Domino, convenisse*. Quare liberum erat, post hanc Langobardis arma resumere, atque ad apertas redire inimicitias cum Romanis ineunte Martio anni DCI. quo adhuc IV.ª fluebat Indictio. Imo, quum, firmata ea pace, gravissimo Rex conflictatus morbo decubuisset, increbuissetque Romæ de Regis morte rumor, prosequitur post nuper recitatæ *Epistolæ* verba S. Pontifex: *Quæ* (pax) *si retineatur, ignoramus, quia idem Rex obiisse postea nuntiatus est, licet adhuc habeatur incertum*.

* An. DC.

Constantius sibi Suisq. ab Græcis timet. Præsidiariæ naves inter Langob. num ab Agilulpho primum inventæ.

XI. Hisce, quibus armorum strepitu concussa Italia est, annis Constantius noster Episcopus in ora maritima Liguriæ non sine

(68) Lib. 4. *Epist.* 6. Ind. I. col. 930. D. Sic in ea scribit ad Januar. Caralitanum Episcopum: *Quia vero non minorem de vobis, quam de nobis sollicitudinem gerimus: hoc quoque pariter indicandum curavimus, quod finita hac pace* (i. e. his induciis) *Agilulphus Langobardorum Rex pacem non faciet*. (69) Lib. 9. *Epist.* 42. cit. (70) Lib. 2. *Epist.* 46. Ind. X. anno 592. Vide & Lib. 9. *Epist.* 98. infra cit. p. 437. & not. (10) ibid. (71) Lib. 10. *Epist.* 37.

metu versabatur. Proximam enim in Sardiniam (72) factam exscensionem videns, posse idem periculum ad litus Ligusticum pertinere formidabat. Proximiori etiam Corsicæ item æque metuebat, ac Sibi. Hinc non absonum a fide crediderim, Ipsum pariter cum Gregorio sibi conjunctissimo conspirasse, ut, missis celeriter ex Africa dromonibus, de quibus in nuper citata ad Innocentium Africæ Præfectum *Epistola* mentio est, Tyrrheni litoribus, atque eorum incolarum saluti prospiceretur. Primus enim Agilulphus inter Langobardos creditur navium præsidium ad Regni occupati tutelam comparasse contra Græcorum vires; ut constat ex tentata in Sardiniam exscensione, licet inauspicata, atque ex artificibus navium ad Avarûm Regem missis ab Agilulpho ipso; quarum auxilio ille Rex *Insulam quandam in Thracia expugnavit*, ut memorat Paulus (73) in sua Historia. Veruntamen, dum Genuæ Constantius discrimini maritimo consulit, audiit, intestino Provinciam suam laborare bello. Quare in periclitantem Insubriam oculos deflectere coactus, minus sibi imminere detrimenti ab Arianis Langobardis intuetur, quam ab Schismaticis; qui proxime in Mediolanensem Urbem commoto prælio Pastoralem illius animum vehementer sollicitabant. Viduata, ut reor, Pastore Comensis Ecclesia variis iisque gravissimis jurgiis Cleri ipsius fervebat; qui non tam ab Unitate Ecclesiæ desciscere, sed ipsum etiam Metropolitæ jugum excutere meditabatur. Tres illi fortasse Schismatici Provinciæ Mediolanensis Episcopi, de quibus supra (74) innuimus, & Constantius jam ad Pontificem Romanum scripserat, odia Cleri Comensis in Romanam Sedem concitaverant; & Clerici ipsi augendæ Aquilejensium factionis jam studiosi ansam banc arripiebant; plura causati, de

Antistitis nostri curæ pro Schismate a Comensibus avertendo, pro Ecclesiæ suæ negotiis Constantinopoli expediendis, pro dedicatione Basilicæ Genuæ facienda.

(72) Lib. 9. *Epist.* 4. cit. sup. pag. 423. (73) Lib. 4. Cap. 21. (74) Vide supra pag. 404. & nota (2) ibid.

quibns infra Capite IV. in *Digreſſione de Comenſi Eccleſia* enucleatius differemus. Neque unquam defuit Pontificia S. Gregorii opera Antiſtiti noſtro. Quo enim tempore pacis amantiſſimus noſter Præſul *Eventium* Eccleſiæ noſtræ Diaconum Romam (75) miſerat, ut alia ad Paſtoralem adminiſtrationem pertinentia expediret, optavitque Anatolii Apocriſiarii Pontificii in Mauritii Aug. Aula verſantis favorem pro iis ad exitum perducendis, quam libentiſſime S. Pontifex (76) Illi impertivit. Hiſce urgentibus curis, utrum Ravennam contenderit ad dijudicandam una cum *Mariniano* Ravennate *Maximi* Salonitani cauſam, quemadmodum illi in mandatis hoc ipſo anno (77) dederat Gregorius, nihil eſt cur aſſeverare poſſimus. Id dumtaxat pro certo habemus, Caſtorium Chartularium (cui S. Pontifex (78) *hujus cauſæ exſecutionem iniunxerat, ut ipſe Sibi deberet cuncta, quæ acta fuerint, ſubtiliter renuntiare*) cum *Mariniano* ipſo optatum cauſæ finem (79) impoſuiſſe. Dedicandi item novi (*) Templi, in urbe Genuenſi probabiliter ædificati, nova Conſtantium cura inceſſerat ſub idem tempus. Atque pro ea Dedicatione rite facienda Reliquias S. Pauli Apoſtoli, & SS. Joannis & Pancratii Romæ a Gregorio impetraverat per eundem Diaconum Eventium, ut ipſemet Pontifex (80) teſtatur, qui ante Dedicationem juſſit, juxta Canones loco conſecrando de *luminaribus* prius, & *alimonia ſervientium* provideri.

Item pro Epiſcopis Provinciæ ſuæ in officio continendis. Conſtantii noſtri obitus. Magno elogio a S. Gregorio ornatur.

XII. Nihilo tamen minus pro Diœceſeos, ſeu Provinciæ ſuæ Epiſcoporum diſciplina, licet abſens & ferme exul, laborabat Con-

(75) S. Greg. Lib. 9. *Ep.* 53. initio. Vide infra Cap. IV. *Digreſſ.* Sect. VII. (76) Lib. 9. cit. *Ep.* 53. cit. ſub fin. & *Ep.* 54. (77) Lib. 9. *Ep.* 67. citt. ſup. pag. 424. (78) *Epiſt.* 67. cit. (79) Lib. 9. *Epiſt.* 79. 80. & 81. (*) Num Templum hoc fuit dicatum S. Ambroſio, in quo humari Conſtantius voluit, ut legitur in *Catalogo* noſtro (Vide infra not. (84) pag. 432.), more Prædeceſſorum ſuorum, qui in Baſilicis a ſe ædificatis tumulari voluerunt? (80) Lib. 9. *Epiſt.* 86.

stantius, quám præsens Genuensem ornabat Ecclesiam. Diœceseos Mediolanensis Episcopus, *Theodorus* nomine, formidans Constantii vigilantiam, e ditione Langobardorum in Galliam transfugerat, ut inibi liberius versatus intentos Metropolitæ sui oculos declinaret. Præsensit ejus latibulum Constantius, & errantem non ovem, sed Pastorem, vigili insequutus obtutu, Romani Pontificis auctoritatem interposuit, ut ad caulam reduceret. Exstat S. Gregorii *Epistola* (81) ad Syagrium Augustodunensem Episcopum, quæ rem totam exponit in hæc verba: *Quia vero Theodorus quidam Episcopus de Diœcesi fratris nostri Constantii, Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi, disciplinam, ut dicitur, evitans, illuc venisse firmatur, hortamur, ut & istum diligentius requisitum ad Episcopum suum vestra Fraternitas retransmittat, & nulla eum illic se excusatione patiamini retinere.* Eodem enim tempore per eandem *Epistolam* Romam revocabat *Menatem* quendam Romanæ Diœceseos Episcopum a se in Gallias missum, sed adeo indecore inibi versantem, *ut & sibi de eo maior esset verecundia, & illi Episcopatus nomen non esset in honore, sed onere.* Ecce quomodo Gregorius ipse Mediolanensem Diœcesim sive Provinciam a Romana discriminaret; & turbatâ a Langobardis Italiâ sensim Ecclesiastica labasceret disciplina. Hujus disciplinæ tenacissimus, non minus Gregorio, mihi videtur fuisse noster Episcopus, qui *Pompeium* quendam suæ Provinciæ Antistitem (cujus nomen æque ac supra dicti *Theodori* nullibi apparet in Suffraganeorum nostrorum apud Ughellum tabulis) ad S. Gregorii judicium provocaverat, & ante tribunal suum damnatum Romam miserat judicandum, ut constat ex Libri X.[i] *Epistola* XXIX.[a] Videtur hic, de quo citata *Epistola* loquitur, fuisse ille Episcopus depositus a

(81) Lib. 9. *Epist.* 115.

Constantio, de quo (82) superius mentio injecta est. Ex ejusdem *Epistolæ* lectione constat, motâ prius de ejus criminum veritate in Sicilia apud Maximianum Syracusanum Episcopum controversiâ, tanquam innocentem ab ejus judicio fuisse dimissum. Sed, revocata ad S. Gregorii tribunal eadem quæstione, quum absens esset Episcopus accusatus, & gesta atque acta in judicio Constantii idonee S. Pontifici satisfacere non viderentur; censuit Gregorius, se *temere aliquid de Episcopi persona decernere nec posse, nec debere*. Itaque dilata est Pontificia de Episcopo deposito sententia, & superveniens Constantii mors exitum hujus causæ ignotum fecit; quum geminas (83) dumtaxat habeamus Gregorii ad Constantii successorem *Deusdedit Epistolas*; imo *Pompeius*, fortasse Syracusani Episcopi absolutione contentus, Romæ judicium effugerit, nemine illum Romam provocante. Obiit itaque Constantius die tertio mensis Septembris, ut manifeste nobis indicat (84) antiquissimus noster *Catalogus*; Christi autem anno DC., ut docent S. Gregorii *Epistolæ* III.[a] & IV.[a] Libri XI.[i] datæ Indictione IV.[a], quæ initio ejus mensis cœperat. Quarum postremæ etiam partem recitare libet; præsertim quum ejus Episcopi dotes brevi complectatur: *Qantus Nos de obitu fratris & Coepiscopi nostri Constantii mæror afficiat, paginali explere locutione non possumus. Sed quàm multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicinæ repentina calamitate non sentiant! Nam quemadmodum sollicitus in Ecclesiasticæ regula disciplinæ, vel quàm fuerit vigilans in tuitione Civitatis vestræ, non habemus incognitum*. CA-

(82) Lib. 7. Ep. 14. cit. sup. p. 421. Vide & infra p. 435. & not. (5) ib. (83) Lib. 12. *Epist*. 38. Lib. 13. *Epist*. 30. (84) Ibid., ut & in *Catal*. ap. Murat. T. 4., *Constantius Episcopus sed. ann. XVIII. ob. die III. mens. Sept. Sep. in Jenua* (in *Catal*. ap. eund. T. 1. P. 2. *in Janua Civitate, in Domo &c.*) *in Domo S. Ambrosii*. *Vixit annis C.* Hæc postrema desunt in *Catal*. nuper cit.

CAPUT TERTIUM.

Adeodatus invito Rege Agilulpho in Ambrosii Cathedra sufficitur. De Ejusd. electionis anno: utrum hoc, an sequenti, dubium injicitur ex S. Gregorii *Epistolis*.

Inter Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ eminebat singularis religio & pietas *Adeodati*, qui in nostro *Catalogo* synonyma voce *Deusdedit* appellatur. Quare, quum de eligendo Constantii Successore in Clero & Honoratorum comitiis ageretur, facile in Illum omnium suffragia conspirarunt, nisi injectus ab Agilulpho terror, ut suspicamur, Consecrationi moram aliquam injecisset. Præclara enim rerum suæ Ecclesiæ experientiâ quum florerent Diaconi, utpote earum censibus administrandis præfecti, ea ætate hunc morem veluti induxerant, ut ex eorum ordine Episcopi eligerentur. Qua plane de causa decessor etiam Constantius e Diacono ad Ambrosii Sedem fuerat evectus: atque identidem etiam Romæ ad Petri Cathedram evehebantur, qui Diaconi Romanæ Sedis Apocrisiarii munere Constantinopoli fuerant perfuncti; ut passim occurrunt per ea tempora in Pontificali Historia certissima exempla. Incredibile dictu est, qua sollicitudine usus sit Gregorius, ne vacua diu Pastore careret Mediolanensis Ecclesia. Quum enim obiisset Constantius, ejusque mortem Summus Pontifex audisset, ocyus Pantaleonem Notarium Genuam misit, ut, de more exploratis voluntate & consensu unanimi Eligentium, moribusque ac vita Electi, hunc statim curaret rite consecrandum. Inter primas scriptas ineunte Indictione IV. (ab inchoato scilicet mense Septembri anni DC.) a S. Pontifice *Epistolas* occurrit hoc Gregorii mandatum (1) ad Pantaleonem.

(1) Lib. XI. *Epist.* 3.

Atque eodem fortasse tempore *ad Mediolanenses*, scilicet Populum, Presbyteros, Diaconos, & Clerum Genuæ commorantem (2) in hæc verba scripsit: *Sed quoniam obeunte Pastore sine proprio vos esse non decet Antistite, omnino gratè suscepimus, quod* Deusdedit *Diaconum vestrum ad Episcopatus officium vos unanimes elegisse Deo auctore signastis. Unde quia bonorum studiorum desideria nulla debet tarditas impedire, vota in Eo vestra complere cum Dei gratia festinamus* &c. & paulo post: *Ut igitur in ordinando Eo, qui a vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem Notarium nostrum transmisimus, qui Eum, ut moris est, annitente consensus nostri auctoritate facias consecrari*. Altera etiam accedebat festinandæ hujus Electi Consecrationis causa, quæ stimulos non minus Mediolanensibus, quam Gregorio adjungeret. Scripserat ad Mediolanenses Electores Genuæ commorantes Rex Agilulphus Mediolani Dominus, audita morte Constantii, nequem Successorem eligerent, nisi a Se consentiente approbandum. Quare, Sancto Pontifici re patefacta, Mediolanensium terrorem excussit Gregorius asseverans, se nunquam ejus electioni consensurum, qui a Langobardis proponeretur. Præstat præclara Pontificis verba referre; quæ rem ipsam & Ecclesiæ nostræ historiam illustrant (3) *Illud autem, quod vobis ab Agilulpho indicastis scriptum, Dilectionem vestram non moveat. Nam nos in hominem, qui non a Catholicis & maxime a Langobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec, si alicuius præsumptionis usurpatione factum fuerit, in locum vel ordinem illum Sacerdotis suscipimus; quia vicarius S. Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Nec enim est, quod vos ex hac causa deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat; quia* (4)

(2) Ibid. *Epist.* 4. (3) Ibid. (4) Vide supra pag. 256. nota (*).

unde possunt alimenta S. Ambrosio servientibus Clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia & in aliis Reip. partibus Deo protegente consistit. Hæc S. Gregorii testimonia me anxium tenent, quominus de tempore, quo Adeodatus consecratus fuerit Episcopus, libenter admodum nostram sententiam aperire liceat. Nam si inhæreamus Gregorianæ *Epistolæ* IV.[a] Libri XI.[i], & juxta Maurinos PP. eam Indictioni IV.[c] affigamus, quæ, uti diximus, initium habuit a Sept. anni DC., fateri cogimur, eodem temporis momento, quo denuntiatus Gregorio Constantii obitus fuit, statim de Successore substituendo cogitasse. Præsertim quum pluries in *Epistolis* doceat idem S. Pontifex, cautum fuisse sacris Canonibus, ne *ultra tres menses* Episcoporum Sedes vacent; & de hoc ipso monuerit Constantium, quum Diœceseos sive Provinciæ suæ Episcopum, ut superius (5) vidimus, deposuisset: *Sacri Canones*, inquiens, *sicut nostis, ultra tres menses Ecclesiam præcipiunt non vacare*. Ex adverso, quum de nostræ Ecclesiæ Episcopis Chronologici Scriptores, auctoritate freti veteris nostri *Catalogi*, unanimi consensu asseverent, vacasse hanc Sedem post Constantium annum unum & dies XIII., novo nos laqueo implicant. Nam, si a III. Nonas Novembris anni DCXXIX., quo obiit Adeodatus, retrogradiamur annos XXVIII., mensem unum, & dies XIV., quibus juxta *Catalogum* (6) sedit, incidisset ejus Consecratio non ante die Dominicum XVII. Septembris anni DCI., ideoque anno uno, & diebus XIII. post obitum Constantii. Secus, si citatæ *Epistolæ* tempus attendere velimus, dicendus esset Adeodatus Genuæ electus atque etiam consecratus vix intra XIII. dierum spatium post mortem Prædecessoris: & tunc error anni unius, de hujus Episcopi

(5) Lib. 7. *Ep.* 14. cit. sup. p. 421. 431. & 432. & not. (82) ib. (6) V. infra C. V. Sect. VII.

Pontificatu, in *Catalogo* nostro prætermissi argueretur. Si vero *Catalogi* chronologiam sequamur, *Epistola* illa Gregorii in Indictionem V.^{am} esset rejicienda. Quorum utrumlibet difficulter admodum videtur statui posse. Quamobrem legentium esto judicium, num fortasse Rex Agilulphus obicem sollicitudini Sancti Pontificis, retardatâ admodum Electi Consecratione, attulerit, ut præmonuimus.

Ex recitata S. Gregorii ad *Mediol. Epistola* evincitur, quàm adhuc ab Cath. Relig. abhorreret Agilulphus. Adeodati maritimum Romam iter ad Gregor. pro Ligusticæ suæ Ecclesiæ negotiis.

II. Plura hoc loco observanda occurrunt ex recitata *ad Mediolanenses* Gregorii *Epistola*. Quum enim *nulla ratione* approbari a Se posse profiteatur hominem, *qui non a Catholicis, & maxime a Langobardis eligitur*. Plura hìc uno impetu videtur innuere. Primum aliquos fuisse in Diœcesi Mediolanensi Schismaticos Episcopos, quos hìc *non Catholicos* vocat: hos etiam à Rege jussos novum Mediolanensem Episcopum esse consecraturos, quum neget, a Se *Episcopum suscipiendum, qui electus a talibus ordinatur*: quæ conjectura clarius etiam ex inferius dicendis apparebat. Deinde, dum *& maxime a Langobardis* addit, significare veluti voluisse, *Langobardos* esse pejores Schismaticis, utpote plerosque Arianæ adhuc hæresi addictos. Tertiò, cum *Langobardos* nominat, prudenter hìc, more suo, plurali usum esse numero, ne Regem ipsum Agilulphum intento veluti digito demonstraret. Quis enim alius ex Langobardis novum creare Episcopum poterat, nisi Rex ipse, qui *Epistolam* ad Mediolanenses dederat in hanc sententiam; &, ut Joannes Diaconus in vita hujus S. Pontificis (7) scribit, *Clerum & Plebem Mediolanensem terruerat, quatenus illum eligerent, quem Langobardorum barbaries voluisset*? Ideoque Agilulphus dubium reliquit, num Catholicam Religionem aut unitatem VI.° exeunte Sæculo jam esset amplexus. Neque enim Regis voto restragatus esset Gregorius,

(7) Lib. 4. Cap. 24. insert. in Opp. S. Greg. Tom. ult. col. 138. Ed. cit.

ſi Catholicum hominem Epiſcopum eligi juſſiſſet. Ultimò, dum vereri etiam videtur, fieri poſſe electionem *alicuius præſumptionis uſurpatione*, utrinque timere Illum apparet, tum a Rege, tum ab Epiſcopis Schiſmaticis. Vidimus enim, quod ſub Conſtantio ab his excitatæ turbæ fuiſſent non tam (8) Brixiæ, quam (9) apud Comenſes, atque alibi. Neque in Rege ſibi fiduciam collocare licebat: nam, quum de pace ageretur, reſciverat, Regem multa convicia in Se & Sancti Petri Cathedram evomuiſſe. Imo formidare poterat de induciis ipſis a Rege conceſſis, quibus ſubſcripſit quidem & adſtipulatus eſt Ariulphus Spoletinorum Dux; ſed iniquis & doloſis interpoſitis conditionibus, quæ adeo ſuſpectam & non ex animo factam reconciliationem ſignificabant, ut eum tanquam non juratum haberet Gregorius. Quin etiam rogatus ipſe ſuamet ſubſcriptione pactam concordiam firmare, conſtanter abnuit, ne in Se violatæ poſtmodum pacis culpa rejiceretur. Hæc atque alia ſingillatim enucleat illius S. Pontificis *Epiſtola* (10) Theodoro Curatori Ravennæ inſcripta, in qua denunciat, quomodo in Catholicam Religionem eo tempore animatus eſſet Agilulphus. * Evectus itaque ad Ambroſianam Sedem *Deuſdedit*, quem commodiore latino vocabulo *Adeodatum* appellamus, nihil antiquius habuit, quam ut de rebus Eccleſiæ ſibi recens commiſſæ cum Gregorio ipſo collatis capitibus communicaret. Opportunitatem liberius cum Eo agendi offerebant paulo ante pactæ (11) Græcos inter & Langobardos induciæ, & pacatum Genuâ Romam maritimum iter. Neque deerant multa cum Pontifice de perturbato Liguſticarum Eccleſiarum ſtatu ſerius agenda, quum latius ſenſim ſe ſe effunde-

* An. DCI.

(8) Vide S. Gregor. *Epiſt.* 39. Lib. 4. ſup. recit. pag. 412. (9) Vide ſup. pag. 429. & ſeq. (10) Lib. 9. *Ep.* 98. Indict. II. Vide ſup. pag. 428. & not. (70) ibid. (11) Vide ſup. pagg. 426. & 428.

ret Schiſmatis virus; quo etiam Regia ipſa laboraverat vivente Conſtantio, quocum vidimus communionem ab ipſa Theudelinda repudiatam. Ab eo colloquio digreſſus Adeodatus ſtrenue Paſtoralem ſuſcepit, ſuſceptamque pro virili provinciam adminiſtravit. Certum exſtat hujus Romani itineris indicium apud S. Gregorium (12) qui Indictione V. menſe Majo, anni ſcilicet DCII., ad noſtrum hunc Epiſcopum ſcribens in mentem revocat, quod anno ſuperiore præſens cum Ipſo tractaverat, hiſce verbis: *Itaque Fraternitatem tuam tempore, quo ad Nos fuit, queſtam eſſe recolimus; quod quædam immobilia, quæ Conſtantius Deceſſor veſter Luminoſæ ancillæ Dei, filiæ fratris ſui Teſtamenti ſerie, legati titulo dereliquit, iam Epiſcopus acquiſiſſet decreviſſeque Nos, ut, ſi hoc conſtaret, nullum ex his Eccleſia veſtra præiudicium pateretur*. De hoc igitur Conſtantii legato jamdiu videtur cum Gregorio egiſſe, dum Romæ verſaretur. Quum vero in hac *Epiſtola* commendaſſet Adeodato, ne a nullo *Luminoſam* pateretur hac de re gravari, & cauſæ totius judicium Sibi reſervaſſet, atque impoſitum cauſæ ſilentium ex reliquis *Epiſtolis* appareat; evinci facile poſſet, legata *Luminoſæ* immobilia ex iis bonis fuiſſe, quæ Conſtantius adhuc Diaconus habuerat, quod Eccleſiæ tum vigens diſciplina legare non (13) vetabat.

Exarchi *Callinici* perfidiâ captiva cum Genero abducitur Agilulphi filia. Rex iratus Patavium penitus evertit, Arıulphum Spoletino Ducem in Romanos impellit.

III. Pacifice quidem ſuſcepta ab Adeodato quum fuiſſet noſtræ Eccleſiæ adminiſtratio, novum operâ, ſive injuriâ *Callinici* Exarchi efferbuit in Liguria bellum, quod in alia omnia, quam in novi Epiſcopi electionem, Agilulphi curas cogitationeſque avocavit. Conventum erat, ut refert Gregorius ad Innocentium Africæ Præfectum (14) ſcribens, quod uſque ad menſem Martium futuræ IV. Indictionis, anni ſcilicet DCI., ab armis Græcos inter & Langobardos

(12) Lib. 12. *Epiſt.* 38. (13) Vide ibid. Guſſanvil. nota *c*. (14) Vide ſupra pag. 428.

cessaretur. Fatebatur ingenue ibidem S. Pontifex, se ignorare, utrum id certe foret eventurum. Nam, quum Romam allatus esset incertus de Agilulphi morte rumor, formidabat Pontifex, ne Rege forsan extincto, pax ipsa esset penitus interitura; præsertim cum non vere, sed ficte ac dolose ab Ariulpho Spoletino Duce qui propius Romæ imminebat, ea sancita pax crederetur. Verum contra Gregorii votum, quod a Langobardis creandum putabatur periculi bellum, ipsa Exarchi perfidia Romanis, seu Græcis admovit. Susceperat Agilulphus ex priore conjuge, vel amasia, ante Theudelindæ connubium, filiam, cujus nomen (15) apud Historicos excidit, nuptam Godescalco Parmensium, ut putat (16) Muratorius, Duci. Neque Theudelindæ posse eam affingi filiam sinunt initæ vix decennio ante cum ea Agilulphi nuptiæ; quum scilicet Scriptores fere omnes illam fuisse iam Godescalci uxorem hoc ipso ineunte anno DCI. uno ore consentiant. Sive igitur jam exisset, sive perduraret induciarum statutum tempus (nulla enim in proditoribus religio est) dum Parmæ tutè cum conjuge Duce Agilulphi filia versaretur, aut fortasse in suburbanis locis consisteret; positis insidiis, ex contermino Cremonensi agro erumpentes armati a Callinico immissi, Filiam ipsam Regis ac Generum interceptos Ravennam abduxere captivos. Infremuit nuncio hoc audito Agilulphus, atque ad suos Langobardicos mores rediens, in eam Venetiæ partem, quæ adhuc Græcis patebat, cum exercitu transgressus, Patavium (17) diuturna obsidione cinctam ac tandem deditam, præsidiariis Græcis Ravennam dimissis, miserando fœdatam incendio, nudatamque mœnibus penitus evertit. Parique ratione, eodemque tempore (18)

(15) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 21. Murator. ad an. 601. (16) Ad annum 601. cit.
(17) Paul. Diac. L. 4. C. 24. Murat. ibid. (18) Paul. Diac. L. 4. cit. C. 17. Murat. ibid.

Ariulphum Spoletinorum Ducem impulit, ut moto rursum in Romanos bello Latium vexaret, qui, nobili edita in Camertibus pugna, caput regionis Urbem ditioni suæ adjecit, Græcorumque viribus penitus afflictis, novis vastationibus recentes adhuc Romanorum calamitates oneravit. Nondum hoc acerrimo cum Græcis bello functus est Agilulphus; quum * anno sequenti DCII. Modoetiensi in Palatio, quod conjux Theudelinda construxerat, ex ea filium hæredem Regni (19) suscepit, qui postea *Adaloaldus* est appellatus. Lætitiam hanc perturbantibus adhuc hostilibus Græcos inter & Langobardos conflictationibus, *per idem tempus* (hoc nempe anno) *repellitur apud Ravennam Gallicinus* sive Callinicus Exarchus, totius sceleris bellique auctor, in ejusque dignitatem iterum sufficitur *Smaragdus* Patricius. * Inter hunc itaque armorum strepitum, & belli in Italia conflagrantis incendium, in ipsa Paschalis Festi solemnitate, VII. scilicet Idus Aprilis, ut plane testatur (20) *Diaconus*, anno nempe DCIII., susceptus Infans ritu Catholicorum in Modoetiensis Basilicæ Baptisterio per Abbatem *Secundum* Tridentinum *Servum Dei* (*) qui eximiæ, ut fama erat, sanctitatis tum Regiâ in Aula versabatur, sacris undis regeneratus fuit. Post vernum hujus anni tempus felicem sequutus jam efferventis belli impetum Agilulphus, a Venetiis in Liguriam Marte converso, *Mediolano egressus mense Julio* (21) Cremonam Urbem contendit, unde prima

Adaloaldus nascitur, ac baptizatur. Nova Agilulphi bella. Filiâ tandem ac Genero dimissis, ab armis cessatur.

* An. DCII.

* An. DCIII.

(19) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 26. Murator. ad ann. 602. (20) Paul. Diac. Lib. 4. cit. Cap. 28. Murator. ad ann. 603. (*) Hunc *Servum Dei* Gregorius ipse Lib. 6. *Ep.* 30. (Vide sup. pag. 421.), & *Servum Christi* Paulus Diaconus, Lib. 2. Cap. 29. citt., appellant propter Monasterii, credo, quod profitebatur Institutum, quasi propter suam humilitatem, qua Summus Pontifex se *Servum Servorum Dei* vocare consueverat (Primum vero hunc humilitatis titulum prætulisse Gregorium M. inter Romm. Pontiff. satis plane probant Maurini PP. in Præfat. ad *Epistolas* Ejusd. pag. 481. num. XI.) Cujus vero Instituti fuerit, penitus ignoratur. (21) Paul. Diac. Lib. 4. cit. Cap. 29. Murat. ad ann. 603. cit.

ma belli fax eruperat, eamque obsessam, & captam XII. Kal. Sept. funditus delevit, inde Mantua, ac Vulturina nostris ignota Geographis Urbe in suam potestatem redactis; refrigerari visus est Langobardorum furor, deletisque in Italiæ Diœcesi Græci Imperii reliquiis conquievit bellum primo VII. Sæculi anno inchoatum, tertio perfectum. Amoto enim, ut diximus, Callinico, & Smaragdo substituto, & libere dimissis Regis filia & Genero, quum sublata esset belli causa, ab armis cessatum utrinque per temporarium fœdus (22) fuit, & retenta occupatarum urbium possessione, ac prorogatis induciis nova veluti pacis spes affulsit. Quod nos certissimum habemus (23) ex Gregorii testimonio, quum primum Indictione VI. per triginta dies imperata fuisset armorum & belli intermissio; hanc videmus postmodum in solidam pacem Indictione sequente coaluisse, ut idem Sanctus Pontifex testatur (24) ad Theudelindam scribens in hæc verba: *Paterna præterea caritate persolventes salutationis officium, petimus, ut excellentissimo Filio nostro Regi, Conjugi vestro, pro Nobis de facta pace gratias referatis, atque Ejus animum, sicut consuevistis, ad pacem de futuro per omnia provocetis.*

IV. Atque hic subit mirari, quomodo S. Gregorius Agilulphi mentionem faciens, eundem Regem hac occasione *excellentissimi Filii* sui nomine ornet atque compellet; quo sane titulo illum semper privaverat, quotiescunque de Eo ad religiosissimam Con-

Agilulphi Regis religio Cath. sensim erumpit: hanc quo tempore sit professus. Theudelinda de suscepto ac regenerato filio Adaloaldo per litteras certiorem facit Gregorium. Hic Reginæ gratulatur, ac munuscula mittit.

(22) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 29. *Factaque est pax mense nono* (idest Novembri) *usque ad Kalendas Aprilis Indictione octava*, idest anni 605. Vide & Murat. ad ann. 603. sub fin. Item Cap. 33. *Sequenti denique mense Novembrio Rex Agilulfus pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum unum, accipiens a Romanis duodecim millia solidorum . . . . Dehinc Agilulfus Rex iterum fecit pacem cum Romanis tribus annis*. Vide & Murat. ad ann. 605. initio. (23) Lib. 13. *Ep.* 33. (24) Lib. 14. *Ep.* 12.

jugem scribendi se opportunitas antea obtulisset. Verum admirationem omnem adimit temporis hujus occasio, de quo agitur; quod mihi certum indicium exhibet, quando Agilulphus cœperit in Catholicam Religionem melius animari. Adeodato igitur in Ambrosiana Cathedra sedente, scilicet hoc anno DCIII., censeo pronam antea in Christi veram Religionem Agilulphi Regis voluntatem manifestis etiam declarationibus fuisse omnibus perspectam, & certis testimoniis, imo Pontificio etiam Gregorii suffragio testatissimam. Nam, præterquamquod Reginæ sanctissimæ Uxoris suæ adhortationes & vota nativam Ejus ingenii ferociam pro tempore mitigabant, & identidem in Catholicorum sensum pelliciebant; ipsa etiam uxoriæ virtutis admiratio sensim deliniebat animum, ut in favorem Christianæ Fidei sæpius excitatus minus semper ab eadem palam profitenda abhorreret. Hoc ipso tamen tempore ipsa Regni sui felicitas & potentia ad summum provecta, ut ad æternam etiam felicitatem aspiraret, divinitus fortasse effecit. Nam compressa & debilitata Exarchorum perfidia; amplificata, post extinctas in Liguria Venetia & Æmilia reliquias Græcorum victasque eorum urbes, Langobardica Ditio; emenda ab hostibus, ut spes erat, pretio pax precaria; illatus universæ Italiæ & perduraturus Langobardicæ potentiæ terror; imo Regnum ipsum certo hærede auctum post Adaloaldi nativitatem; pia demum religiosæ Uxoris consilia sæpius & in tempore admota, ut diximus, S. Gregorio auctore, ut se Christo vocanti dederet: hæc omnia certe conspiravere, ut non solum aperto favore, sed etiam toto animo Christianam Religionem amplecteretur. Neque ambiguum ejuratæ Arianæ hæresis indicium, præter *Filii* nomen, quo Ipsum a S. Pontifice ornatum fuisse præmonuimus, illud profecto fuit, quod Agilulphus neonatam Sobolem ritu Catholico, ut vidimus, Sacro

Fonte voluerit, aut certe ſiverit expiari. Mihi ſane Autharis tempora cum ſucceſſoris Agonis ætate comparanti hoc unum prodigii inſtar videtur: quum quatuordecim ante annis ille Rex, ut Gregorii verbis (25) utar, *nefandiſſimus* Catholicorum filios in Ariana hæreſi baptizari juſſerit; & ex adverſo illius ſucceſſor Agilulphus inter ſanctiſſima Paſchalis feſtivitatis ſolemnia Filium hæredem Regni in Chriſtianæ Eccleſiæ ſinu regenerandum obtulerit. Filii nati, & Chriſto renati gaudium S. Gregorio impertiri uſque ad anni finem fortaſſe diſtulerat Mater religioſiſſima; quum tanto ardore ſuſceptum nondum conquieviſſet bellum: donec demum firmata utrinque pace, & annuo impoſito (26) Græcis tributo, ut ſperabatur, redemptâ, per litteras Genuam (27) ad Adeodatum, ut reor, miſſas nuncium S. Pontifici referendum curavit. Neque idcirco ea me Muratorii ſuſpicio inceſſit (28) aſſerentis ſive dubitantis, eo tempore Genuam in Agilulphi poteſtate fuiſſe; quod nec ſolida ulla ratione probatur, atque adverſatur Langobardico ſcriptori Paulo (29) eam poſſeſſionem in Rotharis ætatem ac regnum ſerius rejicienti. Vero ſimilius crediderim, Theudelindam Adeodati operâ litteras voluiſſe ſuas Pontifici offerri, tum ut ſecuriore via ad ipſum, nondum penitus pacata Italiâ, perferrentur, tum ad declarandum ſuo Antiſtiti Adeodato obſequium, quocum erat perfecta communio; ad quam fovendam vidimus Eam aliàs excitatam Pontificis ipſius Gregorii litteris, quum in vivis ageret deceſſor Conſtantius. Quanquam non adeo ſerò dilatas crediderim ipſas Theudelindæ ad Pontificem litteras, ut ſuſpicatur ibidem Muratorius.

(25) Lib. 1. *Ep.* 17. cit. ſup. pag. 396. (26) Vide Fredegar. in *Chron.* Cap. 69. & Murat. ad ann. 613. init., vide & ad ann. 611. pag. 23. (27) Sic Gregor. initio *Ep.* 12. Lib. 14. citt. *Scripta, quæ ad Nos dudum e Genuenſibus partibus tranſmiſiſtis &c.* (28) In *Annal.* ad ann. 604. cit. ſup. pag. 424. Vide ſupra pag. 304. nota (*) & pag. 373. (29) Lib. 4. Cap. 47. Vide infra Cap. V. Sect. X.

Respondens enim Reginæ S. Gregorius Indictione VII., vel sub finem scilicet hujus anni DCIII; vel initio subsequentis, tarditatem suam in respondendo excusat, confessus, eas ad se *dudum transmissas*. Incredibile autem dictu est, quanto exsultaverit gaudio sanctus Pontifex, accepto optatissimo nuncio. Nam primùm gratulatus de *Filio donato*, & *Catholicæ Fidei sociato* sic prosequitur scribens: *Nec enim de Christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere Vos, ut quem divino munere suscepistis, Catholicæ rectitudinis auxilio muniretis: ut & Redemptor noster familiarem Te suam famulam cognosceret, & Langobardorum genti novum Regem* (*) *in timore suo feliciter enutriret. Unde oramus omnipotentem Deum, ut & Vos in mandatorum suorum via custodiat, & eundem excellentissimum filium nostrum Adulouvaldum in suo faciat amore proficere: quatenus sicut hic inter homines jam magnus est, sic quoque & bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus*. Pontificia deinde caritate munuscula neonato Regi, & primogenitæ Sorori, scilicet Gundebergæ, peramanter in hæc verba impertivit. *Excellentissimo autem Filio nostro Adulouvaldo Regi transmittere phylacteria curavimus, idest crucem cum ligno sanctæ Crucis Domini, & Lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusam. Filiæ quoquæ meæ, Sorori ejus, tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, & unum cum albula, quæ eis per Vos peto dari, ut apud eos nostra caritas ex vestra Excellentia condiatur*.

(*) Hoc titulo S. Greg. insignivit Adaloaldum non utpote jam hoc anno inauguratum *Regem*, ut quidam ex Recentioribus suspicatur, sed utpote futurum paterni Regni Successorem. Quomodo enim *mense Julio* anni 603. inaugurari poterat in Circo coram Agilulpho patre, quo mense hic *Mediolano egressus* (Vide sup. pag. 440.) bellum Romanis denunciavit? quo tandem confecto, *sequenti æstate*, *mense Julio*, anni 604., Adaloaldum, ad Regnum elevavit. Vide & Murat. ad ann. 604. pag. 13. Vide infra huj. Op. p. 448. & not. (39) ibid.

Scrupuli iterum Theudelindam de *Tribus Capitulis* anxiam tenent, quos S. Gregorius jam morti proximus satagit evellere. Huj. S. Pontif. obitus. Quæ exinde consecuta sunt usque ad regni Agilulfi finem, summatim prælibantur.

V. Sub idem tempus alia de Religione Catholica piissimam Reginam cura angebat, quum audiret Schismaticorum qui in Liguria abundabant, dicteria contra *Quintam Synodum*. Quare ignara consilii, atque anceps animi, sed de fidei veritate sollicita mentem suam, atque fluctuantis animi ambages sancto Pontifici aperuit per legatos & litteras *Secundi Abbatis* (30) rogans, ut his *subtilius respondens* omnes sibi de recta fide scrupulos evelleret. Intempestive admodum ea incidit legatio; nam podagra laboranti *Secundi Abbatis* litteræ fuere Pontifici redditæ: quibus nec respondere verbis suis potuit; sed unice misso *Synodi Quintæ* exemplo speravit, posse Schismaticorum fallacias destrui & mendacia aperiri. Totam seriem habemus ex indicata nuper *Epistola*, in qua, postquam respondit primis Reginæ litteris *dudum* acceptis, quumque gratulatus fuisset de Filii baptismo, novas litteras & legationem acceptam & dimissam exponit, subdens: *Illud autem quod Excellentia vestra scripsit, ut dilectissimo filio nostro Secundo Abbati ad ea, quæ scripsit, subtilius respondere deberemus, quis petitionem illius, vel Vestra desideria, quæ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tanta Nos podagræ infirmitas tenuit, ut non solum non dictare, sed etiam ad loquendum vix possemus assurgere; sicut & præsentium portitores legati vestri cognoverunt, qui & Nos venientes infirmos invenerunt, & discedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquerunt. Sed, si omnipotente Deo disponente convaluero, ad cuncta, quæ mihi scripsit, subtiliter respondebo. Eam tamen* Synodum, *quæ piæ memoriæ Justiniani tempore facta est, per latores præsentium transmisi, ut prædictus filius meus dilectissimus ipsam legens agnoscat, quia falsa sunt omnia,*

(30) Vide infra pag. 456. & Cap. IV. *Digress.* Sect. VI.

quæ contra Sedem Apostolicam vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim, Nos cujuslibet sensum hæretici recipere, vel a tomo sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri in aliquo deviare; sed quæcunque a sanctis Quatuor Synodis sunt definita, recipimus, & quæcunque reprobata sunt, condemnamus. Eandem enim semper Schismatici recinebant cantilenam, ut omnes docent Catholici, qui de hac re scripsere, *Quintam* scilicet *Synodum* cum *Quarta Chalcedonensi* pugnare, & hujus fidem evertere. Sed Sancti Pontificis vota morte interveniente irrita ciderunt. Suprema utique hæc Gregorii ad Theudelindam *Epistola* veluti Cygnæa morituri cantio

* An. DCIV. fuit. * Nam ex eo morbo, quo eam dictans conflictabatur, eadem Indictione vigente, paulo post vitam hanc caducam & fluxam cum æterna commutavit IV. Idus Martias Pontifex egregius Prædecessoribus suis merito comparandus, atque omni doctrina, patientia, religionis studio Successoribus futurus exemplar. Tanti Pontificis obitus Ecclesiasticæ Historiæ universæ & præsertim Mediolanensi fuit luctuosus, quæ Sabiniani, & Bonifacii III. successorum cum Theudelinda litterarum commercio destituta, abrupto veluti Ariadnæ filo, in tenebris hæret. Quanquam ex aliorum monumentis hinc inde collectis sarcire & retexere conabimur, & præsertim ex unica S. Columbani (31) ad Bonifacium IV. *Epistola*, ex qua suo loco deprehendemus vestigia damnorum & turbarum subinde in ipsa Regia Aula post mortem S. Gregorii ex Schismate enascentium. Italia certe uberrimum fructum post Doctoris SS.mi obitum retulit, exoptatam scilicet, & diuturnam pacem tot precibus & lacrymis ab eodem sæpissime postulatam dum viveret; post mortem apud Deum in cælesti patria, ut credo, exoratam

(31) Vide infra Sect. VIII. & IX.

bono Romanorum & Catholicæ Religionis incremento, quibus unice vixerat. Etenim reliquis undecim, quibus vixit, annis Agilulphus ab armis in Italia adversus Romanos conquievit. Unum adversus Avares, unde minus timebatur, Langobardorum accensum est bellum per hæc tempora, cujus damna fuse persequutus est (32) Paulus Diaconus: causas tamen & semina vel ignoravit, vel omisit. Mirum siquidem dictu est, quomodo ille ipse Avarûm *Cacanus* (sic Regem sua lingua appellant) qui paulo ante sive Græcis, sive Francis Langobardorum hostibus inimicitias suas (33) denuntiaverat, repente mutato animo & infestis signis in Langobardorum ditionem, scilicet Forojuliensem agrum irrumperet, ibique crudelitatis, perfidiæ, atque efferatæ immanitatis vestigia relinqueret non impressa leviter, sed ad memoriam hominum sempiternam. Refugit animus ea narrare, quæ Paulus ibidem fuse describit. Hoc unum dicam, jusjurandum Romildæ, Gisulphi Forojuliensium Ducis II.[i] uxori, quæ ultro *Cacani* amore capta illi Forumjulii prodiderat, majore perfidia servasse, quam si violasset. Hæc cursim delibanda censeo ad lucem & integritatem historiæ, ut pateant infortunia *Grimoaldi*, ipsorum Gisulphi & Romildæ filii, postmodum Langobardorum Regis, ut (34) inferiuś videbimus. Grimoaldus etenim in ea Avarûm irruptione occiso Patre captivus, quum prope divinitus elapsus e Barbarorum manibus esset, & XXIV. post annis ejus fratribus natu majoribus Tasone & Caccone Forojuliensibus Ducibus (35) Patricii Gregorii perfidiâ dolose interemptis apud *Arichim* Beneventanum Ducem consanguineum & ejus olim Pædagogum asylum fuisset nactus, & ibi (36) Dux postea effectus, Theude-

(32) Lib. 4. Cap. 38. Murat. ad ann. 611. (33) Lib. 4. cit. Cap. 25. (34) Vide infra Cap. VI. Sect. VIII. & seqq. (35) Paul. Diac. Lib. 4. cit. Cap. 40. (36) Ibid. Cap. 47.

lindæ successoribus (37) Regnum ademit. Ista Forojuliensium calamitas una pacificum sequens Agilulphi regnum turbavit.

* Adaloaldus infans in *Circo* Mediol. Rex a Patre inauguratur. Agilulphi fœdus cũ Theudeberto. Huius Regis filia Regio Puero desponsatur. Theudelindæ matris erga Modoetiens. Basilicam munificentia.

VI. Ceterùm jam profligatis anno superiore hostibus, & diuturniore cum Grecis fœdere inito quum tuta undique omnia essent ac tranquilla; in id intendit animum Agilulphus, ut successorem & hæredem Regni sibi constitueret. Publicam igitur ex Adaloaldo filio vix biennio ante suscepto, & Paschali præcedentis anni festo per salutare lavacrum expiato lætitiam cumulari Rex voluit solemni hujus Infantuli in Regni consortium assumptione, *sequenti* scilicet post Gregorii obitum *æstate*, *mense Julio*, ut scribit (38) Paulus, non præcedentis, vel subsequentis, sed verius hujus anni DCIV., ut plerique ex Scriptoribus (39) affirmant. Splendidiore autem, qua poterat, pompa coram Regni Primoribus inaugurandum curavit. Delectus in Urbe Mediolanensi aptissimus continendæ Populi multitudini locus, *Circus* videlicet, qui intra mœnia a Narsete XL. circiter ante annis (40) laudabiliter reparata, seu, ex communi diligentiorum Scriptorum (41) sententia, in veteris Romanæ, ut vocant, Urbis ambitu a Maximiano Augusto amplificatæ comprehendebatur. Neque puto, a me aliisque dissentire Paulum Diaconum, qui hunc *Circum* non in Urbe fuisse dicit, sed *apud Mediolanum*. Hanc enim dicendi formulam *apud* sæpius de more usur-

(37) Ibid. Cap. ult. & Lib. 5. Cap. 1. (38) Lib. 4. Cap. 31. (39) Ad hunc ann. 604. referunt Sigon. cum Saxio in notis ad eund. *De Regno Ital.* ad h. a. Opp. Tom. 2. col. 77., Pagius in not. ad Baron. ad ann. 605. nota II., & Murator. ad h. a.: Baronius vero, H. Blancus, & Frisius *Diss.* 2. Cap. 16., & in Edit. novissima 1794. Tom. 3. pag. 210. nota (32), eam differunt ad ann. 605. Vide & sup. pag. 444. not. (*). (40) Vide sup. pag. 354., & Marii Avent. verba ibid. pag. 348. (41) Vide Gratiol. *Ichnograph. Mediol.* præfixam Operi suo *De Præcl. Mediol. Ædificiis*, & Cl. Com. Julinium Tom. 5. pag. 178. & in *Tab. Topograph.* Tom. 9. Item *Tab. Topograph.* in calce Operis *Vicende di Milano* &c. Edit. 1778. in 4., & in ejusd. *Tab.* explicatione pag. 287. litt. *gg.*

usurpat (42) ad designandum locum ipsum, in quo aliquid gestum fuisse describit. Ut magnificentiam inaugurationi uberiorem adjungeret Agilulphus, voluit celebritati interesse legatos Theudeberti Francorum Regis, quocum hac ipsa occasione Langobardorum Rex duraturum perpetuo foedus firmavit & foederis arrham adjecit sponsionem futuri matrimonii inter Puerum renuntiatum Regem, & ipsius Theudeberti parili ferme ætate Filiam. Apud Historicum nostrum, qui hanc celebritatem satis accurate descripsit, nihil omnino innuitur huic in *Circo* interfuisse Theudelindam Reginam. Num eo ipso die religiosissima Mater Modoetiæ versata est, in id tota incumbens, ut a S. Joanne Præcursore in Basilica a se recens (43) constructa, & dotata Regiæ Soboli patrocinium deprecaretur? Hanc Basilicam multis iisque magnificis ornamentis ac dotibus decorasse testatum habemus (44) ex Modoetiensi Pauli Diaconi Codice, qui ipsius donationis syngrapham refert. Hanc, licet aliqua verborum varietate, recitavit Bonincontrus Morigia (45) in *Chronico* suo *Modoetiensi*, & typis editam legimus in nonnullis exemplaribus, uti Ascensiano MDXIV. & Basileensi MDXXXII. hisce conceptam verbis: *Dicamus offersionem Scripturæ Theodelendæ Reginæ. Offert gloriosissima Theodelenda Regina una cum filio suo Adoaldo Rege* (addit Bonincontrus: *ipsa die, in qua in præsentia Patris coronatus*

(42) Vide inter cætera Lib. 1. Cap. 25. bis Item Lib. 2. Cap. 4. 5. & 31. Lib. 3. Cap. 11. & 30. Lib. 4. Cap. 42. Ac demum quid maxime Paulus sentiat, cum utitur voce *apud*, lege sis Lib. 2. Cap. 10. ubi hæc habet: *Aripertus sedem habebat apud Parisios . . . Hilpericus cathedram habebat apud Suessiones . . . . Sigisbertus apud urbem regnabat Mettensem*. Quis hic non videt designari Regiam sedem primi Parisiis, alterius Suessione, postremi Metis? (43) Paul. Diac. Lib. 4. C. 22. Vide & *Additam. ad Hist. Miscell.* pag. 183. col. 1. init. Vide sup. pag. 409. & 440. (44) In Adnotat. H. Blanci ad Paul. Diacon. Lib. 4. Cap. 22. nota 78. (45) Lib. 1. Cap. 12. MS. in Bibl. Ambros. D. 54. in fol. It. in *Rer. Ital. Scr.* Tom. 12. col. 1070.

est ibi) S. *Joanni Patrono suo* * *de dono Dei*, & *de dotibus suis*. ** *Chartulam donationis, quam in Suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore hanc donationem voluntati suæ corrumpit* (al. *hanc testem voluntatis suæ corruperit*) *in judicii die cum Juda traditore dampnetur*. Bonincontro vero, qui multò posteriore ævo *Chronicum* suum scribebat, scilicet anno circiter (46) MCCCXLV., jure optimo reclamat eruditissimus Antonius Franciscus Frisius in sua II.ª *Dissertatione* (47) de Modoetiensi Basilica, asserens hunc donationis diem marte suo fuisse confictum; quum in Codice Modoetiensi Pauli Diaconi, & in Editionibus desideretur. Potiori tamen jure mendacii arguendus esset Bonincontrus ex eo, quod silentio præteriens Adaloaldi ad Regnum assumptionem in Mediolani *Circo* celebratam, quam Paulus tam aperte exposuit, hujus Regis coronationem *Ibi*, id est in Modoetiæ Templo, factam posteris venditare hic atque alibi apertius (48) ausus fuerit. Sed quocunque tempore hæc accidisse velimus, id pro certo habemus, piissimam Reginam voluisse, novum Regem filium latere sub sancti Joannis Præcursoris tutela, & Basilicam a se fundatam *de dotibus suis* (ut reor, dotalibus ornamentis) splendide esse elargitam. Imitata est, credo, Constantini Magni munificentiam, qui, ut habemus (49) in *Pontificali Libro*, postquam in Urbe Roma Ecclesiam construi in prædio cujusdam Equitii, & alibi Basilicam SS. Marcellino & Petro dicari (50) jussit, plurimis etiam donis ambas locupletavit; aut Summorum Pontificum, uti S. Innocentii (51) in

* *De donis Dei* legitur in Epigraphe Evangeliarii ab ipsa Regina Modoetiensi Basilicæ dono dati, de qua formula vide Fontaninum *De Disco votivo* Cap. 9. & seqq. Edit. Romæ 1727. apud Paciaud. *Diss.* 6. pag. 267.

** Al. *Chartula*.

(46) Vide Murat. *Anecdot. Lat.* Tom. 2. Cap. 7. pag. 287. & Cap. 10. pag. 299. & alibi. (47) Cap. 15. pag. 77. Edit. Mediol. apud Galeatios. 1776. in 4. (48) In MS. cit. Lib. 1. Cap. 14. & in Edit. *Rer. Ital. Script.* Tom. 12. cit. col. 1071. *Hic* (Adaloaldus) *in præsentia Patris in Modoetia coronatus fuit*. Vide infra pag. 453. (49) In *Vita S. Silvestri* Tom. 1. pag. 78. & 79. Edit. cit. (50) Ibidem p. 100. & 101. (51) In ejus *Vita* ibid. pag. 130. & seqq.

Basilica SS. Gervasii & Protasii, ut alia quamplurima ex eodem *Pontificali* omittamus exempla. Quantopere Catholicæ Religioni & Langobardorum Nationi salutaris fuerit ea Modoetiensis Basilicæ a fundamentis excitatæ erectio, satis patet ex ipsorum omnium testimonio, qui exinde in Christum propensi nomen Religioni nostræ dantes, se in S. Joannis Baptistæ patrocinium contulere. Habemus enim ex citato Pauli Diaconi (52) *additamento*, & ex Bonincontro (53) ipso, quod Langobardi *ab illo die in omnibus actibus cœperunt invocare S. Joannem, ut illis præberet auxilium in virtute Domini nostri Jesu Christi; & illi omnes permanebant illæsi, victoresque exstiterunt super cunctos adversarios suos.*

VII. Ut autem de Theudelindæ donariis sententiæ fides legentium adjungatur, juvabit marmoream Absidem, sive fornicem maximæ Templi illius januæ impositum, atque opere anaglypho sculptum expendere; cujus typum impressum habemus in Paulo Diacono Cl. Horatii Blanci notis (54) illustrato, & novissime recusum (55) a nuper laudato Frisio, diligentissimo de ea Basilica Scriptore, qui singula ejusdem ornamenta ac monumenta, dum hæc scriberemus, persequebatur, & hodie absolutissimo Opere jam est persequutus. Marmor illud apprime considerantes citati Scriptores, barbarico, sive Langobardico scalpro prodiisse, coævo plane Agilulphi & Theudelindæ temporibus, temere opinati sunt. Verum tum Absidis architectonice, tum calceamentorum usus omnino ab Langobardico diversus, quem Diaconus (56) describit, apta quædam figurarum distributio, decens vestium cultus, aliaque nonnulla, politiorem, quam Agilulphi, ætatem redo-

Marmoreæ Absidis, maximæ Templi Modoetiensis januæ hemicyclo impositæ, accurata descriptio. Thesauri ibidem asservati vices.

(52) In nota H. Blanci 78. ad Lib. 4. Cap. 22. citt. Vide & Lib. 5. Cap. 6., & not. 32. ibid. (53) In MS. cit. Lib. 1. Cap. 12. cit. (54) In *Rer. Ital. Scr.* Tom. 1. pag. 460. Tab. 2. (55) *Dissert.* 2. cit. Tab. 4. pag. 78. It. in nova Edit. 1794. cit. Tom. 1. pag. 9. Tab. 1. (56) Lib. 4. Cap. 23.

lent. Tenentur sane in superiore parte & usurpantur oculis donaria ipsa Reginæ; scilicet in angulo inspicientium dextero Calices tres aurei, Crux item aurea, Scyphus (57) ex sapphiro, ut dicitur, cum aureo manubrio gemmis distincto, & Patera ampla ex argento, ut fertur, inaurato, cui superposita est gallina cum pullis septem. In angulo autem sinistro Coronæ tres aureæ, ex quarum singulis aureæ item dependent cruces. Columna vero habens capitulum foliis in speciem acanthi ornatum, rudi tamen opere elaboratum, dividit dexterum donariorum latus a S. Joanne Præcursore, cujus caput (sicuti etiam SS.rum singulorum, qui in inferiori Absidis facie describentur) discus obnubit, cælestis beatitatis insigne: hispida pelle, arcta succintaque tunicâ induitur, fluente dextrorsum pallio: utraque manu pateram quandam coopertam instar acceptantis sustinet. Prope eminet conspicua Theudelindæ effigies: coronata fronte, promissa usque ad talos veste regiam majestatem præ se fert: S. Joanni B. Coronam devovet cum cruce superimposita, utrumque gemmis contextum. Nulla hic visuntur jocalia; quorum tamen aliqua etiamnum (*) in ejus Basilicæ cimeliarchio asservantur. Supplices item sequuntur, elatis ambo ad cælum oculis, expansisque ante humeros manibus, Gundeberga & ejus pater Agilulphus. Hic regia corona, pallio, calceisque militaribus ornatus lævum flectit ante Præcursorem genu: stat Illa talari induta tunicâ. Inter eos visitur stans puerulus Adaloaldus tunica breviori & pallio circumdatus, calceos ferens corrigiis obstrictos: dexterâ

(57) In quodam Documento anni 1277. 6. Aug. in Archivo Modoetiensis Basilicæ asservato sic legitur: *Et unum vas de zafirio factum ad modum unius scyphi & tenet quantum potest tenere unus naput magnus de napera*. Apud Com. Julin. in Additam. ad h. a. Tom. 9. pag. 98.

(*) Præter jocalia, pecten etiam ipsius Reginæ ex ebore, & flabellum, utrumque auro gemmisque distinctum, patera ex achate, cultellus, & alia ibidem asservantur.

columbam, veluti innocentiæ, seu divinæ gratiæ per baptismum receptæ symbolum prope sinum gestat. Expendere hic juvat, coronas oblatas dissimilis formæ exstare ab ea, qua tam Rex, quam Regina hic ornati visuntur; ut discamus nullam ex iis ad Regni insignia pertinere, sed ad speciem donariorum, quæ supra exposuimus, referri, ut ipsa etiam Coronæ majori, quæ *Agilulphi* dicitur, insculpta epigraphes (58) testatur: AGILVLF GRAT DI VIR GLOR REX TOTIVS ITAL OFFERET SCO IOHANNI BAPTISTE IN ECLA MODICIA. Quod si aliquando ad coronationem Italiæ Regum illa, quam *Ferream* vocant, pertinuit, id CCC. circiter post annis accidisse jam docuit Medii Ævi illustrator egregius, & semper cum laude nominandus Ludovicus Ant. Muratorius tum Collegii nostri Ambrosiani Doctor Tomo I. (59) *Latinorum Anecdotorum*. Neque prætereunda est conjectura Cl. Horatii Blanci (60) qui testatur in ea exstare adhuc foramina quædam, certa veluti indicia crucis olim ab ipsa pendentis. Quamobrem aliquis infigitur scrupulus, num *Ferrea* etiam *Corona* una ex tribus fuisset, quæ in dicta Abside cum cruce pendulâ in formam donariorum exhibentur; qui scrupulus ut evelleretur a Modoetiensium rerum Scriptoribus, maxime optarem. Inferioris vero Marmoris facies Christi Baptismum exprimit. Christus medium tenet locum, elata dextera benedicens: lævo ejus lateri adstat Angelus tunica pallioque amictus & calceatus; nescio quid instar sceptri (*) dex-

(58) In *Rer. Ital. Scr.* Tom. 1. pag. 460. Tab. 1. (59) Lege sis Caput VII. pag. 236. & seqq., ubi probatur, Otthonem III. fuisse fortasse primum, qui Modoetiæ coronatus fuit anno juxta Sigonium 995. (60) Ad Paul. Diac. Lib. 4. nota 79. (*) Angelus cum corona ac sceptro nuncius B. V. cernitur in Anaglypho sacro ap. Gor. *Thes. Vet. Diptych.* Tom. 3. Tab. XXX. pag. 254. Edit. Flor. 1759. fol. Quidnam vero in summitate hujus sceptri sculptor exhibuerit, vel triplicis adinstar digiti, vel lilii germinantis, difficile est divinare. Num *manum justitiæ* (quam Rex Hugo in sceptro *primus videtur gestasse cum globo*, ut

terâ gerens. Alterum obtegit latus S. Jo. Baptiſta pallio dumtaxat nudis membris ſuperimpoſito, dexterâ veluti vaſculum ſuſtinens operculo clauſum, & lævam (*) Chriſti capiti protendens. Hinc ex ordine ſequuntur Deipara atque Apoſtolus Petrus; illinc Joannes probabiliter Euangeliſta volumen geſtans, pedibuſque excalceatis; & demum Apoſtolus Paulus: treſque ſinguli tunicâ ac pallio ſuperinduti. Petrus vero & Paulus, ut utriuſque ſymbola aperte teſtantur (quorum hic ſiniſtrum, ille dexterum Abſidis angulum (**) occupat) *ſandalia* juxta (61) divinum præceptum gerunt, uti præcipui Fidei præcones. Non æque tamen arridet ejuſdem Blanci interpretatio, qui arbitratus eſt, *Jordanem fluvium* ex Chriſti ventre profluentem ab *infeliciſſimo*, ut ipſe ait, ſculptore expreſſum deſignari. Cenſeo enim effectum baptiſmi in protobaptiſmo Redemptoris indicari voluiſſe potius, quam Jordanem, juxta illud (62) Joannis: *Qui in me credit; flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Confirmat ſententiam meam Columba ipſa Chriſti capiti supervolitans, & roſtro phialam tenens, unde Spiritus in aquæ fluentis modum inſilit ſuper Chriſtum. Muratorius prodigii loco (63) habet, tam antiqua Langobardorum donaria ad noſtram uſque ætatem perduraſſe, nullo unquam tempore violata, aut decerpta. Hanc ta-

---

ait. Mabill. *De Re Dipl.* Lib. V. pag. 20. & Tab. XXXVIII. pag. 421. Vide & Jo. Mich. Heinecc. *Syntagma Hiſt. de Veterib. Germanor. aliorumq. Nationum Sigillis* Tab. III. pag. 21. Edit. Francof. & Lipſ. 1719.) ad ſignificandam fortaſſe divini Verbi poteſtatem, juxta illud *Matth.* Cap. 28. verſ. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra?*

(*) In atrio majoris Portæ Baſilicæ S. Laurentii extra Romæ muros in Agro Verano conſtructæ depictum ſe vidiſſe teſtatur Mabill. (*Muſ. Ital.* Tom. 1. Part. 1. pag. 79. Edit. cit.) *S. Romani* baptiſmum a S. Laurentio collatum, qui dexterâ *Romano* aquis immerſo benedicit, ſiniſtrâ urceum, aqua plenum ſuper ejuſdem caput effundit. Vide, quid de hoc ritu ibid. animadvertit Cl. Scriptor. (**) Quare alicubi dexterâ Paulo concedatur, ſiniſtra Petro; conſule Gor. Op. & Tom. citt. pag. 250. & 429. (61) *Marci*. Cap. 6. verſ. 8. & 9. (62) Cap. 7. verſ. 38. (63) Ad ann. 603. pag. 8. in fine.

men felicitatem Basilica Modoetiensis Vicecomitum nostrorum Principum liberalitati ac religioni referre debet acceptam. Quorum unus, Matthæus videlicet Magnus tunc Mediolani Dominus, teste (64) Bonincontro, Thesaurum hunc pignori distractum a Turrianis tum Reip. Mediolanensis Rectoribus *per annos* XLVI (verius autem (65) XLIV) *XXII.ª mensis Decembris exigi fecit, quem Matthæus ipse in Vigilia Natalis Domini super altare S. Joannis Baptistæ propriis manibus in Modoetia genu flexo cum devotione deposuit, quæ omnia existimata fuerunt esse valoris XXVI. mille florenorum auri*. Alter vero, Joannes nimirum Archiepiscopus, etiam ipse Mediolani Dominus, gazam hanc Avenionem (66) anno MCCCXXIV. translatam precibus impetravit (67) a Summo Pontifice, & post annos XXI., anno nempe MCCCXLV. die vicesima Martii (68) eidem Basilicæ restituit (*).

Novæ Mediolani turbæ per Schismaticos concitatæ. *Jo.* Abbas Schismaticus Aquil. Patr. eligitur. S. Columbanus in Italiam adveniens ab quodam *Agrippino* ad Schisma sollicitatur. Jussu Agilulphi ad Bonifacium IV. scribit.

VIII. Theudelinda igitur aucta Filio, Christi per baptismum milite, & in Regni successorem electo, exsultabat intime, novisque semper iisque magnificis religionis ac pietatis propositis exemplis Mariti regnum illustrabat. Quod vero ad Agilulphum spectat, is Conjugis piissimæ virtutem æmulatus fovere Christi re-

---

(64) *Chron. Mod.* cit. Lib. 2. Cap. 25. (65) Vide Cl. Com. Julinium in *Additamentis* ad ann. 1275. Tom. 9. pag. 97. (66) *Chron.* cit. Lib. 3. Cap. 28. (67) Ibid. Lib. 4. Cap. 7. (68) Ibid. Lib. 4. cit. Cap. 9. (*) Hic operæ pretium ducimus, rerum Modoetiensium curiosis per synopsim chronologicam exhibere vices, quibus obnoxius fuit hic Thesaurus, auctore Bonincontro. Anno 1275. a Turrianis oppigneratus fuit. Anno 1319. 22. Decembris ope Matthæi Magni Vicecomitis restitutus, & die 24. ipsius mensis ab ipso super altare S. Jo. B. Modoetiæ honorifice depositus. (Lib. 2. Cap. 25.) Anno 1323. mense Jan. iterum in discrimen adductus humi sepelitur (Lib. 3. Cap. 16.) Anno 1324. mense Novemb. Avenionem transportatur. (Lib. 3. Cap. 28. Vide & Julin. *Contin.* ad h. a. pag. 217. & 218.) Ann. 1344. opera Jo. Vicecom. Archiep. Mediol. inde abducitur (Lib. 4. Cap. 8.) Ann. 1345. 13. Martii Mediolani magnifice recipitur. Die vero lunæ vicesima subsequenti collocatus tandem fuit in Oraculum S. Jo. B. Modoetiæ (Lib. 4. cit. Cap. 9., & Julin. ad annos 1344. & 1346. pag. 453. & seqq.)

* An. DCV. & DCVI.

ligionem, * fœdus cum Græcis ſanĉte identidem renovare & colere, quietem populis impertiri; Regnum demum, Francorum amicitiâ vallatum, ita confirmare exinde perſeveravit, ut eo vivente Langobardicum Regnum ad ſummum felicitatis culmen (69) crederetur evectum. Veruntamen vigente adhuc Regis pietate nubes aliqua offundi Schiſmatis, atque Eccleſiæ unitas aliquantulum interturbari viſa eſt. Clandeſtinum quoddam, Monachorum quorundam (*) præſertim operâ, contra *Synodum Quintam* commovebatur bellum; cujus jam ſemina jecerat *Secundus Abbas* Tridentinus in litteris poſtremis ad S. Gregorium (70) a Regina Theudelinda miſſis. In iis continebantur quædam de Synodo illa quæſtiones, quibus poſtulaverat ille Abbas ſibi *ſubtilius* a Pontifice *reſponderi*. Imbecillitate virium & podagra vetante, ex quibus paucis poſt menſibus e vita etiam emigravit, ut (71) diximus, ſpoponderat Pontifex, ſe, *Deo diſponente*, *ſubtiliter reſponſurum*: ſed interim ipſius *Quintæ Synodi* Acta miſerat, quæ loco etiam ſubtilis reſponſi eſſe poterant, ſi abſque partium ſtudio fuiſſent expenſa. Mihi certe non liquet, utrum ille Abbas perlectis illis Actis acquieverit;

* An. DCVII.

ſed video * ineuntis ſæculi VI. anno VII.° admotum Aquilejenſis Eccleſiæ clavo *Joannem* Abbatem (72) aſſentiente Agilulpho. Ille in Schiſmate pertinax in vetere Aquileja Schiſmaticos fovit, unde bifariam ea Sedes diviſa fuit, Catholicis in Inſulam Gradum, alio Pontifice electo, ſe recipientibus. *Joannis* hujus artibus inſuper

(69) Vide Gaillard *Second Memoire hiſtorique, & critique ſur les Lombards*, inſert. in Tom. 35. *Mémoires de Litterature de l'Acad. Roy. des Inſcript. & Belles-Lettres* pag. 793. & ſeqq. Edit. Paris. 1770. in 4. (*) Scilicet Abbatis *Secundi* Tridentini; Abbatis *Joannis*, poſtmodum Patriarchæ Aquilejenſis, *Agrippini* Monachi, poſtea Epiſcopi Comenſis, *Agreſtini* Monachi Luxovienſis; de quibus ſingulis infra. (70) Vide S. Greg. *Ep.* 12. Lib. 14. cit. ſup. pag. 445. & infra Cap. IV. *Digreſſ.* Sect. VI. (71) Sup. pag. 446. (72) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 34., & De Rubeis infra cit. Cap. IV. *Digreſſ.* Sect. VI. citt. in notis.

per video alium Monachum, *Agrippinum* nomine, ad Comensem Ecclesiam regendam evectum, uti paulo post (73) observabimus. Nec plura: Columbanum virum sanctissimum, ex optima S. Congili Scotici, & austera Monachali schola profectum, & in Benchorensi Monasterio ad Christi disciplinam formatum, ex Luxoviensi, quod in Gallia erexerat, Cœnobio Brunichildis Reginæ præpotenti imperio exulantem, quum primò Italiam intraret, irretire suis laqueis conati sunt Schismatici; Virumque sine fuco & sine felle, veteris aureæ simplicitatis, annisi sunt in suas partes pertrahere atque ex Romanæ Ecclesiæ sinu avocare. Dum hic, dirempta cum S. Gallo societate, Italiam versus tenderet, quum hanc Provinciam * vix a limine salutaret (Bregentio enim per Rhæticos montes ad Larium properabat) testatur ipsemet, ignoti hominis litteris sollicitatum, ut a Romanæ Sedis Pontifice animum averteret, quem Nestoriana lue infectum testabatur. * Juvat audire ipsius verba in *Epistola* IV.ª ad Bonifacium Papam (74). *Dum quidam litteris suis, quibus me primo pene ingressu in hujus regionis terminos arripuit, Vos mihi cavendos tanquam in Nestorii sectam decidentes significavit. Cui attonitus respondi in brevi, ut potui, non credens suæ allegationi: sed, ne ullo modo veritati essem contrarius, juxta suam Epistolam, & juxta meam bonam de Vobis æstimationem (ego enim credo, semper columnam Ecclesiæ firmam esse in ramo) responsum variavi, quod Vobis direxi relegendum ac concertandum, sicubi contra veritatem venit; non enim me inter irreprehensibiles profiteri audeo.* Hæsit itaque attonitus tantâ in Sum-

* An. DCXII.

* An. DCXIII. & DCXIV.

(73) Cap. IV. *Digress.* Sect. VII. & seq. (74) Insert. in *Biblioth. PP.* Tom. 12. pag. 31. Edit. Lugduni 1677. Recitat etiam Pagius in Not. ad Baron. ann. 614. n. 7. Vide infra pag. 463. nota (*).

mum Pontificem calumniâ Vir sanctissimus, inscius fortasse etiam controversiæ, utpote qui semper solitudini vacaverat; atque adeo certè Petri fidei adhæsit, ut responsionem suam ipsi Romano Pontifici obtulerit corrigendam. Indagandum hoc loco occurrit, quis fuerit pestilentis Epistolæ scriptor, quem ex ejusdem initio *Epistolæ* (75) designare hic audeo; *Agrippinum* nempe Comensem Episcopum, de quo inferius (76) recurret sermo, ubi de Ecclesiæ Comensis a Mediolanensi defectione originem scrutabimur. Nomen illius mihi sine ambage indicat ipse Columbanus scribens: *Si vero aliqua tanquam zeli modum excedentis verba aut in hac, aut in altera contra Agripp....., qui me movit ad scribendum, epistola, inveneritis incondita; meæ indiscretioni, non elationi deputetis.* Illustrat conjecturam meam Ceillierius (77) qui, de eadem differens ad Bonifacium IV.um *Epistola*, hoc modo *Aggripin...* designat *Agrippinum* audacis illius ad Columbanum Epistolæ scriptorem.

Satis prolixæ Columbani ad Bonifaciū Epistolæ fragmentum.

IX. In pretioso hoc Columbani monumento plurima etiam continentur turbulentissimum Mediolanensis Ecclesiæ & Liguriæ statum mirifice ad vivum adumbrantia. Dolens enim de parum vigili cura prædecessorum Bonifacii III., & Sabiniani, ipsiusque etiam Vigilii (neque enim paternas Pelagii I. & II., imo & Magni Gregorii sollicitudines Schismatici fraudulenter Columbano aperuerant) Schismaticorum impias voces, quæ undique hìc resonabant, in hæc verba (78) exponit „ Ecce conturbantur gentes, „ inclinantur Regna: ideo cito dabit vocem suam Altissimus, & „ movebitur terra. Ego quasi timidus, dum non sim fortis bel„ lator, quia hostem adversariorum circumdedisse nos video, Te,

(75) pag. 29. A. (76) Cap. IV. *Digress.* Sect. VII. (77) *Hist. des Aut. Eccl.* Tom. 17. pag. 490. (78) In *Bibl. PP.* Tom. 12. cit. pag. 29. E.

„ licet importunis clamoribus, tanquam Ducum Principem ſuſci-
„ tare conor; ad Te namque totius exercitus Domini, in campo
„ potius torpentis, quam pugnantis; & partim (quod lacryma-
„ bilius eſt) adverſariis potius manus dantis, quam reſiſtentis pe-
„ riculum pertinet. Te totum exſpectat, qui poteſtatem habens
„ omnia ordinandi, bellum inſtruendi, duces excitandi, arma corripi
„ jubendi, aciem conſtruendi, tubas undique ſonandi, certamen
„ demum, Te in fronte gradiente, ineundi. Quia væ diu appa-
„ ret in hac regione; in hoc ſpirituali bello victi ſumus, etiam
„ Chriſtiani, vitiis primùm carnalibus, ac pompoſa converſatione,
„ deinde fidei vacillantis tepore: qua infirmata, inimicis no-
„ ſtris, dum non ſenſimus, circumdati ſumus triplicibus, qui dati
„ ſunt nobis ad vindictam noſtræ luxorioſæ ſecuritatis. Omnium
„ enim malorum cauſa eſt cæcæ proſperitatis ſecuritas." *Et paulo* (79) *infra*. „ Ego enim de extremo mundo veniens, ubi bel-
„ la Domini præliari ſpirituales Duces conſpexi, & ſperans in
„ antea videre fortiores, peritioreſque hujus ſancti conflictus Du-
„ ces; & ita inveniens, ac ſi quidam campi bellici ruſcidus ca-
„ daverum ac madidus poſt pugnam contemplator, ſtupeo & do-
„ lens ac timens; ad Teque tantum, qui unica ſpes de Princi-
„ pibus es, per honorem potens Petri Apoſtoli ſancti, reſpiciens,
„ plango tanti exercitus ſtragem. Sed quia fragilis ingenii cym-
„ ba, non tam in altum, juxta verbum Domini, ducta eſt, quàm
„ adhuc in uno hæreat loco (non enim charta totum comprehen-
„ dere poteſt, quod animus, variantibus cauſis, Epiſtolæ anguſtiis
„ concludere voluit) a Rege rogor, ut ſingillatim ſuggeram Tuis
„ piis auribus ſui negotium doloris; dolor namque ſuus eſt Schi-

(79) pag. 29. cit. G.

„ sma populi pro Regina, pro Filio, forte & pro Se ipso; fer-
„ tur enim dixisse, si certum sciret, & Ipse crederet. Redeamus
„ ad Librum, quem juxta ripam dimisimus. Ne igitur hoc fune
„ erroris longissimo liget Latro antiquus homines, causa Schisma-
„ tis incidatur, quæso, confestim a Te cultello quodammodo
„ Sancti Petri; ideft vera in Synodo Fidei confessione, & hæreti-
„ corum omnium abominatione, ac anathematizatione, ut mundes
„ Cathedram Petri ab omni errore, si quis est, ut ajunt, intro-
„ missus; si non puritas agnoscatur ab omnibus. Dolendum enim
„ ac deflendum est, si in Sede Apostolica Fides Catholica non
„ tenetur. Sed, ut totum dicam (ne adulari ultra fas etiam Vo-
„ bis videar) dolendum quoque est, quod non Vos priores pro
„ zelo Fidei, ut decebat, diu parte a Vobis recedente (utpote qui
„ potestatem legitimam habuistis) continuò, ostensa prius vestræ
„ Fidei puritate, condemnastis, nec excommunicastis; * *quare* vel
„ infamare auderet *Fidei orthodoxæ Sedem principalem*. Scitis
„ enim, quam sæva animadversione a Patribus in Synodo Nicæ-
„ na Sancta damnati sunt innocentium criminatores. Sed hæc dicens,
„ non nesciens, multas esse causas in multitudine clamosa, & acu-
„ ta, tumultuosa, quæ non permittunt, hæc ad purum usque in-
„ vestigari; non quia crederem, sed quia nunc fieri debeant, di-
„ xi. Siqui sunt rebelles contra veritatem Vestri Comprovinciales,
„ tantum culpa includat hos; non enim ignem flare potest os fa-
„ rinâ aut aliquâ materiâ plenum; omnis enim res læditur vicinâ
„ contrarietate. Idcirco precor Vos pro Christo, subvenire famæ
„ Vestræ, quæ laceratur inter gentes, ne perfidiæ Vestræ repute-
„ tur ab æmulis, si amplius taceatis. Nolite itaque amplius dissi-
„ mulare, nolite tacere; sed potius emittite vocem veri Pastoris,
„ quam agnoscunt suæ oves, quæ alienorum vocem non audiunt,

* *quia*, vel *quod*, non *quare*.

„ ſed fugiunt ab eo . Ego inſtigo Vos meos Patres ac proprios „ patronos ad depellendam confuſionem de facie filiorum veſtro- „ rum ac diſcipulorum, qui pro Vobis confunduntur, &, quod „ his majus eſt, caligo ſuſpicionis tollatur de Cathedra S. Petri. „ Inde conventum coge, ut ea, quæ Vobis objiciuntur, purgetis; „ non enim luſus currus Vobis objicitur.. Hæreticorum enim re- „ ceptio, ut audio, Vobis reputatur; quod abſit, credi verum „ fuiſſe, eſſe, vel fore. Dicunt enim, Eutychen, Neſtorium, „ Dioſcorum, antiquos, ut ſcimus, * hæreticos a Vigilio, in Sy- „ nodo neſcio qua (*damnatos*) in *Quinta* receptos fuiſſe. Ecce „ cauſam totius, ut ajunt, ſcandali". Epiſtolam demum ſuam ſic concludit. „ Poſt hanc autem ſcribendi occaſionem inſuper „ Regis inſiſtit juſſio *Agilulphi* (in MS. *Agus*) cujus poſtulatio me „ in ſtuporem ac in ſolicitudinem poſuit multiplicem: quippe quia „ non ſine miraculo reor eſſe, quod video. Reges namque Aria- „ nam hanc labem in hac diu regione, calcando Fidem Catholi- „ cam, firmarunt; nunc noſtram rogant roborari fidem... Rogat „ itaque Rex, rogatque Regina, rogant Te toti, ut quam celer- „ rime poſſit fieri fiant omnia unum."

* Sic intelligendum huno ſenſum eſſe arbitror: *hæreticos jam in Synodo neſcio qua condemnatos, in Quinta Synodo a Vigilio fuiſſe receptos*. Hujuſmodi enim erant dicteria refragantium *Synodo Quintæ*.

X. In longa hac Sancti Abbatis ad Romanum Pontificem expoſtulatione plura mihi animadvertenda occurrunt. Et primò quidem ignoratum probabiliter ab eo totius controverſiæ ſtatum; neque enim componi poſſunt tot reverentiæ erga S. Petri Cathedram ſignificationes, & rectæ ſuæ Fidei proteſtationes, quibus hæc abundat *Epiſtola*, cum perfecta ſcientia Actorum *Quintæ Synodi*, & ſuccedentium Pontificum declarationum. Secundò, ſiquid erravit Columbanus in proponendo novo Concilio, id totum rejiciendum videtur in ferventiſſimum illius ſtudium pro revocandis ad pacem Schiſmaticis, qui incredibilia ſibi adverſus Pontificem effutiebant.

Ejuſdem *Epiſtolæ* ſententiæ ad trutinam revocantur. De Bobienſis Cœnobii fundamentis a Columbano jactis. Hujus, ſimulque Regis Agilulphi obitus.

Tertiò, hæc ſcripſiſſe Columbanum potius ex Agilulphi & Reginæ voluntate, quam ſuâ, & dicteria potius rebellium expoſuiſſe, non ſuam ſententiam: quum firmiter Pontifici adhæſiſſe ſæpe ſæpius in totius contextu *Epiſtolæ* ipſemet teſtetur; imo Ipſum judicem & litis arbitrum exoptet. Ultimò; verè dicere, Populum errare ſine Duce, quum Adeodatus noſter Epiſcopus tum certe Genuæ verſaretur. Ceterùm ſuis plane coloribus pingitur miſera ſane ac miſeranda Langobardiæ conditio. Illud tamen Catholicum Regis atque Reginæ ſenſum maxime commendat, tum quod ad Petri Cathedram confugiunt pro ſcrutanda veritate, tum quod ſancte pro ſua æterna ſalute timent. Ægre adducor, ut credam, Bonifacium Papam tam plenas officii erga Sedem Apoſtolicam in re tam gravi litteras ſine reſponſo dimiſiſſe, præſertim juſſu Catholicorum Regum conſcriptas. Doleo, apud Collectores Pontificiarum litterarum Bonifacii IV. *Epiſtolas* intercidiſſe: neque enim ullæ exſtant, in quibus memoretur petitoria illa Ipſius ad Phocam (80) qua *Pantheon* Romanum ab ethnica ſuperſtitione expiandum atque ad Dei cultum revocandum popoſcit atque impetravit. Alioquin non dubito, Pontificem illum per omnia Regi Agilulpho ſatisfieri voluiſſe omneſque Schiſmaticorum fraudes retexuiſſe ſingulatim; quò veritas Catholicæ & Romanæ Fidei certiſſima tum Regi, tum Columbano conſtaret. Quare, quum hic paulo poſt ab Agilulpho ipſo impetraverit (ut ex ejus *Vita* (81) habemus) ampliſſimum in Apenninis fundum, ſilvis obſitum, & Trebiâ irriguum, in quo jacta ab ipſo ſunt primordia celeberrimi Bobienſis Monaſterii, arbitror, Sanctum

(80) Vide *Vitam Bonif. IV. in Concil.* Tom. 5. col. 1616. & notam Binii 6. col. 1617.
(81) Vide Monachum Jonam apud Mabill. *Acta SS. Ord. S. Benedicti Sæculi II.* pag. 28. in fine. It. in Carmine Fredoardi ibidem pag. 39. in fine. Vide & Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 43. in fine, & in Notis ibid.

Abbatem a Liguriæ noſtræ planitie, *tanquam* (82) *a ſilva frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceano*, abhorrentem, in montana ſe recepiſſe; ut illuc velut in portum tutiſſimum appelleret, ubi ſoli Deo cum fratribus vacaret. Sed Dei voluntate effectum eſt, ut * eodem anno (83) Rex Agilulphus, & S. Columbanus ad Superos evolarent; atque hoc ſæculum tot perturbationibus vexatum tandem evaderent (*).

* An. DCXV.

CAPUT QUARTUM.

DIGRESSIO

De Comenſis Eccleſiæ a Metropoli Mediolanenſi ad Aquilejenſem defectione.

De antiquo Metropol, Mediol. jure Comenſem Epiſcopum conſecrandi, eumque ad Concilia evocandi. Exempla ex Ambroſio & Euſebio deſumpta. Comenſis Eccl. vices ab Gothici regni exordio. Quæ ſub Theuderico & Athalarico ſucceſſore tranquillitas.

Felicem I. Comenſium Epiſcopum, ſummis caritatis vinculis Ambroſio Antiſtiti noſtro conjunctiſſimum, ab eodem fuiſſe conſecratum, tum hujus Sancti Doctoris ad eum litteræ (1) apertè declarant; tum etiam loci vicinitas, & Orobiorum cum Inſubribus

(82) S. Leo *Serm. de SS. Petro & Paulo* col. 323. Edit. Venet. 1753. (83) De obitu Agilulphi vide Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 43. Murat. refert utriuſque mortem ad ann. 615.

(*) Ex Chlotarii II. Regis Francorum deſiderio S. Columbanum revocare in Galliam cupientis, tum ex Columbani ipſius *Epiſtola ad Bonifacium IV.*, tum denique ex ædificatione Monaſterii aliquanto poſt conſecuta, diuturnior inferri poteſt Sancti hujus mora in Italia, quam ut Mabillonius cenſuit, qui videtur omnia hæc referre ad annum 615. Quare aut credibilior videtur eorum ſententia, qui geminum Columbani iter in Italiam putavere; aut is dicendus eſt ſaltem triennium in hac regione vixiſſe, ut inſinuare viſus eſt Cl. Muratorius, ratus, a Francorum Rege optatum Columbanum in Galliis anno 613., eodemque anno ad Bonifacium IV. juſſu Agonis ſcripſiſſe: qui demum illius Abbatis obitum in Bobienſi Monaſterio poſt biennium affigit, ideſt anno 615. Vide & Friſium *Diſſ.* 2. cit. Cap. 14., & not. 214. ibid.

(1) *Epiſtolar.* Claſs. 1. *Ep.* 4. n. 6. Opp. Tom. 2. col. 764.

implicitæ rationes, imo Prætoria jurisdictio, quæ a Mediolanensibus pendebat (ut plures (2) Cassiodorii *Epistolæ* indicant) atque Ecclesiæ disciplina, quæ plerumque, si res ferret, divisionem Imperatoriam Provinciarum in Metropolitano jure assignando sequebatur, plusquam abunde testantur. Successorem deinde in ea Sede S. Provinum ab eodem Ambrosio consecratum Comenses ipsi (3) non diffitentur; unde reliquos pari modo inauguratos a Mediolanensi Antistite non absonum crederem. * Hinc certe Comensis Episcopus *Abundius*, sive *Abundantius* (utro enim modo nominare malimus, hoc loci disputare non vacat) suo & Curiensis vicini sui nomine, Eusebii Mediolanensis *Synodicæ Epistolæ* (4) Metropolitico eodem jure huc evocatus subscripsit, quam ad Leonem Magnum Synodi Mediolanensis, sive Provinciæ hujus Episcoporum, nomine conscriptam inter ipsa sancti illius Pontificis Opera (5) editam hodie etiam legimus. Equidem, si Curiensis Episcopalis Sedes tanto disjunctior intervallo Mediolanensi Metropolitæ suberat, atque Augustana in Italiæ limitibus constituta, ut docet Cassiodorii *Epistola* (6) ad Eustorgium Theuderici Regis ætate; quanto magis proxima Comensis, omni ex parte provincialium Episcoporum Sedibus stipata & circumdata, Curiensi scilicet ad boream, Brixiana ad cæciam, Mediolanensi ad meridiem & occidentem, nostræ Metropoleos jure debuerat contineri? Quare vel vacua Comensis Sedes censenda esset, si Laurentii tempore anno DI. in Synodo Tertia Romæ habitâ (7) in causa Symmachi objiceres non subscripsisse Comensem Episcopum; vel justa de causa dici posset ei Syno-

* An. 451.

(2) *Variar.* Lib. 11. *Ep.* 14. & alibi. (3) Vide Ughell. *Ital. Sacra* Tom 5. col. 258. (4) Vide sup. pag. 93. (5) *Ep.* 97. Tom. 1. col. 1080, (6) *Variar.* Lib. 1. *Ep.* 9. recit. sup. pag. 258. (7) Vide sup. pag. 221.

Synodo interesse non potuisse. Præter quam quod non ea causa tum in illo judicio versabatur, quæ omnium Provincialium præsentiam Episcoporum (8) desideraret, ut Pontifex Leo optavit in expetenda Italicorum sententia ante Chalcedonense Concilium tempore Eusebii. Neque enim Rex ille prudentissimus Ecclesiastica jura & commoda unquam turbavit, imo in ea tuenda evigilavit justissime & solertissime; ut pluribus documentis patet & suo loco expendimus. Neque ullus est suspicandi locus, quòd toto Gothorum tempore, subtrahere se a Mediolanensis Episcopi jure Comenses aut vellent, aut possent. Sed, ut altius & ab ovo, ut dicitur, Comensis Ecclésiæ vices ab ipso V.° Sæculo repetamus, & in suo lumine collocemus, recolere hìc juvat diligenter simulque congesta animo expendere, quæ supra adnotavimus. * Scilicet accenso inter Odoacrem & Theudericum (9) certamine, quum oculi Herulorum in Carnicas Alpes unice essent intenti, repente * a tergo æmulorum Regum de Italiæ dominatione disputantium supervenit ex aversa Italiæ parte per Augustanam Vallem infestus Burgundionum Duce Gundobado (10) exercitus: qui miserrima vastatione subalpinam regionem ferro ignique populatus, infinitam etiam captivorum multitudinem inde Lugdunum abduxit. Herulo bello post Odoacris cædem * (11) perfunctus ille Gothorum Rex, ut crudelissimæ vastitatis damna sarciret, Lugdunum * (12) miserat Ticinensem Episcopum Epiphanium; & pecuniis mitigato Tyranno, redemptis pretio agricolis, atque agris reddita fertilitate, non tam recentis calamitatis memoriam obliteravit, quam futuræ me-

* An. 478.
* An. 490.
* An. 493.
* An. 494.

(8) Vide sup. pag. 93. cit. (9) Vide sup. pag. 153. & seqq. (10) Vide sup. pag 169. & seqq. (11) Vide sup. pag. 177. (12) Vide sup. pag. 183. & seqq.

tum avertit, productis primum in Gallias ipsas sui Regni finibus, junctisque deinde Principum exterorum affinitatibus atque fœderibus. Comparata inde pax non solum Theuderico vivente, verum etiam * Amalasuntha & Athalarico regnantibus (13) tutissimam ab omni incursa Italiam servavit.

* An. 526. & seqq.

Sub Gothis Regibus Theodahado ac Witige pace admodum perturbatâ Comensis Clerus & Episcopus in proxima *Insula* perfugium quærunt.

* An. 534. 535 & 536.

II. Firmissimum hoc & sapientissime munitum ab Occidente Italiæ propugnaculum * successoris Theodahadi pusillus animus (14) evertit. Is enim, quum offensi ob Amalasunthæ cædem Justiniani jussu immineret jam in hanc Provinciam cum classe ac copiis Græcorum Belisarius, & obstructum jamdiu naturâ & consilio Italiæ vallum ultro (15) Suevis ac Burgundionibus pecuniâ concitatis aperuisset, in Venetia ac Liguria debacchantibus, Regno tuendo se imparem sentiebat. Gothis itaque suis diffisus, quorum animos ob patratum scelus alienaverat, insano usus est consilio, ut modò de abdicando Imperio cum Justiniano ageret, modò contra fidem datam retineret. Quare iratior Augustus, renovato cum Francis fœdere, additisque præmiis, iterum impulit, ut Provinciam dilaniarent. Feliciter Superi averterant fatalis consilii exitum: nam dum hæc agitarentur, Gothi ipsi (16) inertem Regem exosi Theodahadum, armati circumveniunt; eoque de medio sublato, Witigem jam sibi novum Regem elegerant. Fortitudo atque militaris scientia Witigem Suis commendabat, utpote manu promptum atque alacrem in periculosa Martis alea subeunda. Veruntamen præcipiti consilio pericula cum Græcis incurrenda circumspiciens, & ardua animo complexus bella, non dubitavit (17) cum Francis renovare fœdus, imo perficere, transalpinis regionibus & libero aditu montium facile Bar-

(13) Vide sup. pag. 269. & seqq. (14) Vide sup. pag. 277. & seqq. (15) Vide sup. pag. 284. 285. & 286. (16) Vide sup. pag. 290. (17) Vide sup. pag. 290. cit.

baris concesso. * Mox maria & montes Suis pollicitus, coactis * An. 537. sub signa Gothis universis, infesto exercitu (18) Romam contendit, quam raptim Belisarius muniverat atque occupaverat. Interea dum tota Gothici Martis vis in Romam obsidendam esset conversa, Witigem (19) repente perculit Mediolanensium defectionis rumor. Expendens itaque Rex suis ferme nudatam copiis Liguriam, sollicitatis ocyus Francorum auxiliis, quos fœderatos habere ad defensionem optabat, inimicos plane & Græcis deteriores habuit. * Franci etenim, excisâ Liguriæ principe Urbe, jugulatis * An. 539. super aras Sacerdotibus, direptis omnibus, feminisque in prædam abactis, arma ocyus & vim in Bergomates, Novarienses, & Comenses crudeliter converterant, qui præsidiarios Mundilæ milites acceperant. Hinc statim cives, fugâ præcipiti dilapsi in tutiora, quæ poterant, loca, alibi perfugium nancisci coacti sunt. Quod ad Comenses spectat, hi certe in *Insulam* (20), quæ in Larii Lacus umbilico sita est, pretiosis quibuscunque convasatis, universi confugerunt. Quumque ab efferatis illis Orthodoxæ Religionis hostibus injuriam maximam sacris rebus & vim inferendam metuerent, adhuc Mediolani exstantibus eorum crudelitatis atque odii vestigiis; non dubito, quin Clerus Comensis cum Episcopo suo, ut sacræ supellectilis & thesauri Ecclesiæ periculum præcaverent, in idem asylum ac veluti portum festinanter evaserint; moniti etiam sanctissimi Antistitis nostri Eusebii exemplo, qui Sæculo superiore Attilæ furorem declinaturus, Mediolano relicta, Alpes maritimas versus proficiscens exilium præoptavit.

---

(18) Vide sup. pag. 294. (19) Vide sup. pag. 306. & seqq. (20) De *Insula Comacina* vide sup. pag. 314. 330. 331. & 395., & infra pag. 468. & Cap. IX. Sect. V. Cap. XI. Sect. II. & III.

De *Lariensis Insulæ* situ, munitionibus, ac vicibus. Fugente Totila Comensis Clerus se iterum in eam Insulam recipit, *Christopolim* deinceps appellatam, ut ex Floriani Abb. *Epistola*.

III. Sane ipsa munitio loci ut id consilii caperent invitabat. Erant enim jam antiquitus, vigente adhuc Romano Imperio, excitatæ ad præcavendas Barbarorum Rhætorumque incursiones secus Larii oras crebræ Militum Prætorianorum stationes; quarum vestigia habemus adhuc in *Turre Rezzonici*, & *Mussiani Castelli* ruderibus. Illæ autem eâ in *Insula* præcipuè exstare debebant, quæ, quum sit aliquantò longius in Lacum porrecta, stationariis pluribus ibidem collectis, castra quædam Prætoria facile continere poterat; unde numerosiores cohortes ibidem metatæ data ex editis locis signa & collucentes ignes præciperent, atque a sociis de hostilibus motibus longe præmonerentur. Hinc festinata illa Stiliconis per Larium mediâ hieme excursio felicem sortita est exitum; cum, ut superius (21) vidimus, legiones ad Rhenum aliasque auxiliarias copias festinanter contraxit; atque ad solvendam Astæ obsidionem, qua Honorium Alaricus urgebat, promptissime in *Italiam* vere appetente adduxit. At nequis inanibus tantùm me niti conjecturis existimet, habeo Cassiodorium (22) luculentissimum testem, qui Theuderici etiam ætate Prætoria illa ad Larii Lacus oras exstitisse indubitanter affirmat. Si autem in ripis identidem hæ munitiones versabantur, quantò fortiores in ea *Insula* excitari debuerant, unde liberior erat in universum Lacum prospectus & tutior speculatio? Fas verò est credere, multò tum ampliorem euripum Lacus fuisse, qui oram inter & Insulam interjacet, quàm nostrâ videatur ætate. Arbitror enim, dirutum primùm inibi ab Ariberto II. Langobardorum Rege oppidum sive castellum, ut,

(21) pag. 11. (22) *Variar.* Lib. XI. Ep. 14. ubi sic legitur: *Circa quem* (Lacum Larium) *conveniunt in coronæ speciem excelsorum montium pulcherrimæ summitates cujus ora Prætoriorum luminibus decenter ornata, quasi quodam cingulo Palladiæ Silvæ perpetuis viriditatibus ambiuntur*.

teſte Diacono (23) inferius obſervabimus, additaſque ſubinde poſt hanc everſionem munitiones, iterum ſæculo XII. (24) precibus Comenſium ab Ænobarbo deſtructas, & continentem verſus impulſas multò largiori ruinâ impleviſſe interpoſitum aquæ meatum & fermè intercluſiſſe, ut circumfluis latè undis tutius ante defenſa Inſula illuc tranſgreſſuris faciliorem aditum exhiberet. Etenim, ſi tam parvo intervallo olim a Continenti fuiſſet ſejuncta, ante munitionum ruinam & everſionem non adeo Inſulæ illius veluti inacceſſibilis fama fuiſſet celebrata; neque tutum perfugium primùm *Francioni* (25) a Langobardis fugienti, deinde Cuniberto (26) e Regia Ticinenſi ab Alachi excluſo, demum Anſprando (27) victo ab Ariberto II. præbuiſſet. Munitum itaque & prædonibus inacceſſum, neque ethnicorum injuriis obnoxium, quum ſibi Comenſes paraſſent perfugium, * atque (28) Ravennâ & Witige a Beliſario captis, ac Totilâ novis Francorum auxiliis recreato, Gothicoque Regno reviviſcente; novis iterum conflictati malis Chriſticolæ Ligures Comenſi regioni contermini ad parvum illud lintribus aſylum invicem aſpiravere, tanto miſerorum concurſu, ut intra decennium (29) *Chriſtopolis*, ſive Chriſtianorum Civitas eſſet & communi vocabulo appellaretur. Teſtatur hoc Floriani Abbatis (de quo ſupra in Datii Pontificatu (30) jam diximus) ad Nicetium Trevirenſem præclara *Epiſtola*, quam Francicarum rerum ſcrutator egregius Cheſnius (31) nobis ſervavit, & video Comenſium Scriptorum diligentiam ſubterfugiſſe; ubi inter

* An. 540.

(23) Lib. 6. Cap. 21. Vide infra pag. 472. & Cap. XI. Sect. II. & III. (24) Vide Paul. Jov. *Larii Lacus Deſcript.* (25) Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 26. Vide ſup. pag. 395. & infra pag. 471. (26) Idem Lib. 5. Cap. 3. Vide infra Cap. IX. Sect. V. (27) Idem Lib. 6. Cap. 19. Vide infra Cap. IX. Sect. V. cit. & Cap. XI. Sect. II. & III. citt. (28) Vide ſup. pag. 328. 329. (29) Vide ſup. pag. 330. (30) pag. 330. cit. (31) Tom. 1. pag. 852. It. apud Bouquet Tom. 4. pag. 67. *Epiſt.* 27. Vide ſup. pag. 330. cit.

alia sic legitur: *Illud autem suppliciter quaeso, ut Domino filio vestro gloriosissimo Regi Theodebaldo Insulam Larienseim, quae* Christopolis *dicitur, plurimum commendetis, ut Romanis servis ejus sacramenta, quae data sunt, omnimodis conserventur, ut Regnum ipsius Deus augeat & defendat &c.* Datas fuisse hasce litteras censet Martinus Bouquetus (qui Chesnii Collectionem typis recusam valde locupletavit) * circiter annum (*) DL.; unde fas est colligere, Burgundiones & Suevos late in ea regione, & impune, etiam vivente Totila, versatos adeo, ut Francorum Regis, non vero Gothorum, patrocinium pro avertendis eorum injuriis & vastationibus esset implorandum.

* An. circiter 550.

Nondum pacatâ omnino post Narsetis adventum ac Totilae obitum Liguriâ, adhuc Comenses in *Insula*, etiam ultra Agilulphi aetatem, subsistunt. *Francio* per annos XX. ibi tutè commoratus se tandem cum insulis in Autharis potestatem redigit.

* An. 552.

** Ab An. 560. ad 564.

* An. 568.

IV. * Consequutus biennio post (32) Narsetis Patricii adventus, Totilae deinde mors, & Regni Gothici excidium, aliquam nostris regionibus attulit tranquillitatem; non vero tantam, quae Comenses posset a tutissima illa sede ac portu dimovere. Etenim sive neglectis a Narsete, aut non satis refectis Comensis urbis munitionibus ac moenibus (** non enim plane omnes, sed *reliquas* Italiae civitates ab eo *laudabiliter reparatas* tradit (33) Marius Aventicensis) sive quòd Insulani illi amoeniore ac tutiore eo loco potius, quam patriâ delectarentur; seu etiam quòd sacra omnia & aras rite in diuturno exilio perfecta & optime constituta deserere gravarentur; certum ibidem mihi videtur usque ad saeculi VI. finem, imo etiam ultra Regis Agilulphi tempora, domicilium collocasse. Subsistentibus in ea Insula Comensibus, salubre ab ipsis consilium initum, ipse rerum exitus docuit. Etenim * irrumpen-

(*) Et vere: quum enim in antecedenti *Epistola* commendet *Datium* Mediolanensem, multis injuriis Constantinopoli exagitatum ante *Synodum Quintam*; fas est inferre, vivente adhuc Totilâ datam hanc *Epistolam*, qui victus & interfectus nonnisi post Datii mortem fuit, mense scilicet Junio anni 552.

(32) pag. 330. cit. & pag. 368. & nota (94) ibidem. (33) Vide sup. p. 348. & 353. & seqq.

te (34) in Venetiam primò, mox in Liguriam infinitâ Langobardorum, tum Saxonum & Alemannorum multitudine, ſtatim apparuit, quantò tutius illic aquis vallati & protecti Chriſticolæ viverent, quàm munitionibus muriſque patriis defenſi. Quin imo ipſe Romanorum militiæ Magiſter (35) *Francio*, quem Narſes reparatæ Liguriæ præfecerat, quum nuſquam alibi ſibi & Imperatoriæ gazæ præſidium & tutum locum patere prævideret; ſe ſuaque omnia prædantium Barbarorum faucibus erepturus, nullibi tutum figere pedem poſſe exiſtimavit, niſi in ea ipſa Inſula, quæ Liguriæ portus ea ætate eoque rerum periculo dici poterat, velut urbs Ravennæ in Flaminia habebatur. Hiſce igitur ultro ſupervenientibus auxiliis ſuſtentati Comenſes, quum amplificari & vigere *Chriſtopolis* ſuæ firmitatem ac robur viderent adverſus hoſtiles impetus inter convulſam tot bellis Italiam, & ſtrepentia Alboini, * Clephonis, ac ** Triginta Ducum (*) arma; placide admodum per annos ferme XX. conquievere, * donec ſcilicet (36) Rex Autharis Childeberti Francorum Regis, & Mauritii Aug. fœderatorum armis pene oppreſſus, tutari ſe urbium mœnibus coactus, aperto Marte uti non potuit, neque auſus eſt ſuam Regnique ſui incolumitatem unius pugnæ diſcrimini & incerti prælii fortunæ committere. Huc nimirum arbitror revocanda, quæ Paulus Diaconus inverſo ordine de-

* An. 573. 574.

** Ab. An. 575. ad 583.

* An. 584. & ſeqq.

---

(34) Vide ſup. pag. 367. & 369. & ſeqq. (35) Vide ſup. pag. 395. & 469.

(*) Hi Duces multò ſecuriorem ad vexandam Italiam aditum Francis aperuerant, imo & munierant. Teſte enim Fredegario in ſuo *Chronico* n. XLV. (in Notis ad Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 31. nota 127.) *Defuncto Clepeo* (ideſt Clephone Langobardorum Rege) *duodecim* (verius *triginta* & amplius, ut teſtatur Paulus ipſe Lib. 2. Cap. 32.) *Duces Langobardorum XII. annis* (Paulus ibidem, *per annos decem*) *ſine Regibus tranſierunt: ipſoque tempore per loca in Regno Francorum proruperunt. Ea præſumptione in compoſitione Auguſtam & Siuſium* (nunc *Aoſta* & *Suſa*) *civitates cum magno integro illorum territorio & populo partibus Guntchramni tradiderunt.*

(36) Vide ſup. pag. 395. cit.

ſcribit Capitibus XXX. XXXIII. & XXXVI. Libri III. Nimirum Childebertum (37) Duces ſuos in Italiam vi fœderis cum Mauritio icti ad populandam Langobardorum ditionem miſiſſe, ex quibus unus uſque ad *Bilitonis* caſtrum, nunc *Belinzona*, progreſſus, deinde ſauciatus interiit. Ceteros vero Mediolanum uſque advenientes, dum Autharis Ticinenſibus munimentis ſubſiſteret, conterminas villas fœdaſſe continentibus incendiis. Pronum autem eſt credere, nuncios illos, quos ad Duces Francorum miſſos a Græcis Paulus ibidem narrat, non alios fuiſſe, quàm legatos *Francionis* (neque enim Græci alii milites (*) tum erant in Liguria, præter *Francionis* militias in Comacina Inſula latentes). Ea tamen Francorum expeditio quum infeliciter propter aeris inclementiam & mor-

(37) Lib. 3. Cap. 30. *Hoc etiam tempeſtate Grippo legatus Childeberti Regis Francorum, cum a Conſtantinopoli remeaſſet, & eidem Regi ſuo, quomodo honoriſice ab Imperatore Mauricio ſuſceptus fuiſſet, nunciaſſet; & quia injurias, quas apud Carthaginem perpeſſus fuerat, Imperator ad voluntatem Childeberti Regis ultum iri promiſiſſet: Childebertus confeſtim iteratò in Italiam exercitum Francorum cum viginti Ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit: E quibus Ducibus Audualdus, & Olo, & Cedinus eminentiores fuerunt. Sed Olo cum importune ad* Bilitonis *caſtrum acceſſiſſet, jaculo ſub mamilla ſauciatus cecidit; & mortuus eſt. Reliqui vero Franci cum egreſſi fuiſſent ad prædandum, a Langobardis irruentibus paſſim per loca ſingula proſternebantur. At vero Audualdus & ſex alii Duces Francorum ad Mediolanenſium Urbem advenientes, ibi eminus in campeſtribus caſtra poſuerunt. Quo loco ad eos legati Imperatoris venerunt, nunciantes adeſſe exercitum in ſolatio eorum, dicenteſque: quia poſt triduum cum eiſdem veniemus &c.* Quæ hoc Capite narrantur, ad ann. 590. referunt Sigonius, *De Regno Ital.* Lib. 1. col. 45. 46., & Bouquetus in marg. ad Pauli Diac. textum, inſert. in *Rer. Francicar.* Tom. 2. pag. 636.

(*) Docet hoc ipſum *Belitionis* caſtri & Inſulæ Comacinæ chorographia: illud enim in Campis Caninis poſt Lepontios in ipſo Alpium deſcenſu ſitum vix unius diei iter ab eadem Inſulà diſtat: unde facilis ea fuit *Francionis* legatio ad modico intervallo diſſitos fœderatos; qui, quum nuſquam apparuiſſent Græcorum turmæ, late planitiem omnem Liguriæ pervagati, Veronam uſque prædæ ſitim continentibus rapinis explevere. Quare, licet ſupra laudati Sigonius & Bouquetus expeditionem hanc Childeberti ad annum referant 590., Pauli Diaconi ordinem & ſeriem ſecuti, ego ad præcedentem annum potius referrem 589., quo viceſimum explebat annum in ea Inſula *Francio*, ut Paul. Diac. narrat Cap. 26.; qua ratione locus datur & ſemeſtri obſidioni ab Authari ad Larium factæ, & paci componendæ cum Francis.

& morbos inter copias Francorum invalescentes successisset; facile adducor, ut putem (38) Autharim a Childeberto pacem operâ Guntramni hujus Patrui postulasse: & postmodum illud iniisse consilium, ut (39) per Euin Ducem suum Histriæ possessionem sibi vindicaret: & classe imperatâ obsidionem ipsius Insulæ Comacinæ sedulò & viriliter per sex menses promovisse; donec dedentem se Francionem Ravennam cum Suis liberum dimittens, Regnum suosque fines a novis Francorum incursionibus liberavit. * Eâ igitur potitus Insulâ Autharis cum ingentis prædæ accessione, Comenses quoque cives in ea latentes in deditionem accepit; nulla tamen sacris & Religioni Catholicæ vi illata.

* Ann. 588.

V. Inciderat interea gravissima illa Schismatis Aquilejensis tempestas; qua miserrime per annos complures jactati Comenses, in ancipites distracti sententias, tandem in portu ipso fecere naufragium. A faventibus funesto Schismati Insulanis arbitror tum dedicatam eo in loco Basilicam, atque Sanctæ *Euphemiæ* inscriptam. Hæc ibidem viguit usque ad XII. Sæculum: deinde post ever-

Insulani in Schisma paulatim propensi S. *Euphemiæ* Basilicâ dedicant. Constantii simul & Greg. sollicitudo, ut hanc labem averterent. Comensium apud Gregorium querelæ de *Mauriana* Villa. Sapientiss. Ejusd. responsum per *Epistolam*.

(38) Lib. 3. Cap. 33. *Interea Authari Rex legationem verbis pacificis ad Guntramnum Regem Francorum, patruum scilicet Childeberti Regis, direxerat; a quo legati iidem jucunde suscepti; sed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi sunt, ut per ejus nutum pax cum gente Langobardorum firmaretur.* (39) Lib. 3. Cap. 26. *Hac tempestate Rex Authari ad Histriam exercitum misit, cui exercitui Euin Dux Tridentinus præfuit. Qui post prædas & incendia, factâ pace in annum unum, magnam pecuniam Regi detulerunt. Alii quoque Langobardi in* Insula Amacina (Al. *Comacina*) Francionem *magistrum militum, qui adhuc de Narsetis parte fuerat, & jam se per viginti annos continuerat, obsidebant.* Qui Francio *post sex menses obsidionis suæ Langobardis eandem Insulam tradidit; ipse verò, ut optaverat, dimissus a Rege cum sua uxore & supellectile Ravennam properavit. Inventæ sunt in eâdem Insulâ divitiæ multæ, quæ ibi de singulis fuerant civitatibus commendatæ.* Hæc gesta refert Sigonius ad ann. 587. Muratorius probabiliter ad ann. 588. Si verò post Pseudosynodum in Mariano sunt subsequuta, ut Paulus innuere videtur hoc ipso Capite; paulò serius differenda esse videntur, idest circa annum 589. vel 590., vitæ Autharis postremum. Vide sup. pag. 396.

ſam (40) funditus Inſulam, eodem titulo in proximam continentem terram translata fuit: & rurſum reſtituta, nobile Comenſium Schiſmatis monumentum, ſcilicet ſepulcralem *Agrippini* Epiſcopi Inſcriptionem ad hæc uſque tempora ad nos tranſmiſit. Profeſſi nimirum hujus Templi dedicatione mihi videntur Sæculo VII.° Comenſes, ſe ejuratâ *Quintâ Synodo* mordicus tenere fidem Chalcedonenſis Concilii, quod in ejus Virginis & Martyris Templo, uti jam ſupra (41) vidimus, fuit celebratum. Victi igitur quum eſſent, & in Langobardorum ditionem redacti ab Authari Comenſes, Græcorumque deſtituti præſidiis, qui omni ſemper conatu cum Romanis Pontificibus in evellendo Aquilejenſi Schiſmate, in Hiſtria complures jam annos vigente, viriliter laboraverant; ex Tridentinis Alpibus, quas jam Schiſma occupaverat, idem virus ſenſim Rhæticis etiam illabi cœpit, & in Comenſes Inſulanos permanare. * An. 591. Magnum ſiquidem promovendo Schiſmati momentum * anno *DXCI.* adjecerant (42) eblandita per ſupplicem Severi Aquilejenſis & Iſtrorum Epiſcoporum libellum a Mauritio Aug. ad *Romanum* Ravennæ Exarchum mandata, nequa vis Iſtris ſuper hâc *Synodi Quintæ* controverſiâ inferretur; imo etiam miſſæ ad S. Gregorium (43) Divales litteræ, quibus Auguſtus illius Pontificis in perſequendo Schiſmate ardorem conatus eſt refrigerare. Quare, datis per hoc temporis intervallum Iſtriæ Epiſcopis quibuſdam veluti induciis, criſtas attollere, atque latius errores ſuos diſſeminare nitebantur. Paulatim itaque imbuta Iſtrorum erroribus glorioſa illa *Chriſtopolis* ad Baalim deflexit, & inter diverſa partium ſtudia diu nutavit: donec tandem, ut (44) videbimus, ſub Agilulpho Rege Hiero-

(40) Vide ſup. pag. 469. (41) pag. 141. nota (*) & pag. 323. (42) Vide apud De Rubeis Op. cit. Cap. XXXI. col. 272. & ſeqq. De Severo vide ſup. pag. 395. & infra Sect. IX. ſub fin. (43) Vide S. Greg. ad Jo. Epiſc. *Ep.* 46. Lib. 2. Ind. X. ann. 592. (44) Infra Sect. VII.

solymæ oppoſuere Samariam; ſeu Romanæ Eccleſiæ unitatis centro præoptavere ſedem Schiſmatis Aquilejam: quumque per annos XX. degente inibi *Francione* in tutiſſimo eſſent portu ſalutis conſtituti, poſtmodum apertæ perduellionis ſignum ſuſtulere. Quare Paſtor egregius Conſtantius noſter, quamvis tam procul Genuæ exulans, intimis commovebatur ſenſibus audiens Provinciæ ſibi commiſſæ recentia ex Schiſmate vulnera & pluribi diſſeminatos errores. Dolebat alienatos a ſe animos Diœceſeos ſuæ Epiſcoporum, ut docet Gregorius (45) in ſua reſponſione * ad Eundem; eò quòd, * An. 594.
conſtanter adhærens Eccleſiæ unitati, *Synodi Quintæ* decreta retineret. * Maximo autem animi ſui dolore ut in ordinem redigeret * An. 596.
alterum ſibi ſubjectum Epiſcopum (46) ferro igneque vulnera curare coactus fuerat, quæ molliora reſpuerant remedia. Quod vero ad Comenſes Clericos ſingillatim ſpectat in tanto periculo verſantes, non defuit etiam Gregorii in corrigendis eorum erroribus cura atque ſedulitas, ut ad officium revocaret atque Romanæ Eccleſiæ unitati adjungeret. * Superbè ab iis teſtatur ſibi fuiſſe re- * An. 599.
ſponſum, nolle Romanam Sedem recognoſcere, quæ injuſtè *Maurianæ Villæ* (fortaſſe nunc *Mariano*, ut ſuſpicatur (47) Cl. Jo. Rinaldus Comes Carlius) ſibi addictæ jura invaſiſſet. En quid ad Conſtantium (48) ſcribit Gregorius „ Latore præſentium communi „ filio Eventio Diacono, qui Fraternitatis veſtræ Nobis ſcripta „ detulit, referente, cognovimus, Clericos Eccleſiæ Comenſis, „ quos Sacerdotali ſtudio reverti ad unitatem Eccleſiæ monuiſtis, „ reſpondiſſe, non ſibi talem a Nobis affectum impendi, ut ad hoc „ redire, caritate ſuadente, prævaleant: aſſerentes, res diverſas

(45) Lib. 4. *Ep.* 2. Ind. XII. ſup. recit. pag. 405. (46) Lib. 7. *Ep.* 14. Ind. XV. Menſe Martio. Vide ſup. pag. 421. (47) Opp. Tom. 15. pag. 264. (48) Lib. 9. *Ep.* 53. Indict. II.

„ ſuas injuſte ab aliis, inter quas & a noſtra Eccleſia poſſeſſio- „ nem, quæ *Villa Mauriana* dicitur, retineri. Nos quidem San- „ ctitatis veſtræ ſollicitudinem omnino laudavimus: quia, quod „ Vos oportuit facere, minime neglexiſtis. Sed nec Nos prædictam „ poſſeſſionem, ſi eis jure competit, etiamſi ad communionem „ forte reverti diſtulerint, contra rationis ordinem patimur deti- „ neri; ſed eam cognitâ volumus veritate reſtitui. Si vero ad „ unitatem Eccleſiæ, quod optamus, Deo ſe inſpirante converte- „ rint; etiamſi nihil illis competat, eam illis parati ſumus con- „ cedere. Nam nulla occaſione excuſari volumus, quos ad Matris „ Eccleſiæ ſinum redire deſiderabiliter exſpectamus". Plura hàc in Epiſtolâ adnotanda occurrunt. Primùm ante omnia Comenſium ſubjectio Mediolanenſi Antiſtiti. Non enim laudaret Conſtantium Gregorius, monitos Comenſes *Sacerdotali* illius *ſtudio* ut ad unitatem Eccleſiæ reverteremur, ſi ad alium Sacerdotem, ſive Epiſcopum ſpectaſſent; neque Ejus commendaſſet *ſollicitudinem*, quia, *quod* Illum *oportuit facere*, *minimè neglexiſſet*. Num oportuiſſet, Conſtantium extra ſuam Provinciam Clericos monere, quod jure Canonum vetitum erat? Deinde liquet, in periculo Schiſmatis tum Clericos Comenſes fuiſſe Indictione II. (quæ initium habuit a Septembri anni DXCVIII.) quo tempore ea ſcripta fuit *Epiſtola*: imo eam Eccleſiam innuit Epiſcopo deſtitutam; quandoquidem *Clericos Comenſes* pronos in Schiſma ſignificat, nullâ injectâ Epiſcopi mentione. Et revera ſuſpicionem hujus in ſacris anarchiæ ingerit depoſitio innominati Epiſcopi facta a Conſtantio, ut ex Gregorii *Epiſtola XIV*, Libri VII. jam (49) vidimus, & ex alterâ ejuſdem data ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum (50) In-

Quid in hac *Epiſt.* occurrat animadverſione dignum. I. Comenſium ſubjectio Mediol. Antiſtiti. II. Eos jam tùm in Schiſmatis periculo verſari, & eſſe Epiſcopo deſtitutos. III. Solos Clericos Schiſmaticis indulgere.

(49) Vide ſup. p. 421. 431. 432. 435.   (50) Lib. 9. *Ep.* 113. Indict. II. Vide ſup. p. 431. cit.

dictione II., ubi dicitur, *Theodorum quendam Episcopum, de Diœcesi Reverendissimi Fratris Constantii Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi, disciplinam evitantem*, Augustodunum venisse. Maximam certe tot rebus dubiis lucem afferret Ughelli & Tatti Historia, & Comensium Episcoporum series, si exactius ad chronotaxis leges fuissent concinnatæ. Hoc tamen in tanta caligine verè asserere nos posse arbitramur; quòd ex ea Constantii per Eventium legatione ad Gregorium *Clerici* soli, ut diximus, Schismatis accusentur; & ex Inscriptione nobis inferius referenda *Clerus Populusque Comensis* laudetur, quòd palàm ab Ecclesia Mediolanensi deficientes Episcopum sibi ab *Joanne* Aquilejensi Patriarcha postulaverint. Manifeste interim conviciis atque dicteriis a Schismaticis appetebatur Constantii Pastoralis sollicitudo: qua de re S. Gregorius suis litteris Eum est consolatus. Quæ quum datæ sint Indictione XV. mense Martio (51) satis indicant, jam anno DXCVII. hosce schismaticos motus efferbuisse. Conjunctis itaque studiis Summus Pontifex cum Metropolita Mediolanensi, acriter ambo concertabant, ut vertiginem illam ad Schisma propendentis *Cleri* & *Populi* discuterent, reducerentque ad saniora unitatis conservandæ consilia. Ægrè tandem impetratum est, ut precibus, beneficiis, hortationibusque victi ab aperta defectione cessarent, quousque Constantius Gregoriusque vixere.

Constantii & Gregorii obitus. Illi Adeodatus Genuæ substituitur. Comenses palam Schisma professi ad Aquilej. castra confugiunt, incentore præsertim. *Jo. Abbate* Aquil. Antistite. De *Agrestino* Monacho Luxovien. Schismatico.

VI. Verùm, * postquam ipso exeunte Sæculo VI. ille noster Antistes (52) decessit, & ** quarto post ejus obitum anno S. Gregorius (53) evolavit ad Superos, destituta Pastore semper Comensis Ecclesiæ navicula, incerta inter Cleri Populique diffidentium procellas diu adhuc fluctuavit; donec urgente tempestate de-

* An. 600.
** An. 604.

(51) Lib. 7. *Ep.* 14. citt. Vide sup. pag. 421. (52) Vide sup. pag. 432. (53) Vide sup. pag. 446.

lata tandem ad Schifma veluti ad faxum infeliciffime adhæfit. Nam, quum invito Agilulpho Rege (54) confecratus effet Epifcopus Mediolanenfis Adeodatus, Genuæ a Clero electus; & adhuc dubia de acceptandis *Tribus Capitulis* a *Synodo Quinta* damnatis Regina Theudelinda hæreret, ut ex Gregorii ad eandem Reginam (55) *Epiftola* erui manifefte poteft; eò facilius Comenfes in Schifma poftmodum prolapfi funt, Regio etiam patrocinio, & fententiâ, ut putabant, fuftentati. Quare prævidiffe hæc mala S. Pontifex cenfendus eft, quum de morte Conftantii ad Clerum Populumque Mediolanenfem fcriberet (56) in hæc verba: *Quàm multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, utinam vicinæ* (partes five urbes) *repentina calamitate non fentiant!* Senfere autem præfertim Comenfes hoc damnum ex S. Gregorii Pontificis obitu,
* An. 607. * poftquam in Aquilejæ Veteris fedem, fuffragante Regis ipfius confenfu, fuffectus eft *Joannes Abbas*, qui Patriarchalem eam Infulam obtinuit anno DCVII. juxta calculos accuratè initos (57) a Cl. Bernardo Maria De Rubeis. Abbas erat is *Joannes*; fub quo tamen Inftituto is Chrifto militaffet, penitus ignoratur. Nullus porro in eo Schifmate pertinacior fuit. Nam eo tempore Monachos præcipue urebat *Synodus Quinta*, uti ex litteris *Secundi Abbatis* (58) ad S. Gregorium; fed præfertim ex eo, quod (59) Beda, feu verius (60) Jonas Monachus fcripfit in *Vita S. Eu-*

(54) S. Greg. Lib. XI. *Ep.* 4. Ind. IV. anno 601. Vide fup. pag. 433. & feqq. (55) Lib. 14. *Ep.* 12. Ind. VII. ann. 604. Vide fup. pag. 407. (56) Lib. XI. *Ep.* 4. cit. Vide fup. pag. 432. (57) Op. cit. Cap. XXXIII. col. 290. Vide fup. pag. 456. & nota (72) ibid. (58) Vide S. Greg. Lib. 14. *Ep.* 12. cit. fup. pag. 445. & 456. (59) Opp. Tom. 3. col. 337. poft med. Edit. Bafil. 1563. It. in *Act. SS. Ord. S. Benedicti* Sæculi II. pag. 119. §. 7. Edit. Paris. 1669., Baron. ad ann. 617. n. VI. (60) Non Bedam, fed Jonam effe Auctorem *Vitæ S. Euftafii*, afferunt Mabill. in *Actis SS. Bened.* citt., item Bollandiftæ in *Actis SS.* Tom. 2. Martii ad diem X., in Comm. prævio ad *Vitam S. Attalæ Abb.* pag. 42. col. 2. §. 2. initio. Vide etiam in Nota apud Ughell., ubi de Jo. Patriarcha Aquilej. Tom. 5. col. 32. Vide infra Sect. VIII. & Cap. V. Sect. I.

ſtaſii Abbatis Luxovienſis, S. Columbani diſcipuli, in hæc verba: *Itaque veniens* (Agreſtinus Monachus Luxovienſis, de quo inferius incidet ſermo) *Aquilejam, ſocius ſtatim Schiſmatis effectus, Romanæ Sedis a communione ſejunctus ac diviſus* * *eſt; totius Orbis communionem, quicunque Romanæ Sedi jungeretur, damnans; in ſola Aquileja orthodoxam fidem retineri decertans. Quo Schiſmate imbutus Epiſtolam venenoſam, & increpationibus plenam ad* ** *B. Attalam Bobienſis Cænobii Patrem per Aureum Adalualdi Regis Langobardorum Notarium dirigit &c.* Hæc omnia ſane paucis poſt annis evenerunt ab *Joannis* Aquilejenſis inauguratione, quæ certe anteceſſit (61) Columbani in Italiam adventum. Hæc, inquam, ſatis evincunt, quod ſupra innuimus, non alios ſcilicet, niſi ignoti vel nominis, vel Inſtituti (62) Monachos præcipuas in hoc promovendo Schiſmate partes habuiſſe. Inter quos *Abbas Secundus* ex urbe Tridento, qui Reginæ Theudelindæ a conſiliis erat, & Fidei Magiſter, videtur & ipſe ad eundem ſcopulum dubitabundus impegiſſe. Quid enim pendere animi adhuc *Secundus* poterat, & quæſtiones proponere per Theudelindam Romano Pontifici auderet; quum eas jam Pelagii I.[us] & II.[us], imo etiam pluries Gregorius ipſe Apoſtolico oraculo, veluti Tenediâ ſecuri, reſecaſſent? Quapropter ad eum Gregorius *Synodi Quintæ* Acta mittit, ut docet (63) memorata *Epiſtola*.

* Mendoſè apud Mabillon. l. cit. poſt *diviſus* ſic: *a totius Orbis communione: qui cum Romanæ Sedi jungeretur, damnabat Inſulam Aquilejam Orthodox. fidem non tenere. Quo &c.*

** ſic ibid. *ad B. Attalam per Aurelium &c.*

VII. Ex *Abbate* igitur Aquilejenſis Patriarcha electus *Joannes*, ducem ſe Schiſmatis profeſſus, ſibi facile adjunxit quotquot a Romana Sede averſo erant animo, atque Comenſes in primis, quos jamdiu moviſſe Schiſmatis turbas vivente Epiſcopo noſtro Conſtantio, ſupra ex *Epiſtola* (64) S. Gregorii didicimus. Conſtans in

Agrippinus Monachus Schiſmat. Comenſi Eccleſ. ab *Joanne* Aquilejenſe præficitur. De Sepulcralis ejuſd. *Agrippini* Lapidis ac de S. *Euphemiæ* Templi ac Cœnobii in *Inſula* vicibus.

(61) Vide ſup. pag. 463. nota (*). (62) Vide ſup. pag. 456. (63) Lib. 14. Ep. 12. cit. ſup. pag. 445. & 456. citt. (64) Lib. 9. *Ep.* 53. ſup. recit. pag. 475. 476. Vide & ſup. pag. 429.

unitate Romanæ Fidei fuerat Episcopi successoris Adeodati animus; sed fortasse remissior ad eam Provincialem Urbem in officio continendam. Accedebat Illius habitatio & Sedes Genuæ collocata; adeoque longius dissita, quàm ut pro voto regere eandem posset. Quare, excusso tandem jugo, in Aquilejensium castris militare Comenses decrevere. Eòque facilius id evenire potuit, quò Langobardorum ætate Venetia cum Histria conjuncta, quarum caput erat Aquileja civitas, usque ad Adduam, Diacono (65) teste, ideoque usque in proximam Comensium Diœcesim protendebatur; adeo, ut vicinitas ipsa regionum commodius proximæ Urbi labem affricaret, incendiumque latius promoveret. Conjunctis itaque Clerus & Cives precibus, Episcopum sibi ab Aquilejense Patriarcha postularunt. Hic Romanam communionem jamdiu exosus, amplificandæ Provinciæ opportunitatem arripuit, atque in Cleri & Populi vota pronus *Agrippinum* quendam, ut videtur, Monachum, nobili genere ortum, novum Comensibus Episcopum præfecit ea potestate, qua sibi post Schisma (66) *Patriarchæ* etiam nomen Aquilejenses Episcopi sumpserant. Equidem, ne in simpulo fluctus, ut ajunt, excitarem, & inimicitias, quas annis superioribus Cl. Tartarottus cum Sabionensibus pro causa Ingenuini Episcopi susceperat, effugerem, statueram antehac *Agrippinum* alterum, sive II.um inter Comenses Episcopos accensere. Verùm, quum videam Cl. recentiorem Scriptorem Comensem (67) ab hac Schismatis labe non abhorrere; & magis consentaneum veritati sit, *Agrippinum* ipsum pro *Sancto* hactenus habitum hujus criminis insimulare; quo prorsus

(65) Lib. 2. Cap. 14. (66) Vide sup. pag. 346. & 384. & loca ibid. citt. in nota (64). (67) Josephi Marchionis Rovelli Patricii Comensis *Storia di Como Part. I. Epoca VII.* Cap. II. & seqq. pag. 562. Edit. Mediol. apud Galeatios 1789. in 4.

fus liberare nec possum, nec audeo: facile in eam sententiam venio, *Agrippinum* (quem Comensium Episcoporum nomenclatores usque in hanc diem extra chronologicum ordinem posuere) intento digito Schismaticum designari; & illegitimam ejus consecrationem ab *Joanne* Aquilejensi factam collocari posse intra annum DCVII., quo ipse Joannes inauguratus fuit, & * annum circiter DCXII. quo S. Columbanus in Italiam advenit, qui postea anno insequenti ad S. Bonifacium IV. *Epistolam* suam (68) conscripsit. Hoc *Agrippini* nomen non ex *Colonia Agrippina*, ut Comensibus (69) placet, revocabo. Id enim nominis primum a Romanis originem habuit, unde etiam Afri, Illyrici, & Francici mutuati esse videntur. Porro de quodam *Agrippino* in Illyrica Provincia Episcopo mentio occurrit in Aquilejensi Concilio anni CCCLXXXI. apud (70) S. Ambrosium: celebre hoc nomen (71) in Africa prædecessorem S. Cypriani Carthaginensem decoravit Episcopum: itemque memoriæ traditur *Agrippinus* alius anno CDLXIII. (72) in Gallia Comes Narbonensem Urbem Theuderico Wisigothorum Regi per proditionem tradidisse: alter ejusdem nominis Æduorum Episcopus Conciliis Aurelianensi II., & III. (73) subscripsit anno DXXXIII., & DXXXVIII. Sive tamen ex Illyrico, sive ex Africa, sive ex Galliis, quarum Provinciarum furor, ut ita dicam, per ea tempora ita inflammatus fuerat pro *Trium*

* An. 612. 615.

Tom. II. Lib. III. P

(68) Vide sup. pag. 463. nota (*). (69) Vide Ughelli Tom. 5. col. 261. & not. ibid. (70) In *Gestis Concilii Aquil. contra Paladium & Secundianum Hæreticos*. §. 44. Opp. Tom. 2. col. 798. B. (71) Vide S. Cypr. in *Ep.* 71. & 73., S. Aug. *De Unico Baptismo contra Petil.* Opp. Tom. 9. col. 537. & alibi passim. Item in *Concil. Africano* ann. 215. apud Labbé Tom. 1. col. 607., Vincent. Lirinens. in *Commonit. I.* ut adnotavit Sirmondus in Lib. X. Facundi Hermian., ubi de eodem *Agrippino* mentionem injicit. (72) Isidor. Hispal. *Hist. Goth.* apud Bouquet Tom. 2. pag. 701. D. (73) Apud Labbé *Concil.* Tom. 4. col. 1783. & Tom. 5. col. 303. E.

Capitulorum oppugnatione, ut restagari etiam Romanorum Pontificum repetitis Decretis auderent; certe ab exteris nationibus huc appulit *Agrippinus*, & Joannis Aquilejensis favore, imo etiam Cleri Populique Comensis suffragiis, ad Episcopalem Cathedram evectus, totus in eo fuit, ut intactum ex omni parte Chalcedonense Concilium servaret, & *Quintam Synodum* omnino rejiceret. Exstat adhuc marmoreum facti totius monumentum charactere, qui eam ætatem redolet, inscriptum, nulli, quum hæc elucubrare meditarer, antea serio, quod sciam, exploratum atque excussum. Hoc totius rei historiam apprime docet, ejusque Sedis a Mediolanensi defectionem, & defectionis tempus in bono lumine constituit. Sepulcralis hic videtur Lapis inscriptus Cenotaphio, quod sibi vivens *Agrippinus* construxerat, ut erui potest ex primo Inscriptionis tetrastico. Probabiliter ante finem Sæculi XII.[1] in Comacina Insula exstabat; unde quum Insulani ejecti essent duro Comensium decreto, isti radicitus & funditus eversum castrum illud, unde sibi toties metuerant, sanxere ne ullo unquam tempore reficeretur. Quare inde etiam Sacerdotes e *S. Euphemiæ* Templo, & sacræ Virgines e *S. Faustini* Monasterio, ejecti aliò cum sacra supellectile transmigrare jussi fuerunt: quorum illi novam cognominem Ecclesiam in proximo continenti ædificari sibi curarunt; Moniales vero primò ad Comensem *S. Eusebii* Ecclesiam traductæ, demum ad *Campi* Monasterium, ad oram item Lacus Larii, reductæ postmodum quievere. Ea occasione, quum Canonici novam sibi compararent sedem, in novum *S. Euphemiæ* Templum Lapidem Sepulcralem *Agrippini* transtulerunt; quumque aptam ejus longitudinem ac latitudinem haberent, altari ipsi noviter erecto superimpositum accommodavere, usui in posterum pro mensa, ut vocant, altaris ejusdem futurum, quemadmodum etiam nostra ætate visitur. Hujus

characterum diligentissime perlectorum seriem totam pro ea, qua semper præditus fuit, humanitate atque morum suavitate ad me misit, obtulitque per nobilem, eruditum, atque ingenuum Virum D. Joseph de Vaillate integerrimum testem Reverendissimus Abbas Cisterciensis D. Pompejus de Casate, non sine omnium bonorum mœrore ac meo præsertim dolore superioribus annis extinctus in ipso virilis ætatis flore, nec sine Reip. litterariæ damno, quum illum post editas *Cicereji Epistolas* alia plurima edere meditantem importuna nimium mors oppresserit. Neque prætereundum mihi est, ad fidem augendam hujus Inscriptionis & characterum interpretationis adjunctam fuisse operam atque egregium in Antiquitatis studio usum ac peritiam Cl. atque Eruditis notissimi Josephi Allegrantiæ Ord. Præd. nobis item morte erepti, & Patris D. Pii de Addua Rei Diplomaticæ in S. Ambrosii Mediolani Monasterio Lectoris, quorum uterque suismet oculis Lapidem hunc perlegerunt sua qua solent solertia, suntque ad rei veritatem locupletissimi testes, utpote ad eam confirmandam in rem præsentem evocati.

Agrippini Tituli sepulcralis exemplar fidelissimum exhibetur, ac rite expenditur. De Comensium defectione certior epocha exinde statuitur. Quousque illi in Schismate perduraverint.

VIII. Totam igitur Inscriptionem ex eorum fide recitare placet iterum ac tertio ad me missam, nequis error irreperet, fidelissime exscriptam, & nequa infidelitatis oriretur suspicio, omissis alicubi finalibus aliquot litteris, quæ sub Altaris gradu superincumbente, nonnisi difficulter removendo, inspici ac legi non poterant.

DEÇERE CɔVIS CɔVIS AMAT VLLO SINE CRIMINE VITAM
ANTE DIEM SEMPER LVMINA MORTIS HABET.
ILLIVS ADVENTV SVSPECTVS RITE DICATVS (a)
AGRIPINVS PRAESVL HOC FABRICAVIT OPVS.
HIC PATRIĀ LINQVENS PROPRIAM KAROSQVE PARE*ntes*
PRO SCĀ STVDVIT PEREḠ (b) ESSE FIDE

(a) Ap. Rovelli Op. cit. pag. 373. mendose *Dicatas*. (b) i. e. *Pereger*.

HIC PRO DOGMA PATRVM TANTOS TVLLERRAE LA*bores*
* *sic* NOSCITVR VT NVLLVS ORE * REFFERRE QVEAT.
HIC HVMILIS MILITARE DEO DEVOTE CVPIVIT
CVM POTVIT MVNDI CELSOS HABERE GRADOS.
HIC TERRENAS OPES MALVIT CONTEMNERE CVNCTAS
VT SVMAT MELIVS PROEMIA DIGNA *sibi*, vel *sui*
HIC SEMEL EXOSVM SAECLVM DECREVIT HABERE
ET SOLVM DILIGET MENTIS AMORE DO̅
HIC QVOQVE IVSSA SEQVE̅S DOMINI LEGEMQVE TONANTIS
PROXIMVM VT SESSE GAVDET AMARE SVVM.

Hactenus *Agrippini* dotes enumeravit barbarus Poeta, & causas aperit insculpti Lapidis, nimirum propositam illius oculis mortis imaginem, & sepulcrum se vivente præstitutum. Describit externa e gente illius genus, nobilitatem, sæculi fugam, contemptum honorum, peregrinationes & labores susceptos pro fide tuenda Chalcedonensis Concilii, ut ex reliqua Inscriptione mox clarius patebit. Hæc igitur in sequentes versus ita retexitur, ut modum suæ inaugurationis atque auctores & tempus dilucide aperiat; nec de Comensium Schismate ac defectione dubitare nos sinat. Prosequitur autem Poeta:

HVNC ETENIM QVEM TANTA VIRVM DOCVMENTA DECO-{RANT
ORNAT ET P̅MAE NOBILITATIS HONOR.
HIS AQVILEIA DVCEM ILLVM DESTINAVIT IN ORIS
VT GERAT INVICTVS PRAELIA MAGNA DEI
HIS CAPVT EST FACTVS SVMMVS PATRIARCHA IOHANNES
QVI PRAEDICTA TENET PRIMVS IN VRBE SEDEM.
QVIS LAVDARE VALET CLERVM POPVLVMQVE COMENSEM
RECTOREM TANTVM QVI PETIERE SIBI
HI SINODOS CVNCTI VENERANTVR QVATVOR ALMAS
ÇONCILIVM QVINTVM POSTPOSVERE MALVM.
HI BELLVM OB IPSAS MVLTOS GESSERE PER ANNOS
SED SEMPER MANSIT INSVPERATA (c) FIDES.

(c) Joseph Allegrantia in Schædis suis Mss. legit *intemerata*.

Expendendæ igitur jam ſuperſunt reliquæ hujus Inſcriptionis ſententiæ; & liquide ea, quæ diximus, conſtabant. *Aquileja* igitur *Agrippinum* hunc Comum *deſtinavit* ea de cauſa, ut *Dei prælium* ſuſciperet; ſcilicet Aquilejenſes Schiſma in hanc nobis proximam Eccleſiam ſive inducere, ſive corroborare conati ſunt, dum Schiſmaticum Caput membris ſui ſimilibus imponerent. Quis autem *Agrippinum* inauguravit? *Joannes* ſcilicet *Patriarcha* poſt Paulinum, Probinum, Eliam, atque Severum belli Schiſmatici tubas. Et ne de tempore defectionis ambigamus, hic Patriarcha Aquilejenſis præeſſe cœpit anno DCVII., ut jam diximus; quare non ante hunc annum prior fuit *Joannes*, qui Schiſmaticum Epiſcopum Comenſibus daret, ideſt *Agrippinum*, unde ille merito dicitur *his Caput* fuiſſe *factus*. Quid autem aliud porro *Summus* & *Primus* indicare videntur, niſi perverſam Schiſmaticorum eorum opinionem, ut *totius Orbis communionem*, *quicunque Romanæ Sedi jungeretur*, *damnarent*, prout ſuperius (74) Agreſtini Monachi dicteria referentes obſervavimus. Neque diſſimulare Poeta voluit præcedentes hanc electionem Comenſium motus, & conſpirantes in Schiſma fovendum ejus Cleri ac Populi voluntates pluribus ante annis, ut ex præfata etiam S. Gregorii (75) ad Conſtantium *Epiſtola* evicimus. Hinc, inflatis buccis, ſummis effert præconiis venerandas *IV. Synodos*; de *Quinta* autem loquens, ſcilicet de *Tribus Capitulis* damnatis, ex tripode pronunciat *malam* eam fuiſſe, ac proinde *poſtpoſitam*. Quorſum igitur (76) Comenſes Scriptores initio atque ab ipſis Eccleſiæ ſuæ primordiis eam Sedem Aquilejenſi ſubjiciunt; aut Hiſtorici noſtri, iique etiam illuſtres ac clariſſimi, Gre-

(74) ſup. pag. 479. & infra Cap. V. Sect. I. (75) Lib. 9. *Ep.* 53. cit. Vide ſup. notæ (74) pag. 479. (67) Vide Ughelli Tom. 5. col. 256. C.

gorii VII. conatibus (77) tribuunt, vel ad alia tempora (78) rejiciunt, quod ultro ac ſponte Comenſes poſtularunt a Schiſmatico *Joanne* Aquilejenſi? Reddantur primi ante hunc *Agrippinum* Mediolanenſi Metropolitæ Epiſcopi: abſolvatur injuſtitiæ crimine Gregorius VII. Romanus Pontifex, qui hac in parte nullum ſibi jus arrogavit: poſteriores autem *Agrippino* Comenſis Eccleſiæ Paſtores omnes in jure Patriarcharum Aquilejenſium, atque in Schiſmate uſque ad finem Sæculi VII.[i] permaneant, deque eorum ſanctitate diſquirant alii diligentius. Mihi quidem in præſens tempus revocandam eſſe ejus Sedis a Mediolanenſi defectionem certe apparet ex relata (79) Inſcriptione, quam ipſi Comenſes hucuſque, dum hæc ſcriberem, intactam ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem ſervaverunt. Etenim ſi in Aquilejenſis Provinciæ jure Comenſes ſuccedentibus ſæculis permanſere quouſque Aquilejenſes in Schiſmate obduraverunt, Schiſmatici dicendi ſunt, niſi doceant, ſe ab *illis* defeciſſe. Hoc autem probare non poſſunt, quum in eodem Schiſmate perſeveraverint uſque ad Sergii I. Papæ tempora, qui, ope Cuniberti Regis ſuſtentatus, feliciter Aquilejenſes eorumque aſſeclas ad Ovile Dominicum reduxit, ut ſuo videbimus (80) loco.

Extincto etiam Schiſmate, Romanis Pontiff. indulgentibus, Comenſes in Aquilej. ditione adhuc perſtiterunt; & ipſe Aquilejenſis titulum *Patriarchæ* retinuit. De Actis *Mantuani* Concil. deperditis. De Syn. *Marianenſ.* Comenſium defectionis epocha novis argumentis confirmatur.

IX. Imo etiam extincto Schiſmate in eorum Patriarcharum ditione perſtiterunt, Romanis Pontificibus indulgentibus, ita ut nihil de veteri eorum ſtatu immutaretur, ne vulnus vix obductum refricarent. Quare, ut obſervavit optime (81) Guſſanvillæus, quum

(77) Verri *Storia di Mil.* Tom. 1. Cap. 5. pag. 136. (78) Vide Com. Julinium *Mem. della Città, e Camp. di Mil.* ann. 1013. Tom. 3. pag. 87. It. Jo. Bapt. Caſtilion. *Diſſ.* 2. *ſopra il Jus Metropol. della Moderna Chieſa Ambroſ.* Cap. XVI. pag. 36. & Cap. XVIII. pag. 55. Edit. Mediol. apud Galeatios 1771. in 4. (79) Primùm edidit Cl. Comes Carlius Opp. Tom. 15. cit. pag. 259. Mediol. in Typographio S. Ambr. 1786. in 8. Anno vero 1789. iterum vulgavit Joſeph Marchio Rovellius, *Storia di Como* cit. Part. I. pag. 373. (80) Infra Cap. X. Sect. II. & ſeqq. (81) Not. in *S. Greg. Epiſt.* 16. Lib. I. Vide ſup. pag. 346. & 384. & loca ibid. citt. in nota (66).

Patriarchæ nomen Schiſmatis tempore ſibi Aquilejenſis *Epiſcopus* (quo nomine Severum Gregorius II. (82) appellat) uſurpaſſet; etiam quum in gratiam Sedis Apoſtolicæ rediiſſet, id nominis ſtudio pacis ipſi conceſſum relictumque eſt. Utinam integra ad nos *Mantuani* Concilii, de quo fuſe (83) Baronius, & (84) Bernardus Maria de Rubeis diſſeruere, Acta perveniſſent. Nam quum in illo Concilio ageretur de Plebe Gradenſi (*) Aquilejenſi Sedi adjungenda eò, quòd ab initio ſubjecta Aquilejenſi eſſet, in eodemque ſediſſe dicatur Angilbertus II. Mediolani Archiepiſcopus, veriſimile admodum videtur, agendum ibidem fuiſſe etiam de Comenſis Sedis Mediolanenſi Provinciæ ſubjectione. Ceterùm poſt Patriarcham *Joannem* & *Agrippinum* uſque ad finem Sæculi VII.[i] nullibi legitur Comenſis Antiſtes ulli Catholicæ Synodo ſubſcripſiſſe. Nam ſi Romanam Synodum Agathonis conſulamus ſub Conſtantino Pogonate celebratam * anno DCLXXX. in cauſa *Monothelitarum*, nec inter XXV. Epiſcopos (85) in Provincia Mediolanenſi, neque in Provincia Aquilejæ novæ, ſeu Gradenſi, neque alibi legitur Comenſis Epiſcopus. Altum item de eo ſilentium in *Synodica* S. Manſueti *Epiſtola* ad Conſtantinum Pogonatem Or. Aug. Mediolani anno eodem dictata ſub Berthariđo & Cuniberto Langobardorum Regibus, ut Labbæus (86) obſervavit. Animadvertendum etiam videtur, ne in *Marianenſi* quidem ſeu *Maranenſi* Pſeudoſynodo a refractariis Epiſcopis ſub Severo Aquilejenſi anno; ut

* An. 680.

(82) *Ep.* cit. (83) Ad ann. 605. n. 3. & ſeqq. PP. Maurini cum Manſio (*Supplem. Concil.* Tom. 1. col. 833.) & De Rub. Op. cit. Cap. 47. col. 420. nota (3) referunt hanc Synodum ad ann. 827. Eugenii II. Papæ vitæ IV. & poſtremum. (84) Ibid. col. 413. & ſeqq.
(*) De Translatione Patriarchalis Eccleſiæ Gradenſis ad Civitatem Venetiarum cum ſuppreſſione tituli ejuſd. Eccleſiæ Gradenſis, vide *Bull.* Nicol. V. ad ann. 1451. in *Bullar.* Tom. 3. pag. 68. Edit. Romæ 1743. (85) Apud Labbé Concil. Tom. 6. col. 692. & ſeqq. in *Epiſt. Synod.* Agathonis inſert. Act. IV. Synodi VI. Conſtantinop. Vide infra Cap. VIII. Sect. III. (86) Tom. 6. col. 606. Vide infra Cap. VIII. Sect. III.

putat (87) De Rubeis, DLXXXVII.. seu juxta Mansium (88) anno DXC., coactâ eo consilio ut a S. Gregorio Magno, qui illos ad Judicium Romam evocaverat, ad Imperatorem Mauritium appellarent), inter eos Episcopos ab Ughello relatos (89) ullam fieri Comensis Antistitis mentionem. Hinc fides augetur recitatæ Inscriptioni, quæ epocham hujus defectionis sub *Patriarcha Joanne*, scilicet post obitum S. Gregorii, & electionem *Agrippini* Comensis constituit. Quare omnia documenta hanc a Mediolanensibus exemptionem testantia necesse est ut post initium Sæculi VII. emergant, ante quod nostra in Provincia Comenses adhuc continebantur. Hinc quotquot de hac exemptione egerunt Scriptores, multò recentioribus Sæculorum subsequentium documentis eam confirmarunt; neque aliter poterant, quum hactenus ejus origo consepulta in tenebris delituerit. Ad complementum hujus rei, opportunum erit observare, quòd eadem Schismatis occasio Tridentinum *etiam* Episcopum a nostra Provincia fortasse abstraxerit. Nam, ut omittamus (90) Abundantium, primum Tridentinum certum Episcopum, & hoc nomine insignitum in Concilii Aquilejensis (91) Actis anno CCCLXXXI. (Antecessores enim ab Ughello enumeratos sollicitudinem potius, quam dignitatem aut nomen, ad eam Ecclesiam fovendam & sustentandam attulisse dumtaxat, credibile est) a S. Ambrosio ad illam Synodum evocatum; certe Vigilius hujus successor Episcopalis vitæ institutionem ab Ambrosio ipso accepit eoque magistro utebatur. Postmodum (92) hoc defuncto, libellum *de SS. MM. Sisinnii*, *Martyrii*, *& Alexandri Passione* ad Simplicia-

Num etiam Episcopus Trident. tunc temporis ad Schismaticos Aquilejens. unà cum Comensi transfugerit.

(87) Cap. 29. col. 258. B. Vide sup. not. (105) pag. 395. (88) *Supplem. Concil.* Tom. 1. col. 457. (89) Tom. 5. col. 31. It. ap. Mansium. *Concil. Suppl.* Tom. 1. (90) Ughell. Tom. 5. cit. col. 589. n. XVIII. (91) Apud Labbé Tom. 2. Cap. 978. E. (92) Vide, quæ diximus sup. pag. 4.

plicianum Mediolanensem Episcopum conscripsit, eique sacras eorundem exuvias transmisit, quibus Hic cognominem sibi Basilicam ornavit. Quo in libello Simplicianum *Dominum sanctum & venerabilem Patrem* appellat, & testatur se ad eam passionem Illi exponendam *moneri debito, & cogi officio*. Præterea, quum sub Eliæ Aquilejensis Successore (93) Severo audaciùs Schisma erupisset, atque a S. Gregorio ad pacis studia Severus invitaretur; is omni obedientiæ jugo impune solutus novam *Synodum* vix memoratam habuit, refractariorum Episcoporum, inter quos legitur *Agnellus Tridentinus Episcopus*. Quare pronum est credere, tunc primùm Episcopos Tridentinos ad Aquilejensium castra transfugisse, in quibus postea semper, ut etiam Comenses, militarunt.

CAPUT QUINTUM.

Adaloaldus post Agilulphi patris obitum cum Theudelin. matre regnum administrat. Inanes *Agrestini* Monachi conatus pro Schismate dissenminando, & S. Columbani Institutis evertendis.

Sed, ut ad relictum Historiæ nostræ curriculum, unde tantisper digressi fuimus, revertamur, huc revocandum est, quod postremo delibavimus; eodem nempe anno supra sexcentesimum XV.° fatis cessisse S. Columbanum & Agilulphum Langobardorum Regem, cui Adaloaldus (1) ejus ex Theudelinda filius, vix tredecim annos natus, sub tutela Matris in Regno successit. Triennio circiter ante Agilulphi obitum decesserat etiam *apud Tridentum* (2)

(93) Vide sup. pag. 395. & not. (104) ibid. & pag. 412.

(1) In *Prol. Leg. Rothar.* ap. Murat. *Rer. It. Scr.* Tom. 1. Part. 2. pag. 17. *Quintusdecimus* (Regum Langob.) *Adubivald filius Agilino*. (2) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 42. Vide sup. pag. 449. not. (42). Vossius refert *Secundi* obitum ad ann. circiter 615., Murator. ad ann. 612. Vide not. 99. ad Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 28.

five in ipsa urbe Tridento, *Abbas Secundus*. Quare motæ ab utroque contra *Synodum Quintam* quæstiones, propositæ jam Gregorio & subtili responsione dissolvendæ, conquievisse jam in Regia Aula & conquiescere cum incentoribus suis videbantur. Ipsa religiosissimæ Reginæ præsentia ac majestas ad Regni clavum sedentis absterrere quoscunque rerum novarum cupidos poterat, nequid contra *Synodi* illius auctoritatem ac fidem moveretur. Video tamen Christi tritico adhuc inimicum hominem zizania superseminasse. Jam diutius Comenses erectis signis Romanam Sedem oppugnabant, atque e proximo Catholicorum dogma conabantur subvertere, Apostolicæ Sedis auctoritatem more nitedulæ arrodentes. Agilulpho regnante Theudelindæ pietas & auspicatum Catholicis nomen compescere nequaquam potuit transfugæ illius, de quo jam obiter aliqua attigimus, Monachi audaciam, quominus in ipsa Regia Aula turbas cieret & impia dogmata effutiret. *Agrestinus* (3) ille, inquam, fuit, qui Luxoviensis Monasticæ disciplinæ jugum ægre ferens, a S. Columbani Regula abhorrens, quam fuerat professus, Aquilejam Luxovio digressus se ocyus in Schismaticorum castra conjecit. Unde pestiferum virus in ipso Palatio afflans, eò erupit temeritatis, ut *Attalæ* Abbatis qui Columbano successit, Catholicam fidem tentare per litteras, imo & corrumpere niteretur. Rei totius seriem habemus ex Jona Monacho Bobiensi, *Vitæ S. Eustasii* Scriptore, cujus verba jam supra (4) exposuimus ex emendatiore ejusdem *Vitæ* textu; falsò Bedæ adscriptæ, & inter ipsius Bedæ Opera insertæ; quandoquidem Mabillonius in ea describenda vitiato admodum exemplari usus videtur, ut utramque conferenti facile patebit. Irriti tamen cecidere *Agrestini* conatus; *frustra* enim (5) *jacitur rete*

(3) Vide sup. pag. 479. (4) pag. cit. (5) *Proverb.* Cap. 1. vers. 17.

ante oculos pennatorum. Edoctus S. Abbas a magistro Columbano, Successoribus S. Petri præstandam obedientiam, in quibus stat Fidei fundamentum; irrisit atque contempsit, sine responso dimittens, captiosas seductoris & seducti Monachi fraudes. Hic ira percitus aliò bellum transtulit, in Luxoviensem scilicet Abbatem *Eustasium*, quem coegit per occulta cum sui similibus agitata consilia causam in Concilio Matisconensi (6) agere pro defendendis S. Columbani institutis, quæ perfidus ille transfuga ludibrio habebat, ut fuse apud Jonam in ipsius *Eustasii Vita* legimus. Commota ista bella adversus S. Columbani discipulos Attalam & Eustasium, illum in Bobiensi, hunc in Luxoviensi Monasterio successorem, egregie admodum sancti Magistri fidem prorsus labis expertem & optima instituta commendant. Noverat scilicet *Agrestinus* quantum adjumenti & ponderis Schismaticorum partibus esset allatura eorum auctoritas, si aliqua ex parte illam commovere, aut labefactare potuissent.

Bobiensis S. Columbani Instituti ac Monachorum laudes. FEDERICI nostri Card. Borrom. honorifica mentio. De geminis præstantiss. Codd. Bobiens. in Bibliotheca Ambros. asservatis.

II. Profecto mirum dictu est, quantum de se, opinionisne dicam, an admirationis? excitaverit in Liguria inducta huc fortasse primùm Hibernorum Monachorum colonia. Omitto eorum Regulæ austeritatem ac sanctitatem, quæ omni ex parte Legis Evangelicæ perfectionem spirat tam in anachoretica, quam in cœnobitica vita. In ultima Hibernia jam V.° post Redemptoris adventum Sæculo sancta hujusmodi vitæ instituta viguerant; unde Columbanus primò in Galliam, deinde in Liguriam adveniens, utramque Provinciam sanctitatis fama & miraculis illustravit. Exinde cælitum honoribus illum prosequuti sunt, inter quos vixit, Populi: hinc Templa in ejus honorem constructa, & Oppido etiam inter Ligures celebri inditum ejus Sancti nomen. Nihil tamen plus momenti attulit Bobiensi

(6) Vide ap. Labbé *Concil.* Tom. 5. col. 1686. & Mansium *Supplem. Concil.* Tom. 1. col. 473., qui hanc *Synodum* refert inter annum 616. & 624.

Monasterii famæ ac celebritati, quam Columbanus ipse vivens suis Institutis, & mortuus prodigiis coruscans. Sedulò præceperat suis Monachis S. Abbas, ut orationi vacarent, & quod vacuum ab oratione temporis esset, manuum labori impenderent. Hisce præceptis inhærentes discipuli postmodum & sanctitate floruerunt, & operarum industria loci naturam mutarunt. Assiduo enim labore terram exercentes Monachi, valentes viribus, fertilitatem in desertas glebas induxere: & vasta solitudine in campos conversa, excisis silvis, eosque Trebiæ secus allabentis aquis incultos hactenus, & Romano olim Punicoque (7) dumtaxat sanguine respersos irrigantibus, luxuriare agri, ridere prata cœpere, succedente sterilibus ornis ac platanis pomorum ac fructuum copia. Quare montanis relictis jugis sensim affluxit in dies aucta Alpicolarum multitudo tanta, ut Monasterium Bobiense (*) S. Columbani cum ædibus, quæ circa illud excreverant, aliquot post sæculis propter accolarum frequentiam Civitatis nomen adeptum sit. Quod subinde exemplum imitata alia sequenti ætate loca constat, quemadmodum in summis Alpibus *Desentinense*, *Einsidelense*, *Abbatis Cella*, & inter Suevos *Sancti Blasii*, & *Sangallense*, imo in ulteriore Germania *Monasterium*, ex quibus insignia Oppida, imo magnâ nominis famâ celebratæ Urbes emerserunt. Hi nimirum fructus fuere amplissimi laboriosæ Monachorum quietis. Neque diversimode laudabilis videtur fuisse minus valentium Fratrum labor, qui pluteis affixi, & manum calamo exercentes transcribendis veterum Scriptorum & Patrum Operibus insudabant, quæ in manus posterorum essent perventura, ipsisque

---

(7) Vide Tit. Liv. *Histor.* Lib. 21. Cap. 55. Tom. 3. pag. 486. Edit. Amstelod. 1740. in 4.

(*) Apud Paul. Diac. Lib. 2. Cap. 16. in Quinta Italiæ Provincia, quæ Alpes Cottias complectitur, recenset etiam *Monasterium Bobium*. In Missali Monast. de quo infra. vocatur *Ebbobium*; vide infra pag. 496. nota (11).

hausta ex fontibus in nostram usque ætatem perdurarent. Hoc a me certissimum grati animi & laudis testimonium extorquet, & jure suo deposcit Bobiense Sancti Columbani Monasterium, cujus Bibliotheca olim manuscriptis Codicibus refertissima post multas, quas passa fuerat, vices FEDERICI Card. Borromei Ambrosianæ Bibliothecæ Conditoris animum & opes sollicitavit, ne penitus ac misere S. Columbani Monachorum labores interirent. Quare tanti Antistitis opera ac liberalitate effectum est, ut, insigniores quæ superfuerant, Codicum reliquiæ in Bibliothecam nostram inferrentur. Ex hoc monumentorum veterum thesauro ac penu litterariæ deinde opes fluxere, quibus Cl. Muratorius *Anecdotorum* titulo, quum Ambrosiano Collegio nostro esset adscriptus, publici juris factis nomen suum & litterariam Remp. illustravit. Hinc haustæ quamplurimæ eruditiones *Antiquitatibus Medii Ævi* identidem inspersæ: hinc demum insertæ complures Historiæ inter *Italicarum Rerum Scriptores*, quos simul cum Cl. Saxio evulgavit. Ex hac pretiosa Bobiensi libraria Codicum supellectile geminos, qui ad rem nostram faciunt, præcipue exosculor ac veneror; primum quidem, qui ad Columbani (8) *Psalmodiam*, alterum vero, qui (9) ad *Liturgiam* pertinet. Ille, fortasse ejusdem Sancti Abbatis manibus tritus, matutinas decantandas Deo Laudes continet; mihique videtur ad eam pertinere ætatem, qua ille vixit, aut paulo posteriorem. Membranæ scilicet adhuc alicubi villosæ, rudes, & informes Monasticam certe redolent (*) paupertatem. Liturgicus vero ordinem Missarum per anni

---

(8) Signat. C. 10. Part. Infer. (9) Sign. D. 84. Part. Infer.

(*) Parem inopiam & vitæ perfectæ studium sapit Codex alter ejusdem Monasterii (signat. F. 60. Part. super.) in quo leguntur excerptæ sententiæ Sanctorum Patrum, incultis nempe membranis, imo inæqualibus conflatus; quarum scriptura ad idem Columbani Sæculum referri potest. De quo consulere placeat Muratorium *Antiq. Med. Ævi Differt.* 43. col. 844. & seqq., & Montfauc. *Diar. Ital.* pag. 18.

circulum continet; prægrandi Volumine, & membranis cultioribus formatus, ut pote versus X.[i] Sæculi medietatem certe referendus.

Utriusq. Cod. accurata descriptio: in qua de Monastici Ritus cum Ambrof. nostro similitudine: De Hymnis *Acrostichis*: De S. Columbani Instituti in Liguria nostra duratione.

III. Matutinas laudes (*) quas primus ex his Codicibus com-

---

* *Deut.* c. 32.
** *Luc.* c. 1.
*** *Exod.* c. 15.

(*) Hæ Laudes mihi proxime ad Ecclesiæ nostræ Ambrosianæ ritus & ordinem Psalmorum videntur accedere. Præmittitur enim *Canticum Moysi*: * *Audite Caeli quae loquor &c.* Additur *Canticum Sancti Zachariae*: ** *Benedictus &c.* quod Canticum etiam apud nos per anni circuitum primum canitur, præter Adventum, quo tempore recitamus *Canticum Moysi* supradictum. Mox sequitur Canticum Israelitarum, *** *Cantemus Domino*, quando Erythræum Mare incolumes traducti sunt, cui respondet propria Collecta, alibi in Collectario inserta: *Deus qui exeunti &c.* Ibi ad versiculum 4. (Vide Sabatier in notis ad h. l.) lego: *electos ascensores ternos stratores*, ubi Ambrosiani, sicut in *Vers. Antiqua*, legunt *ternos stantes*, quod irrepsisse suspicor vitio Amanuensium, quum fortasse primæva lectio foret *ternos stnes*, ut vice abbreviatæ dictionis *sternentes* (quod idem est ac *stratores*) interpretati sint *stantes*. Postmodum legitur *Benedictio puerorum*, sive Canticum *Benedicite* cum sua item Collecta *Exaudis preces nostras*. Post hoc Canticum attexuntur Psalmi *Laudate &c.*, & similiter suo loco *Collectio post tres Psalmos: Te Domine de cælis laudamus &c.* Hæc qui legat, næ ille puras putasque Ambrosiani Ritus matutinas Laudes legere se arbitratur & credit. Siquod inter utralque discrimen intercedit, in Hymnis dumtaxat apparet. Nam ubi nos S. Ambrosii mellitum Hymnum *Splendor paternæ gloriæ* recitamus, ii Monachi supposuere Hymnum S. Hilarii, ut arbitror, Pictaviensis (*Hymnū sc̄i Hilari de Xp̄o*, qui incipit: *ymnum dicat &c.*) quod mihi indicio est, id moris a S. Columbano in Luxoviensi Monasterio adoptatum. Interferuntur deinde Hymni alii pro temporum ratione canendi, ut *ymnum Apostolorum*, qui incipit: *Precamur Patrem.* Item *ymnū in die Dominica*, *Te Deum &c.* qui sic incipit: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Te Deum laudamus &c.* Item *ymnū quando comonicarent Sacerdotes*, *Sancti venite &c.* *ymnum quando caeria benedicitur. Ymnū in die noctis. Ymnū in natale martyrum vel sabbato. Al. ad matutinum. Ymnū ad matutinum in dominica. Ymnū sc̄i Patrici magister scotorum*, quem sequitur *hymnū sc̄i Comgilli abbatis nostri*, qui scilicet institutor fuit Sancti Columbani. Postremos hosce duos hymnos sicut & alterum, qui sequitur Sancti *Camelaci*, & illum qui inscribitur *Memoria Abbatum nostrorum*, non animadvertit fortasse Muratorius esse *acrostichos*, initia scilicet stropharum singularum eodem ordine & numero concinnata esse; quo litteræ in Alphabeto leguntur. In omnibus etenim hisce Hymnis, prout sunt editi, loco litteræ X. non legitur, ut in MS., Xp̄c, sed *Christus* (quamvis male hic, aliique subsequentis ætatis barbari acrostichorum Scriptores litteram Græcam X, quæ valet *Ch*, in hoc usitatissimo monogrammate Xp̄s, idest Χριστός, pro latina nostra consona duplici X usurpaverint) & adjectâ litterâ H. in penultima Stropha, legitur *Hymnos* loco *Ymnos*. Ex quibus patet, quam antiquus fuerit etiam apud Hibernos *acrostichorum* usus. Postremo autem optarem, observatum fuisse illud etiam a Cl. Muratorio, quod ultima, quam vix memoravimus, *Memoria Abbatum nostrorum*, posteriore ævo fuerit scripta, & charactere diverso, nimirum *Anglo-Saxonico*, quum quindecim Abbates contineat Monasterii Benchorensis, qui etiam post S. Columbanum vixere. Neque alienum abs re nostra hic erit animadvertere, pari vitio laborare in litteris X. & Y. etiam Rhythmum acrostichum *De laudibus Mediolani*, VIII. Sæculo conscriptum (quem in hujus Operis Coronide exhibebimus) tam in Editione ipsius Muratorii, in *Rer. Ital. Scr.* Tom. 2. Part. 2. pag. 689., quam in Editione Gratiolii, in *Append. De Praecl. Mediol. Ædificiis*.

plectitur, ſub *Antiphonarii Monaſterii Benchorenſis nomine* typis Patavii mandavit anno MDCCXIII. Tomo IV. *Anecdotorum* (10) Cl. Muratorius, quum Mutinæ verſaretur in obſequio & Bibliotheca Sereniſſ. Raynaldi I. Mutinæ Ducis, ubi uſurpare oculis, & diligentius revolvere & obſervare noſtrum Codicem non poterat: quare coactus eſt aliquot inobſervata dimittere, vel ſilentio præterire. Quod vero ad *Liturgicum* (*) Codicem ſpectat, illud

(10) pag. 127. & ſeqq.

(*) Codex hic membranaceus eſt, optimæ notæ, & ſæpius notis muſicis in Reſponſoriis & Antiphonis reſperſus. Præſtat recitare ejus titulum, qui in membranis colore purpureo illitis legitur, & præfixus eſt Canoni, ſcilicet:

pag. 1. IN NOMINE DNI INCIPIT LIBER
SACRAMENTORUM DE CIRCULO
ANNI A SCO GREGORIO PAPA
ROMANO EDITUS QUALITER
MISSA ROMANA CELEBRATUR
HOC EST IN PRIMIS INTROITUS
QUALIS FUERIT STATUTIS
TEMPORIBUS SIUE DIE
BUS FESTIS SEU COTIDIA
NIS DEINDE KYRIE ELEYSON
ITEM DICITUR GLORIA
pag. 2. IN EXCELSIS DEO SI FES
FUERIT TANTUMODO
DIE DOMINICO SIUE
DIEBUS FESTIS A PRES
BITERIS AUTEM MINIME
DICITUR NISI ĪSOLO IN PA
SCHA QUANDO VERO
LAITANIA AGITUR NE
QUE GLORIA IN EXCELSIS
DEO NEQUE ALLELUIA
CANITUR - POSTMODUM
pag. 3. DICITUR ORATIO DEINDE
SEQUITUR APOSTOLUS ITEM
GRADALIS SIUE ALLELUIA
POSTMODUM LEGITUR EUAN
GELIUM DEINDE OFFERTORIŪ
ET DICITUR ORATIO SUPER

mihi plane persuadeo, nec citra nec ultra X.um Sæculum, ut jam dixi, esse referendum. Si enim serius exaratus esset, aliqua in præfixo Calendario commemoratio fieret ullius Sancti posterioris ætatis. Neque antiquius exarari potuit, quum inibi mentio injiciatur (11) Translationis Corporis S. Columbani sub Hugone & Lothario

OBLATA QUA COMPLETA
DICIT SACERDOS
EXCELSA UOCE
pag. 4. PER OMIA SAECULA SAECULORV
RESPONSIO POPVLI. AMEN.
DOMINVS VOBISCVM
RESPONSIO POPVLI
ET CVM SPIRITV TVO
SVRSVM CORDA R.P.
HABEMVS AD DNM
GRAS AGAMUS DNO DO NRO
RESPONSIO POPULI.
DICZUM ET IUSTUM EST
pag. 5. Sequitur Præfatio, & Canon &c.

Ex hoc colligitur, fuisse adhuc in usu ad id temporis, ut Populus in Ecclesia collectus Sacerdoti in Missa responderet. Item, quod in Gregoriana Liturgia habebantur singulares in quacumque Missa Præfationes, ut in *Antiphonario* S. Gregorii legimus, quæ item in hoc *Missali* leguntur. Juvat etiam observare, quod plures ex hisce Præfationibus videntur desumptæ ex Ambrosiano Missali, quæ nunc etiam in Ritu Ambrosiano retinentur. Hoc ideo dictum velim, ut destruantur affictæ identidem nostris Ritibus calumniæ etiam a magni nominis Scriptoribus; nimirum sæpius in Missalibus Libris a nobis fuisse variatum. Neque hujusmodi Scriptores animadverterunt, opponi nobis hasce varietates ex vitiato Missali edito anno 1560, in quem quum multa temporum vitio irrepsissent menda ab antiquis ritibus abhorrentia, post curas a S. Carolo, & Gaspare Vicecomite ejus successore susceptas, demum Federicus Borromeus ad antiquitatis normam feliciter & exactissime revocavit, sive reformavit. Quod si reformare idem est ac variare, eodem vitio laborat Romana Liturgia tot Romanorum Pontiff. diligentiâ sæpe ac sæpius restaurata. Hoc unum præ ceteris exemplo sit, quod Quadragesimale tempus apud nos festis omnibus Sanctorum vacat, & Missæ de eo tempore celebrantur antiquissimo ritu, qui plane similis est Missis illis, quæ in Bobiensi Monastico *Missali* recitabantur. Adde, tam inibi, quam apud nos, Dominicos dies, Sanctis exclusis, uni Domino reservari, pluresque haberi identidem ferias, quemadmodum nos etiam aliquot per singulos menses semper retinuimus & retinemus.

(11) III. Kal. Aug. *Relatio Corporis beati Columbani ex Ticino in Ebbob. Mon. & pax redita cum gloria.*

XIIII. Kal. Decemb. *In Ebb. Mon. translatio corporum Columbani, Atali, atque Bertulf.* &c. Item, recentiori manu, ad XVI. Kal. Aug. *Educcio corporis beati Columbani de tumulo suo.*

thario ejus filio Italiæ Regibus (12) in Urbem Ticinensem factæ. Itemque ejus barbariem Sæculi sapit Imago Crucifixi Matrem inter & Joannem picta ante Canonem Missæ, ut alia omittam indicia. Certe Romanum Ritum a S. Gregorio I. reformatum sequitur hic Missalis, ut ajunt, Liber. Attamen singulæ SS. etiam Missæ peculiarem habent Præfationem nostris Ambrosianis ritibus ferme consonam. Codex ipse mihi videtur diuturniorem Instituti Sancti Columbani, saltem in Liguria nostra, durationem (13) invicte propugnare adversos eos, qui cum Mabillonio (14) in hanc concessere sententiam: *S. Benedicti Regulam in Monasteriis a B. Columbano institutis ab omni majorum viguisse memoria, nec ullum tempus adsignari posse, quo in illis primùm recepta fuerit: ideoque prædictis Cœnobiis ab origine impositum fuisse, unum proinde, non diversum* S. Benedicti ac S. Columbani *censeri debere Institutum*: & (15) *Columbanum quidem in Italiam profectum, S. Benedicti fama permotum, ejus Regulam, ut se moribus Romanis accomodaret, in suo ipsius Bobiensi Monasterio admisisse*. Etenim in Litaniis post Calendarium Missali præfixis aperte invocantur SS. *Patricius*, *Columbanus*, *Eustasius*, *Gallus*, *Attala*, & *Bertulfus*, & post SS.rum invocationem supplicum preces Monachorum Deo sic offeruntur: *Ut Domnum Apostolicum* (scilicet Pontificem Romanum) *in sancta religione conservare digneris*. *Ut Imperatorem nostrum* (credo Ottonem I. tum de Regno Italiæ cum Berengario II. contendentem) *conservare* &c. *Ut ei vitam, sanitatem, atque victoriam donare* &c.

(12) Vide Mabill. *Acta SS. Ord. S. Bened.* Sæculi II., Tom. 1. ubi de *Miraculis S. Columbani* a Monacho Bobiensi Sæculo X. conscriptis, præsertim Cap. XVI. pag. 47. (13) De S. Columb. Instituto apud Moniales *Theodotæ* in Urbe Ticinensi vide infra Cap. VII. Sect. VIII. (14) Vide ejus *Præfat.* ad Opusc. citatum, §. 1. n. 9. pag. V. (15) Ibid. §. 14. in fine.

Ut Abbatem nostrum conservare &c. *Ut CUNCTAM CONGREGATIONEM S. COLUMBANI conservare digneris*. Hæ porro preces nonne reverentiam Pontifici Romano a S. Fundatore præceptam suis Alumnis, nonne Sæculum X.um, quo conscriptus est Codex post Carolum M. Imperii Romani restitutorem, nonne adhibitum Luxoviensibus & Bobiensibus Columbani Successoribus cultum, nonne Abbatem in eo Monasterio adhuc sedentem, & vigentem illius Congregationem aperte significant, imo demonstrant? Igitur (pace ac venia tanti Viri dixerim) serius admodum in unum corpus cum Benedicti Instituto ea Congregatio coalnit, quàm divinare coactus est Scriptor ille eruditissimus. Neque aliter credere nos finit historia ipsa Translationis Corporis S. Columbani, quæ quum X.° peracta certe Sæculo dicatur, & seriem exponat Privilegiorum Pontificum & Regum, qui res & bona S. Columbani Monachis concesserant, vel confirmaverant; plane nos docet, *illius* Patriarchæ Instituta ad eam usque ætatem in Monasterio Bobiensi viguisse ac perdurasse; præsertim quum dicatur *Patri* suo *Columbano* gratias egisse Monachus, qui amissum tintinnabuli malleum (16) invenerat: *Tu scis quia multum deliqui, nequiter egi; sed non impediant hodie peccata mea, ut deficiat obsequium, quod debeo DOMINO MEO PATRI COLUMBANO*. Demum exstat in Bibliotheca nostra Ambrosiana Codex (17) MS., olim Monasterii Bobiensis, *Vitam S. Columbani* exponens, fortasse illam ipsam, quæ Jonæ Monacho tribuitur, & *Miracula* in ejusdem Corporis Translatione facta: qui Codex quum in pluribus discrepet ab Editione Mabillonii, inter cetera, ubi de *Miraculis*, Capite illo, quod in Editis inscribitur (18) *De eo, qui rabidus effectus est*, & per S. Columbani me-

(16) *De Mirac. S. Columb.* in Op. cit. Cap. XIII. pag. 47. (17) Signat. G. 33. Part. Super. (18) Cap. XXII. pag. 49., in MS. vero Cap. 21.

rita, intercedentibus Monachis, ad priſtinam ſanitatem reſtitutus, diverſimode ſupplicatio in hæc verba effertur: *FRATRVM, QVI SUB TUO SANCTO DEGUNT INSTITUTO, interceſſio devota mihi mereatur ſanitatem impetrare. Videntes itaque fratres, quia ſic ſe humiliabat, pro eodem, beato Columbano ſupplicare cœperunt. Qui exaudiens deprecationem eorum, rabiem ab illo abſtulit. Sentiens vero ille, ſe eſſe ſanatum, & beatum Columbanum ſibi fore pacatum, gratias cum ingenti gaudio bonitati Salvatoris reddidit & beati Columbani cordialis ſemper devotus exſtitit; & FRATRES SVB SANCTA IPSIUS DISCIPLINA DEO MILITANTES ſemper pro poſſe ſuo adjuvit, multaque eiſdem beneficia contulit.* Quid aliud porro eſt, Monachos Bobienſes ſub Columbani *ſancto degere Inſtituto, ſub ſua ipſius diſciplina Domino militare*, niſi adhuc eo tempore ejus Sancti Fundatoris Regulam profiteri? Sed tota vis ac robur (19) Mabillonianæ argumentationis ſitum eſt primò in iis, quæ ab Anonymo Scriptore *Miraculorum* (20) S. Columbani narrantur objecta Widoni, vel Guidoni, Placentino Epiſcopo iis verbis: *Ita & tu non vales tuum Epiſcopatum regere, & Monachos ſecundum Regulam S. Benedicti gubernare*; deinde in Epiſtola Gerberti olim Bobienſi Cœnobio Præſidis ad eos Monachos (21) ita ſcribentis: *Scriptura Sancta dicit: Qui ficte * Dominum quærunt, nunquam invenire mereantur. Qui regulam S. Benedicti profeſſi eſtis, & Paſtorem deſerendo abjeciſtis, colla Tyrannis ſponte ſubdidiſtis* Omittimus hìc Theodori II. Romani Pontificis *Privilegium* anno DCXLIII. Bobuleno Bobienſi Abbati (22) conceſſum, ubi nominatur *Regula S. Benedicti*, vel

* In al. Edit. *Domum*.

(19) *Acta SS. Ord. S. Bened.* Præf. cit. n. 22. pag. XV. & XVI. Item *Annal. Bened.* Tom. 1. Lib. 13. n. 3. pag. 376. 377. (20) Cap. 23. ſub fin. pag. 52. (21) *Epiſt.* 18. in *Biblioth.* PP. Ed. Lugd. Tom. 17. pag. 671. Item apud Du Chesne Tom. 2. pag. 792. (22) Apud Ughelli *Ital. Sacra* Tom. 4. col. 957.

Columbani; quum hoc non immeritò interpolatum suspicetur Ughellus; vel ignotum esse potuerit Theodoro, quamvis in hoc dissentiat idem Ughellus, utram Bobienses Cœnobitæ Regulam profiterentur. Verùm suis ipsius viribus ruit geminus ille Mabillonii Achilles, suisque se armis jugulat. Quid enim ex illa Anonymi narratione evincitur, nisi quod Hugonis Regis tempore velis remisque contenderet Placentinus Episcopus, olim (23) Benedictinus Monachus, ut in Bobiense Monasterium *S. Benedicti Regulam* induceret ejusque regiminis curam sibi susciperet? Quare illi merito exprobratum fuerit, imparem esse *Episcopatui suo regendo*, simulque Monachis jamdiu Columbani Instituto assuetis *secundùm* novam *S. Benedicti Regulam gubernandis*. Secus inanis omnino foret illa additio: *secundùm Regulam S. Benedicti* (*) Quid, si hoc magis

---

(23) Vide Ughell. *Ital. Sacra* Tom. 2. col. 204.

(*) Observo, quòd ea probra conjecta in hunc Placentinum Episcopum, *Widonem* scilicet *Rainerii* fratrem (Vide *Mirac.* cit. Cap. 8.) de quibus adeo Mabillonius triumphat, in supra laudato Bibliothecæ nostræ Codice, qui fuit olim Monasterii Bobiensis, integra scilicet Capita 23. 24. & 25., quæ in Editione Mabill. leguntur, omnino desiderari; illico enim post narrationem miraculi (Cap. 22.) *De eo, qui rabidus effectus est*, Præceptum Hugonis Regis (Cap. 26.) favore Monasterii Bobiensis, in hæc verba explicatur: *Qualiter sancti Columbani res eius fratribus restitute fuerint*. Capitul. 22. *Cernentes itaque ceteri, qui beati Columbani servie adversabantur, tam gravia Dei iudicia, timuerunt valde, ne etiam super eos ultio similis mandaretur. Itaque subitò simul consilium inierunt; & beati viri res, quas rapuerant, restituere fratribue festinaverunt; rogantes, ut pro ipsis beatum Columbanum orarent, quatenus injurias, quas ipsi eidem irrogaverant, eis remittere dignaretur; quia sciebant, in eum se graviter peccasse; & se de cetero emendarent. Intelligens vero Rex, qualiter res pereransierint; insuperque plurimum gaudens, quod res beati Columbani eius fratribus forent restitute, iussit vocari eos, ut ad se venire dignarentur, & portarent privilegia sua, eo quod decrevisset ea confirmare. Cumque venissent, & stetissent coram Rege, accepit Rex in manibus suis ipsa privilegia, deditque scribe suo ut ea legeret. Qui cum finisset legere, confirmavit ea Rex. Addens, quod quicunque aSenus ipsa privilegia violare presumpserit, sciat, se in eius indignationem ac lese maiestatis chrimen incurrisse; apponensque sigillum suum, signavit; dimittens fratres in pace, rogans eos ut in eorum orationibus sui dignentur habere memoriam, quamquam ab ipsis hoc non mereretur. Donavitque etiam eos multis donis, & abierunt laudantes Dominum atque benedicentes, qui in manu potenti & brachio suo excelso de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos, & statuit*

magisque confirmetur ex Gerberti *Epiſtola*? ex qua nihil aliud eruitur, niſi Ottone III. Occid. Auguſto imperante, & Gerberto ipſo tum jam fortaſſe Silveſtri II. nomine in Petri Cathedra ſedente, varias inter Monachos Bobienſes excitatas fuiſſe tempeſtates ac turbas; adeo, ut legitimum *deſerentes Paſtorem*, ſive Abbatem, & *colla Tyrannis ſponte ſubdentes* a S. Columbani Regula tandem deſciſcerent, & *Benedictinam* amplecterentur, ac intra unius anni ſpatium (24) propter varia inter ſeſe diſſidia tres ſibi novos Præſules præfeciſſent; quæ omnia conqueritur Gerbertus in ſuis *Epiſtolis*. Integrum ergo ſemper erit, ad CCCC ferme annos Sancti Columbani Inſtitutis Bobienſe Monaſterium adhæſiſſe, quot fluxere ab initio Sæculi VII., quo in Italiam ille Sanctus venit, uſque ad initium XI., quo Silveſter II. in Romana Cathedra ſedebat.

Theudelindæ cum Adaloaldo pacificum regnum. Hujus Reginæ geſta. Cur Adeodatus Epiſcop. noſter adhuc Genuæ perſiſteret.

IV. Veruntamen retexenda jam interrupta hiſtoriæ ſeries, unde digredi nos compulit Sanctus Monachorum in Liguria Pater Columbanus. Mortuo igitur Agilulpho, quum Regni habenas moderandas unà cum filio Adaloaldo ſuſcepiſſet Theudelinda, ſecunda omnia & proſpera orthodoxæ Religioni fluere videbantur. Hinc Brixiæ & Taurini excitata, ejus Reginæ operâ, nobiliſſima Templa, aliaque pluribi defixa in poſterorum oculis (25) ſplendida monumenta, quæ illius religionem teſtatam facerent ac commendarent. Mirabar jamdiu mecum tacitus, cur *Deusdedit*, ſeu Adeodatus, Mediolanenſis Antiſtes tamdiu, Agilulpho etiam regnante, Genuæ verſaretur. Moleſte quidem ſed patienter ferebam pernicioſam no-

---

eorum procellam in auram, & ſilluerunt fluctus eius, & letati ſunt qui ſilluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino miſericordia ejus &c. Sequitur illico *De Puteo ſicco, in quo aqua fuit reſtituta*. Capitul. 23.

(24) Gerbert *Ep*. 19. ibid. (25) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 43. *Sub his* (Theudelinda & Adaloaldo) *Eccleſiæ reſtauratæ ſunt, & multæ ditiones per loca venerabilia largitæ*. Hæc omnia diligentiſſime perſequutus eſt jam laudatus Friſius *Diſſ*. 2. de Modoetienſi Eccleſia.

ſtræ Urbi diuturnam Paſtoris noſtri alibi moram quouſque S. Gregorius alienum a Catholica Religione illius Regis animum improbabat. Veruntamen ex quo illum Regem ſanctus ille Pontifex *Filii* nomine compellare dignatus eſt in *Epiſtola* ad Theudelindam miſſa (26) vel ſub anni exitum DCIII., vel ineunte DCIV., imo poſtquam ritu Catholico expiatum eſſe neonatum Adaloaldum intellectum eſt, & fama percrebuit effuſæ Theudelindæ liberalitatis in Modoetienſem Baſilicam; mirabar, latentem in Liguriæ angulo Epiſcopum noſtrum ocyus in Agilulphi Aulam ſuamque Sedem non convolaſſe, ubi Regio fultus præſidio & ſuſtentare Religionem, & turbatum ſuæ Eccleſiæ ſtatum facili negotio componere potuiſſet. Attamen, heus dico! Deo ſic permittente effectum eſt, ut inter tot tempeſtates, quibus Liguriæ planities Schiſmatis cauſâ agitabatur, inter tot luporum circumcurſantium ululatus hoc Ovile Epiſcopum noſtrum adhuc deſideraret; quia de re Schiſmaticorum *furor* invaluit, ut fuſe ad Bonifacium IV. miſsâ *Epiſtolâ* (27) S. Columbanus conquerebatur. Sed admirari maxime & venerari *terribilia Dei conſilia ſuper filios hominum* cogor, ex quo poſt Agilulphi obitum demandatâ Reginæ piiſſimæ adminiſtratione, de cujus religione ambigi non poterat, video adhuc Adeodatum a Sede ſua abſentem in Genuenſi perſiſtere. Quod Paſtoris hujus religioni conſonum videtur, cenſeo potius, pejorem eo tempore fuiſſe Liguriæ ſtatum, Schiſmatis furore convulſum, quàm ut ei mederi Sui unius viribus poſſet. Neque dubito, quin ſedulò per litteras *argueret, obſecraret, & increparet in omni patientia & doctrina* Liguriæ Paſtores. Etenim hoc tempore in multò deteriorem ſtatum, quàm Conſtantio ſedente erant, Catholicorum res fuerant prolapſæ. Tum

(26) Lib. 14. *Ep.* 12. Lege verba ſup. recit. pag. 441. (27) Sup. recit. pag. 457. & ſeqq.

ſcilicet, ne in Liguriam Schiſmatis lues ſerperet, cum S. Gregorio laborabat Conſtantius; nunc vero, ne viſcera totius Liguriæ inficeret, igne ferroque agendum videbatur. Tum, ut vidimus, initia erant parandi morbi, nunc morbus ipſe in ſinu gliſcens & diuturnâ morâ invaleſcens feram parari medicinam prænuntiabat. *Joannes* Aquilejenſis, *Patriarchæ* nomen (28) Romano Pontifici opponens, Liguriæ, Venetiæ finitimæ, datis a ſe Paſtoribus, ita Dominicum Ovile perterrefecerat, ut ſine certo duce paſſim errantes oves, quem ſequerentur, quem optarent, non haberent; aut habentes, vocantis vocem non audirent. Id unum reliquum erat Adeodato, ut conterminam maritimæ Liguriæ partem, quam nondum morbus pervaſerat, intactam a lue ſervaret.

Theudelindæ obitus. Solus Adaloaldus regnat: qui paulo poſt a Langobardis regno privatur. Honorii Papæ I. de hoc querelæ ad Liguriæ Epiſcopos. Iſaaccii Exarchi in Schiſmaticos furor.

V. Utinam vero diutius beneficum Langobardiæ Sidus, Theudelinda, affulſiſſet. Sed miſero fataliquе caſu effectum eſt, ut * poſt decennium a Mariti morte Regina illa, ſpes Catholicorum unica & Regni ornamentum, contra omnium vota morte (29) interciperetur. Hoc Interregnum, ſive ſecundum Theudelindæ Regnum, nihil exhibet memoria dignum, præterquam hujus religioſiſſimæ Reginæ munificentiam, qua Eccleſias reſtauraſſe multiſque etiam donis cumulaſſe traditur (30) a Paulo Diacono. Solus itaque Adaloaldus quum adminiſtrandum Regnum ſuſcepiſſet, & maternis conſiliis deſtitutus, ſive (31) mentis vitio, ſive dominatus ſui impotentia, ſive nimio etiam religionis ſtudio, paulo poſt Langobardicæ Nationis odium incurrit. Qua de re alienatis a ſe omnium animis, novo exemplo communibus ſuffragiis exturbatus eſt de Solio, &, quod mirum dictu, Liguriæ noſtræ Epiſcopis non modo

* An. DCXXV.

(28) Vide ſup. pag. 496. & not. (81) ibid. (29) Friſius *Differt.* 2. cit. Cap. ult. refert Theudelindæ obitum ad ann. 625. (30) Vide ſup. not. (25) pag. 501. (31) Vide Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 43. cit. & Fredegar. in *Chron.* n. XLIX. apud Paul. Diac. ad hunc locum, nota 217.

non obsistentibus, verum etiam illius ejectionem approbantibus. Eò enim malorum ventum hoc tempore fuerat, ut Rex Catholicus per eos Regno privaretur, per quos ut retineretur erat maxime laborandum. Itaque, quum omnes Adeodati conatus irriti recidissent, indignitate rei commotus noster Antistes nihil dubito quin Apostolicæ Sedis auxilium imploraverit. Hinc in tanta rerum perturbatione auditus est Honorius I. e Petri Cathedra liberam vocem extulisse sic ad Isaaccium Ravennatem scribens (32) *Delatum est ad Nos, Episcopos Transpadanos Petro Pauli filio suadere conatos esse, ut Adalualdum Regem desereret, Ariovaldoque Tyranno se applicaret. Quamobrem, quia Petrus pravis eorum consiliis* (sic) *suis respuit obedire, & sacramenta Regi Agoni Adalovaldi Patri præstita sancte cupit servare: & quia hoc Deo & hominibus est ingratum, ut qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipsi suasores exsistant; rogamus vos, ut postquam Adalvaldum divinò in Regnum, ut speramus, auxilio reduxeritis, prædictos Episcopos Romam mittere velitis, ne scelus hujusmodi impunitum relinquamus.* Porro ad quem maxime spectare poterat tantam in Liguria peractam Tragœdiam Apostolicæ Sedi nuntiare, quàm ad Italicæ Provinciæ Caput, qui in Maritimæ Liguriæ angulo remotus a Schismatis turbis, semper novis fluctibus jactabatur? Excubabat igitur noster Antistes pervigil ad omnes Schismaticorum in Liguria motus, & ad sedentem in Ecclesiæ specula Summum Pontificem (quod unice poterat) eorum audacissimos in Adaloaldum conatus renuntiabat. Defigebat in Honorii oculis futuras Regni Langobardici calamitates Catholico Rege ejecto, & Taurinatium Duce Ariano Arioaldo ad Solium substituto. Dolebat, rebelles a Pontifice Ligures Episcopos a suo etiam

(32) Apud Labbé *Concil.* Tom. 5. col. 1681.

etiam Rege defeciſſe, imo auſos illius fidiſſimos Subditos ad perduellionem ſollicitare. Quare Pontifex, eorum Præſulum temeritate perculſus, Iſaaccii Ravennatenſis Exarchi iram juſtiſſime commovens ad vindicandum tantum ſcelus contra ſuæ Ditionis Schiſmaticos Antiſtites inflammavit. Hinc illæ lacrymæ, hinc querelæ illæ in *Synodo Mantuana* anno DCCCXXVII. iterum auditæ atque excitatæ a reliquiis Iſtrorum Schiſmatis (33) toties compreſſi, imo a Sergio Romano Pontifice, ut (34) videbimus, conſepulti; ſed iterum vitales aliquot motus edentis. Certe ſub Honorio Iſaaccius viriliter Schiſmaticos perſecutus, Epiſcopos abſtractos ab Adriacis Inſulis, quæ ſibi ſuberant, perduelles afflixit, eorumque vires infirmavit. Veruntamen intempeſtiva illa Iſaaccii in Schiſmaticos Iſtros ſeveritas mirum quantùm Liguriæ noſtræ obſuerit. Etenim dum in illos judicia exercebantur, hìc omni ſoluto repagulo rebelles ab Eccleſiæ unitate liberius triumphabant. Scilicet, quum, avaritia fortaſſe ſtimulos addente, Exarchus in ſuæ Ditionis Schiſmaticos animadverteret, neque opportunum tempus exſpectaret, quo Adaloaldus, ut ſperabat Honorius, in Solium reſtitueretur; illa Græcorum in Suos animadverſio Schiſmatis exaſperavit vulnus, & quantò magis in Iſtris recrudeſcebat bellum, eò periculoſius Catholici in Liguria affligebantur.

Arioaldus Arianus Adaloaldo ſubſtituitur. Impia ejus geſta antequam Rex eſſet Ejuſd. in Gundebergā uxorem crudelitas: erga Arianos favor. *Fortunatus* Schiſmaticus Epiſc. Gradenſem Eccleſ. invadit. Irritæ de hoc Honorii Papæ querelæ.

VI. Ejecto igitur per Ligurum Epiſcoporum cum Langobardis conſpirationem Adaloaldo, ocyus (35) Dux Taurinatium Arioaldus, ut diximus, evocatus fuerat ad Regnum, utpote Gun-

(33) Vide Baron. ad ann. 605. n. 3. & De Rubeis Op. cit. Cap. 47. V. ſup. p. 487. & not. (83) ibid. (34) Cap. X. Sect. II. & ſeq. (35) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 43. cit. In *Prologo Leg. Roth. in Rer. It. Ser.* Tom. 1. Part. 2. pag. 17. *Sextuſdecimus Arioald ex genere Caupi*.

debergæ depositi Regis Sororis (36) Maritus; ideoque nationi & universis Ordinibus summopere gratiosus uxoriæ stirpis commendatione. Neque profuerunt Honorii conatus suscepti, ut Catholica Religio in Solio illo adhuc regnaret; quum novus Rex Arianæ Sectæ (37) & suæ gentis erroribus imbutus nihil spei Catholicis reliquisset, imo statim a Regno suscepto non dubitasset depositum Regem propinato veneno (38) de medio tollere, ut metu omni solutus Regnum libere administraret (*) Infausta admodum ac Religioni Catholicæ male ominosa dederat hic Princeps indicia, quum Dux esset Taurinatium. Habemus enim ex Jona (39) in *Vita Bertulfi* Bobiensis Abbatis tertii, Arioaldum, quum Ticini aliquando versaretur, & obvium ea in urbe habuisset Bobiensem Monachum nomine *Blidulfum* tempore Attalæ Abbatis, dixisse comitibus suis optare se, ut quispiam Bobiensem eum Monachum Arianorum hostem fustibus usque ad necem pessime mactaret: imo & ampla spe præmii ad id facinoris adstantes concitasse. Quumque paratum se ad id sceleris perpetrandum aliquis obtulisset, adjuncto sibi comite, nocte insequente Monachum in via repertum baculis furenter adeo impetiere, ut semianimem, imo mortuum a se creditum in via reliquerint. Quanquam ad Solium evectus nonnihil de hac sua impietate & odio in Catholicos videatur exinde regni

(36) Fredegar. *Chron.* cit. in nota 217. ad Paul. Diac. loc. cit. Item Jonas in *Vita Bertulfi* in nota cit. & apud Mabill. *Acta SS. Ord. S. Bened.* Tom. 1. cit. pag. 163. n. 12.
(37) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 44. It. Jonas l. cit. (38) Fredegar. *Chron.* l. cit.

(*) De Adaloaldi obitus tempore sequor sententiam Muratorii in *Annal. Ital.* ad ann. 625; quamvis non ignorem, Pagium in Notis ad Baron. ann. 626. n. 7., & seqq. aliter sensisse, imo & Maurinos PP. *Art de verif. les Dates*, verbo *Isaac*, qui putarunt, Adaloaldum ejectum e Solio perfugium habuisse apud Isaaccium Exarchum, ab eoque defensum. Horum tamen sententia non omnino Eruditis fuit accepta, ut testatur Gaillard in secunda sua de Langobard. Dissert. inserta in Op. *Memoires de Litterat.* &c. Tom. 35. cit. pag. 802.

(39) Apud Mabill. Op. & loco citt.

initio (40) remisisse, Gundebergæ uxoris fortasse consilio mitigatus; brevi tamen tempore, insimulatam proditionis per calumniam impudentissimi Aulici Reginam, ut narrat (41) Fredegarius, postquam Laumellum decore Regio spoliatam relegasset, ad pristinum morem atque ingenium suum rediit; & impense Arianis favens consepultam ejus sectæ pestem, qua tantopere Ambrosiana Sedes laboraverat, toti Regno afflavit. Patefactâ exinde post triennium Reginæ innocentiâ, & Dei judicio, ut moris erat ea ætate, per singulare certamen, in quo calumniator cecidit, comprobatâ, in pristinam dignitatem restituta Gundeberga favore suo quantùm fovere Catholicos perseveravit, tantum etiam Arioaldus Arianis patrocinium impertiri studuit, quoad vixit; decennio nimirum, ut contra Paulum (42) docuit Muratorius in *Chronico* Regum Langobardorum, quod ipse edidit (43) in *Antiquitatibus Medii Ævi*. Hoc tempore pulsus ex Histria Græcorum metu perfidus Schismatis sectator *Fortunatus* (44) vacuam Pastore Gradensem Ecclesiam violenter invasit: direptoque ejus Basilicæ & Baptismalium Ecclesiarum thesauro & gaza, inde excedens opimis onustus spoliis, in Castrum Cormonense Arioaldo Regi subjectum profugit. Ibi latuit sub Langobardici Ariani Regis tutela ac defensione imo amplissimum tulit latrocinii sui fructum, veteris scilicet Aquilejæ Patriarchalem Sedem sibi a Schismaticis post Marciani obitum delatam; quam etiam eodem in Castro, Exarchi tela irridens, secure administravit. Justo dolore percitus Honorius pro tanto *Fortunati* facinore se

(40) Vide, quæ narrat Jonas in *Vita S. Bertulfi* cit. n. 4. Apud Mabill. Op. cit. Tom. 1. pag. 161. & Murator. ad ann. 627., ex quibus evincitur aliquid favoris in Catholicos. Vide & infra Sect. XIV. (41) *Chron.* cit. in nota 254. ad Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 49. Vide Murat. ad ann. 629. & 632. Vide quid de simili eventu narrat Fredegarius sub Rege Rothari, & quid opinatur Muratorius ad ann. 641., infra Sect. VIII. & in nota ibid. (42) Lib. 4. Cap. 44. cit. *Arioaldus duodecim annis regnum tenuit*. (43) Tom. 4. col. 943. c. *Arioald regnavit annos X.* (44) Dandul. *Chron.* Lib. 6. Cap. 6. Parte 13. in *Rer. Ital. Scr.* Tom. 12. col. 113. De Rub. Op. cit. Cap. 34. col. 301.

continere non potuit, quin certos homines dirigeret ad Arianum Regem (45) tum expostulaturus de illata Gradensibus injuria, tum actionem de repetundis intentari *Fortunato* desiderans. Temporum supputatio exigit, ut ad Arioaldum Regem datam eam *Epistolam* Honorii credam; quandoquidem in Codice MS. Bibliothecæ Ambrosianæ (46) legitur ea scripta * anno DCXXVIII., quo tempore omnes, uno Pagio (47) excepto, consentiunt, Adaloaldum jam infra mortuos amandatum, ut jam in Notis ad Danduli *Chronicon* adnotavit (48) Cl. Saxius. Elusit quidem justa Romani Pontificis vota Arianus Rex; admirandam perpetuò tamen posteris Honorii constantiam commendavit, qui nec in conspectu inimici Regis loqui, neque confundi est veritus.

* Ann. DCXXVIII.

Adeodati Episcopi obitus. Asterius ei sufficitur. Num Honorii tempore fuerit extinctum *Schisma Aquil.* Asterius Genuæ Byrinum consecrat; ideoque Asterius dictus a Beda *Episcopus Genuensis*. Num Mediol. Episcopus Genuæ degens utramque regeret Ecclesiam.

* DCXXIX.

VII. Inter hasce procellas, & Schismatis semper in Provincia sua effervescentis turbines constitutus Adeodatus Episcopus noster, quum nullum labantibus rebus neque suâ, neque ipsius Honorii auctoritate afferre remedium posset; tandem tot victus malis, atque ætate maxime ingravescente (XC. enim annos perhibetur ex nostro *Catalogo* vixisse) tandem naturæ & fato concessit * Genuæ in maritima Liguriæ parte, quam semper pro virili in-

(45) Hoc satis patet ex Honorii *Epist. ad Episcopos Venetiæ & Histriæ* apud Labbé Tom. 5. col. 1681. & Dandul. *Chron.* l. cit., quam hic integram præstat exhibere: *Suademus & decretales apices Fraternitati vestræ dirigimus, per quos expetimus, ut loco Judæ alius vitæ probabilis ad regendum gregem Dominicum promoveatur. Et non immerito is, qui dejectus est, & Judæ actibus comparatur & moribus. Nam, quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. Primogenium itaque Subdiaconum, & regionarium nostræ Sedis, Gradensi Ecclesiæ, Episcopali ordine, cum Pallii benedictione direximus consecrandum. Oportebit ergo, Fraternitatem vestram juxta legem Ecclesiasticam cuncta disponere, Capitique vestro sinceram obedientiam exhibere.* Nos enim dirigentes homines nostros ad Excellentissimum Langobardorum Regem, *injunximus, ut eundem* Fortunatum, *uti relicta ab eo Rep. ad gentesque prolapsum, & abnegata concordiæ unitate Deo rebellem & perfidum, nec non res quascunque secum aufugiens abstulisse monstratur, expetat* (apud Dandul. *expetere*) *& repetere non moretur: ut & hi, a quibus repetuntur, a Patribus* (apud Dandul. *partibus*) *Christianissimæ Reip. parem justitiam consequantur.* (46) Sign. A. 141. Part. Infer. fol. 22. a tergo. Vide in Danduli *Chron.* l. cit. nota *c*. (47) loco cit. sup. p. 506. nota (*) (48) loco cit.

ractam ab omni Schismatis labe servavit. Pontifex certe melioribus dignus temporibus, ibidem depositus (49) ad *S. Syrum III. Kal. Nov.* anni DCXXIX. Suffectus * in Adeodati locum Austerius sive Asterius, Cleri & honoratorum Virorum Genuæ tum degentium suffragiis electus; quem pronum credere est approbatum ab Honorio I. Rom. Pontif., ejusque jussu consecratum, atque Pallio per Romanæ Sedis Internuncium de more ornatum; quum jam vetus consuetudo mutuæ per Aquilejensem consecrationis ab Auxani inauguratione obsolevisset, uti sæpius diximus. In tanta Liguriæ Orientalis propter Schisma jactatione, Ambrosianæ Navis clavum in Occid. parte rexit Austerius, sollicite excubans, nequid detrimenti ea pars caperet, quam in unitate Fidei constantem a Decessore suo acceperat. Hinc conjunctis cum Honorio studiis viriliter pugnasse dicendus est: Pastor scilicet noster ad præcavendam a sana Ovilis sui parte Schismatis luem: Ille, ut jam infectam Schismate partem sanaret; quum usque adeo bellum Schismaticis in Græcorum ditione positis internecinum denunciaverit atque intulerit, ut moriens anno DCXXXVIII. hoc sepulcrali ellogio ornatus fuerit (50) *An. DCXXX.

PASTOREM . MAGNUM . LAUDIS . PIA . PRAEMIA . LUSTRANT
QVI . FVNCTVS . PETRI . HAC . VICE . SVMMA . TENET
EFFVLGIT . TVMVLIS . NAM . PRAESVL . HONORIVS . ISTIS
CVIVS . MAGNANIMVM . NOMEN . HONORQVE . MANET
SEDIS . APOSTOLICAE . MERITIS . NAM . IVRA . GVBERNANS
DISPERSOS . REVOCAT . OPTIMA . LVCRA . REFERT
VTQVE . SAGAX . ANIMO . DIVINO . IN . CARMINE . POLLENS
AD . VITAM . PASTOR . DVCERE . NOVIT . OVES
HISTRIA . NAM . DVDVM . SAEVO . SVB . SCISMATE . FESSA
AD . STATVTA . PATRVM . TEQVE . MONENTE . REDIT &c.

(49) In nostro *Catal.* sic: *Deusdedit Episc. sedit ann. XXVIII. mens. unum. Dies XIIII. Ob. III. Kal.* (in *Catal.* apud Murat. Tom. 4. cit., *IV. Kal.*) *Novemb. Sepultus in Janua ad S. Syrum. Vixit annis XC.* In *Catal.* apud Murat. Tom. 1. Part. 2. desunt vitæ anni.

(50) Apud Gruter Tom. 2. pag. 1165. n. XI. It. Apud Baron. ad ann. 638. n. 4.

Fortasse tempore hujus Pontificis id vulgo censebatur, facile brevi interiturum fatale hoc Schisma. Hæc tamen Honorii laus intercidere visa est, postquam novas vires renovavit Aquilejense dissidium, labefactata nimirum Exarchorum potentia, & intermissis eorum pro Ecclesiæ unitate conatibus propter ruptas a Langobardis inducias, ut ipse quoque rerum exitus comprobavit. Hoc mihi Honorii decus multò certius proferre liceat, & tutissime asserere, illum videlicet Pontificem, adeo Schismaticis infensum, singulari honore & dignitate prosequutum fuisse Antistitem nostrum Austerium; qui tum remotus a perduellium turbis Genuæ degebat constantissime hærens Sedi Apostolicæ, unitatemque Catholicam cum Clero suo eximie fovebat. Etenim, teste (51) Beda, quum Byrinus, Deo impellente, ad Evangelii lucem Saxones Occidentales evocare studeret, & Christo per baptismum adjungere; ab Honorio petiit, ut sibi vineam illam excolendam attribueret, & Apostolicam benedictionem impetraret. Qui Romanus Pontifex, antequam Byrinus illuc proficisceretur, suas vices Austerio commisit, ut eum rite consecratum Episcopum in patriam dimitteret. Quæ postea missio regionibus illis faustissima optimos fructus peperit, & Christi nomen, populis illis ignotum, maximo Ecclesiæ Catholicæ incremento invexit. Mirabitur fortasse quispiam hoc loco, quod Beda in sua Historia Asterium *Genuensem Episcopum* appellaverit. Veruntamen mirari certe desinet, si ea recolet, quæ (52) superius diximus; nimirum Mediolanenses Episcopos, postquam metu Langobardorum

(51) *Hist. Eccl. Gentis Anglor.* Lib. 3. Cap. 7. ad ann. 634. *Eo tempore gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevissæ vocabantur, regnante Cynigilso, fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum* Byrino *Episcopo, qui cum consilio Papæ Honorii venerat Brittaniam: promittens quidem, se, illo præsente, in intimis ultra Anglorum partibus, quo nullus Doctor præcesserat, sanctæ Fidei semina esse sparsurum. Unde & jussu ejusdem Pontificis* per Asterium Genuensem Episcopum *in Episcopatus consecratus est gradum.*

(52) pag. 375.

Genuam fugerant, utramque exinde Ecclesiam, Genuensem & Mediolanensem, semper administrasse. Imo huic sententiæ meæ maximum videtur pondus accedere ex allata Bedæ narratione. Nam quum ex *Epistolis* Gregorii ad Constantium, & Mediolanenses, ac Theudelindam, superius (53) relatis apertissime constet, nunquam intermissam Mediolanensis Ecclesiæ gubernationem, & ex Beda habeamus, Asterium fuisse *Genuensem Episcopum*; illud certe sequitur, utrobique conversas Episcoporum nostrorum curas atque Pastoralem sollicitudinem toto eo tempore, quo Genuæ versabantur. Inter hæc * Arioaldus vita decedit; & Rotharis non minus Decessore suo Arianæ hæresi favens in ejus locum substituitur. Ex hac Ecclesiæ Catholicæ inauspicatissima Rotharis electione, & insuper ex Honorii I. obitu, Asterius, Mediolanensis item ac Genuensis Antistes, dolore intimo percitus propter Ecclesiæ Romanæ calamitates, non admodum Honorio superstes fuit. Nimirum quum annum integrum & menses septem sine Duce & Navarcho Petri Navis fluctuasset, & Severini Successoris electi approbatio diutius ab Or. Aug. Heraclio differretur, audivit (proh dolor!) Isaaccium Patricium * violentas manus (54) in Lateranensis Basilicæ thesaurum intulisse, atque pretiosa quæque ejus Templi stipendiorum loco cessisse in Græcorum militum prædam, qui in Romæ defensionem sub Augusto stipendia faciebant. Sic expilato per octiduum Basilicæ thesauro dum Roma ingemisceret, reor, tantum ad Austerium permanasse doloris, ut, inaugurato tandem Severino Pontifice, paucis post mensibus Genuæ vitam suam cum morte (55) commutaverit.

Arioaldo defuncto Rotharis item Arianus substituitur. Isaacci Exarchi in Lateranens. Rom. Basilicam invasio. Honorii Papæ, & Asterii Mediol. obitus.

* An. DCXXXVI.

* An. DCXXXIX.

(53) p. 400. 405. & seqq. (54) *Lib. Pontif.* in Vita Severini. Murator. ad ann. 639. (55) In *Catal.* nostro sic: *Austerius Episc. sed' an. X., m. V., diebus VII. Ob. die IIII. m. Julii. Sep. est in Jenua ad Sanctum Syrum. Vixit an. LXX.* (in *Catal.* apud Murat. Tom. I. Part. II. deest: *Vixit* &c.)

Hujus obitum paulo post Severini mors etiam est consequuta: ille enim (56) IV. Nonas Quinctiles, hic autem Kalendis Sextilibus * anni DCXL., viginti septem scilicet post Austerium diebus, e vita excessit, relictis tamen tam brevi spatio insignibus pietatis & Pontificalis constantiæ monumentis (*)

* An. DCXL.

Rotharis, ope uxoris Gundebergæ Arioaldi Viduæ, ad Solium evehitur. Arianorum sectam fovet. Conjugem Reginam injustè in carcerem intrudit. De ejusd. Reginæ virtutibus, ac cum Francorum Regibus cognatione.

VIII. Quum istis in maritima Liguria vicibus Mediolanensis Ecclesia agitaretur, multò gravioribus periculis in plana Liguria conflictabatur. Pulso, ut vidimus, Adaloaldo, atque in Regni Sedem Taurinatium Duce Arioaldo evecto, & post XII. annos (57) extincto (cujus hic historiam parcè admodum tractavimus, quum Paulus Diaconus (58) testetur, *de hujus Regis gestis ad suam notitiam minime aliquid pervenisse*) quadriennio ante, quam Austerius vita decederet, regnabat inibi Rotharis a Gundeberga Arioaldi vidua in Regem electus. Tanta enim apud Langobardos gratia florebat Theudelindæ progenies, ut ejus filiæ Gundebergæ optionem dederint novi Regis eligendi. Delegit itaque Brixiæ Ducem nomine *Rotharim*, infeliciter admodum; scilicet quanto ipsa amore Catholicos prosequebatur, tanto ille favore complectebatur Arianos. Invaluerat jam sub Arioaldo hæc Secta, in tantum postmodum a Rothari corroborata, ut, teste (59) Paulo Diacono, hujus Regis temporibus *pene per omnes Civitates duo Episcopi essent, unus Catholicus & alter Arianus*. Quod quidem Pauli Diaconi dictum utrùm etiam ad Mediolanensem Ecclesiam nostram referri possit, infra (60) videbimus. Ut igitur seriem Regni Rotharis expli-

(56) Vide infra Sect. seq. sub fin. (*) Mirari subit hoc loco, quomodo Maurini PP. (*Art de verif. les Dates*) nullius Scriptoris, quod sciam, auctoritate fulti Isaaccium vita functum affirment anno 638. contra *Pontificalis* Libri (in Vita *Severini*, init.) auctoritatem testantis, hunc Romæ fuisse, quum Severinus consecraretur Pontifex anno 640.

(57) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 44. (58) Lib. 4. Cap. 43. (59) Lib. 4. Cap. 44. cit. Vide infra Cap. VI. Sect. II. & ult. (60) Huj. Cap. Sect. XII. Vide & infra Cap. VI. Sect. ult. citt.

explicemus; poſtquam dotale veluti Regnum a Gundeberga certis conditionibus accepit, omiſſa a Paulo liceat mihi ex Fredegario ſupplere. Ille igitur Scriptor in hæc verba (61) inaugurationem Rotharis, & primordia ejus Regni recitat: *Gundeberga Regina, eò quòd omnes Langobardi ei fidem cum ſacramentis firmaverant, Chrotharium* (*) *quemdam, unum ex Ducibus de territorio Briſſia, ad ſe venire præcepit, compellens, ut uxorem, quam habebat, relinqueret, & eam in matrimonium acciperet, per ipſam omnes Langobardi eum ſublimarent in Regnum; quod Chrotharius libenter conſentiens, ſacramentis per loca Sanctorum firmans, ne unquam Gundebergam poſtponeret, nec de honore gradus aliquid minueret, ipſamque unico amore diligens in omnibus honorem præſtaret condigne, Gundeberga attrahente, omnes Langobardorum Primates, Chrotharium ſublimant in Regnum. Chrotharius cum regnare cœpiſſet, multos nobilium Langobardorum, quos ſibi ſenſerat contumaces, interfecit. Chrotharius*

(61) Ad Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 49. nota 251. It. ap. Mart. Bouquet. *Rer. Gallic. Script.* Tom. 2. pag. 440. n. LXX. (*) *Chrotharium* hunc vocat ubique Fredegarius, & alii *Chrotbachsrium*, qui facile, dempta, ut aſſolet, duriori apud Barbaros familiari aſpiratione, *Rotharis* poſtea eſt appellatus. Simili modo apud Veteres & Fredegarium ipſum legitur *Charoaldus*, nunc *Arioaldus*, *Chlotharius*, nunc *Lotharius*. Item apud Gallos e *Chlodoveo* & *Hludoveco Ludovicus*, nunc *Lovis*, apud Italos promiſcue *Luigi* & *Ludovico*. De hoc habemus & nos domeſticum exemplum in Epitaphio *Ludovici II.* Imp. in Ambroſiana Baſilica ſepulti, cujus initium eſt:

Hic . Cubat . Aeterni . Hludoveeus . *Caeſar* . *Honoris* &c.

Rotharis *genere Arodus* a Paulo (Lib. 4. Cap. 44) appellatur. *Arodum* ſe dicit etiam ipſe Rotharis in ſuo *Legum Prologo* (*Rer. It. Scr.* Tom. I. Part. 2.), ubi texens ſeriem chronologicam Langobardorum Regum extra Italiam, & in Italia, ab *Agimundo* uſque ad ſe ipſum, quum *Agimundum* dicat ex genere *Cucingi*; *Cleph ex genere Beleos*; *Agiliup*, ſeu Agilulphum, *ex genere Ananvat*; *Adubivald*, ſeu Arioaldum, *ex genere Caupi*; ſe ipſum demum *filium Nandigild ex genere Arodi*; hinc Carolus Tenivellius, Op. & l. citt., non inepte argumentatur aliquid cognominis Familiarum, vel ſaltem Tribus, multò ante Rotharim jam invaluiſſe, contra eos, qui Familiarum nomina vix paulo ante XI. Saeculi initium invecta opinantur. De hoc aliorum eſto judicium. Vide ſup. pag. 377. not. (117)

fortissimam disciplinam & timorem in omni Regno Langobardorum, pacem sectans, fecit. Chrotharius (62) *oblitus sacramenta, quæ Gundebergæ dederat, eamque in unum cubiculum Ticini in Aula Palatii retrudit, eamque ad privatum habitum vivere fecit. Quinque annis sub ea retrusione tenetur. Chrotharius per concubinas bacchatur assidue. Gundeberga vero, eò quod esset Christiana, in hac tribulatione benedicebat Deum omnipotentem, jejuniis & orationibus assidue pervacans. Quando Deo placuit, cùm Aubedo legatarius directus a Chlodoveo Rege* (idest II.°, Dagoberti Neustriæ & Burgundiæ Regis filio & Successore) *causâ legationis ad Chrotharium Regem Langobardorum usque Papiam cognomento Ticinum Civitatem Italiæ pervenisset, cernens Reginam, quam sæpius in legatione veniens viderat, & ab ipsa benigne semper susceptus fuerat, fuisse retrusam; quasi injunctum habens exinde inter cetera Chrothario Regi suggessit, quòd illam parentem Francorum, quam Reginam habuerat, per quam Regnum etiam adsumpserat, non debuisset humiliare: multùm exinde Reges Francorum & Franci essent ingrati. Quam Chrotharius de præsente, reverentiam Francorum habens, jubet egredi foras: & post V. circiter annos per totam Civitatem, & forìs Gundeberga regali ordine per loca Sanctorum ad orationem adgreditur. De villis & opibus fisci, quas habuerat, Chrotharius ei restaurare præcepit. Quod usque diem obitus sui & gradu dignitatis & opibus pluribus ditata, regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo vero a Gundeberga Regina fortiter remuneratur.* Ex Gregorio autem Turonensi (63) discimus, quæ cognatio inter Gundebergam & Francorum Reges intercederet; quippe quòd Garibaldus Bojoariæ Dux, Theudelindæ pater & Gundebergæ

(62) Vide Murator. ad ann. 641. Vide quid de simili Reginæ infortunio narrat Fredegarius sub Arioaldo Rege, supra pag. 507., & quid de hoc opinetur Muratorius ipse ad an. 632.
(63) In Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 49. nota 254. cit.

avus Walderadam Franciæ Reginam Theodebaldi Austrasiæ Regis viduam sibi copulaverat. Itaque Regni sui exordium perjurio & vitiis & insigni in Uxorem crudelitate contaminavit, qua post quinquennium in pristinum restituta, odium suum in Græcos multò justius convertit. Ea ergo omnia, a Fredegario relata, videntur incidisse in postremos Austerii Mediolanensis Episcopi & Genuæ degentis annos, ab anno scilicet DCXXXVI., quo Rotharis regnare cœpit, usque ad DCXL., qui, uti jam (64) diximus, supremus Austerii fuit; quo defuncto de Successore erat agendum.

Fortis Mediol. Episcopi electio. Obiter arguitur Paulus Diac. de perturbato Historiæ suæ ordine ac rerum inopia.

IX. Indictis Cleri & Primorum Mediolanensium comitiis, in Fortem suffragia omnium consensere. De hoc Præsule mirum est apud nostros atque exteros Scriptores silentium; hinc neque ejus nomen ad nos venisset, nisi vetustus noster *Catalogus* illud nobis servasset. Quod unice per conjecturam assequi licet; qui reliqui menses erant anni DCXL. ab Austerii morte, in comitiis, in electione, in approbatione Pontificia, in consecratione demum videntur effluxisse. Quare Fortis inauguratio (65) vel ad finem ejus anni, vel in sequentis initium est referenda. Quæ causa adeo obscurum illius Pontificatum effecerit, ex ipsius Rotharis rerum gestarum serie opus est repetere. Juvat autem hoc loco præmonere, mancam admodum Pauli Diaconi historiam mihi videri, ut alibi per transennam adnotavi, & dissolutam valde in eàdem temporum ratione. Exemplo sit, quod nuper ex Fredegario in Rotharis regni primordio supplevimus, præter illa, quæ inferius in Ariperti, Bertaridi, & Cuniberti regnis superaddemus. Quod vero ad Chronologiam spectat, video in supputatione annorum sæpius Historicum nostrum labi: ejusque imperitiæ argumentum obvium est hoc ipso in Capite, quod præ oculis habeo, & mox digeram, scilicet.

(64) Sup. pag. 512. (65) Vide infra Sect. XII. init.

Libri IV.[i] Capite XLVII.[o] inscripto: *De Civitatibus, quas Rothari cepit*. Ibi enim enumeratis urbibus a Rege captis mutuatur ex Libro *Pontificali* (66) hæc verba: *Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus est...... Post hæc fuit clades scabierum ita, ut nullus potuisset mortuum suum agnoscere* &c. Deus bone! quomodo temporibus Rotharis accommodat Paulus hæc infortunia, quæ legit in Pontificum Romanorum *Vitis* sub Summo Pontifice Deusdedit; quæque acciderunt anno DCXVIII. Indictione VI., ut in aliis emendatioribus MSs. verius legitur? Ego itaque sic mecum reputo, ejus Monachi Historiam conflatam ac veluti infartam esse aliarum Historiarum ejus ætatis laciniis & fragmentis, iis in locis, in quibus certis monumentis erat destitutus. Hinc corrasis undique Libri *Pontificalis*, Bedæ, & Græcorum scriptis suam contexuit narrationem post Agilulphi Regis tempora. Nam ab initio usque ad hujus regnum non dubito, illum maxime profecisse translatis in rem suam laboribus & scriptis *Abbatis Secundi*, qui, ut ipsemet (67) testatur, *usque ad sua tempora succinctam de Langobardorum gestis composuit historiolam*, obiitque Tridenti mense Martio, ut jam (68) observavimus, anno juxta (69) Muratorium DCXII. Hinc, quæ Agilulphum consequuta sunt tempora usque ad Cunibertum, jejunè admodum videtur tractasse; extrema vero post Cunibertum usque ad finem aliquantò uberius, quum ejus ætatis acta, quæ in ore & oculis omnium erant, aut non ignorare, aut rescire facile ex senioribus Langobardis posset. Hinc copiosius & certius de Forojuliensibus Beneventanisque Ducibus gesta interserere visus est: hæc enim cognoscere potuit, quum in eadem regione, imo in ipso Forojulii (70) majores sui domicilium fixissent; ibique

(66) Vide in Paul. Diac. nota 242. in h. l. (67) Lib. 4. Cap. 42. (68) Vide supra p. 489. & seq. (69) *Annal. d'Ital.* ad hunc ann. (70) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 39. inscript. *De Genealogia Pauli Warnefridi*. Item Murator. *Præfat.* in Paul. Diac. Hist.

diu, usque ad Monachi habitum assumptum, paterna in domo versatus esset. Gratiæ tamen agendæ huic Scriptori, qui corrasis undique quotquot habere potuit monumentis mancam quidem historiam Langobardicam, sed summopere laudabilem reliquit, qua deficiente nullum ejus gentis Historiæ corpus haberemus.

Rotharis restitutâ in pristinam dignitatem Reginâ expeditionem feliciter admodum in maritimam Liguriæ oram suscipit. Novum Legum Codicem condit ac promulgat: *Langobardiæ* nomen quando primùm invaluerit: quibus hæc nunc conscripta limitibus.

X. Suppletâ itaque Pauli per Fredegarium lacunâ, evolutisque regni Rotharis exordiis, progredi ad ea libet, quæ maxime hujus Regis gloriam amplificarunt. Composito igitur domestico, quod in uxorem Gundebergam susceperat, dissidio, & pace per Francorum legatum Aubedonem domi inita, splendidius Græcis intulit bellum, consenescentibus jamdiu Langobardorum in Romanos concertationibus post pactas & religiose servatas ab Agilulpho inducias. Bellicum excitavit suæ gentis ardorem, proposita sibi Regni amplificandi gloria, hostiumque otio marcescentium desidia & paucitate contempta. Non ignoro, quanta apud Romanos laboraret invidia Isaaccius Patricius, qui (71) Lateranensis Basilicæ thesauros in stipendia militum expilaverat. Ferebat ægerrime Rex, maritimæ Liguriæ partes patere Græcorum auxiliis, qui si illuc exscensionem facere meditarentur, ipsa facile Regni viscera fuissent invasuri. Justo igitur comparato exercitu, belli (72) in Græcos classicum cecinit * anno, ut putat Muratorius, DCXLI., Padoque trajecto, in Æmiliam iter cum copiis instituit. Quum hostes raptim collectos ab Exarcho obvios ad Scultennam fluvium (hodie *Panaro*) in Mutinensi agro habuisset; accenso prælio, quum diutius ac pertinaciter pugnatum esset, tandem inclinante in Langobardos victoria, tanta cædes peracta est hostium, ut ad octo Græcorum millia in conflictu ceciderint; reliqui vero fusi fugatique vix Ra- * An. DCXLI.

(71) Vide sup. pag. 511. (72) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 47. Fredegar. ibid. nota 238.

vennam evaſerint. Sic perculſis metu hoſtibus, & inter Ravennæ mœnia compulſis, ultra progreſſus Lunenſem Rotharis cepit urbem: felicemque ſecutus Martis impetum ſecus oram Liguriæ (73) maritimam, quicquid erat in Græcorum poteſtatem, Langobardorum Regno adjecit, a Thuſciæ finibus uſque ad Francorum terminos victor progreſſus. Ante anni ejuſdem finem, aut vere inſequente, ab Occidentali Liguriæ plaga Orientem verſus victoriæ traduxit exitum Rotharis; atque obſeſſum Opitergium in Forojulienſi agro, quod ſuperioribus interceperant annis, in deditionem accepit. Hæc omnia uno impetu narrans Langobardicus Scriptor dubitationem injicit Criticis quibuſdam de hujus veritate victoriæ ex eo, quòd ægre admodum credi poſſit in tam diſſitis regionibus tam felix armorum uno anno eventus. Verùm ſi ad diverſa tempora referre velimus, ambigi non poteſt, Paulum vera narraſſe; neque autumo (74) cum nonnullis, errorem latere in nomine *Opitergii*, quam urbem ſuis finibus circumſcribit, ſitum indicans & regionem. Hinc venia danda Hiſtorico, qui volens Civitates omnes a Rothari captas deſcribere, quemadmodum in titulo Capitis ſupra recitato ſpoponderat, univerſas ſimul complexus uno ictu effudit, licet diverſis præliis ſibi ſubjectas. Poſt externa bella, Græcoſque armis repulſos, adjectamque Regno maritimam Liguriam, moribus etiam & legibus politioribus veterum Romanorum novo Langobardico Codice (75) a ſe promulgato Rotharis bellum indixit. Viguerant hactenus in Italia univerſa Romanorum Leges; imo ex jure Romano ſub Gothis, Witige præſertim (76) Rege, judicia regebantur. Poſtquam vero Langobardi infeſta huic Provinciæ

(73) Vide ſup. pag. 304. nota (*) & pag. 443. (74) Hor. Blanc. in nota 239. ad hunc loc. Pauli Diac., Murator. ad ann. 641. (75) *Rer. Ital. Scr.* Tom. 1. Part. 2. initio. (76) Procop. Lib. 2. Cap. 6. in *Rer. It. Scr.* Tom. I. pag. 280. B.

intulerunt ſigna, exterminatis propemodum poſt Clephonis obitum ſub Triginta Ducibus Romanorum civium Familiis (77) opibuſque direptis, jus in armis eſſe cœpit, & veteres Barbarorum conſuetudines in forenſes diſceptationes invectæ fuerunt. Quare juxta illius gentis morem crimina abſolvi, & ſilere Romani Juris reſponſa paulatim cœpere; & judicia juxta nativæ ferociæ ingenium atque indolem exerceri. Hujuſmodi judiciis jamdiu aſſueti noſtri Ligures exturbari tandem ab Judicum ſubſelliis *Duodecim Tabulas*, *Juſtinianæum Codicem*, *Digeſta*, *Inſtitutiones*, & *Novellas* doluerunt ſtatim ac concinnatum * anno Regni ſui Octavo Indictione II. (quæ initium habuit a menſe Septembri anni DCXLIII.) ſuarum Legum Edictum Rex Rotharis publici Juris vim obtinere apud ſuos Subditos juſſit. Exinde mihi videor certiſſime affirmare poſſe, obliterato ſenſim *Venetiæ*, *Liguriæ*, & magnæ *Æmiliæ* partis, quibus præcipue conflabatur Langobardorum Imperium, vetuſtiſſimo nomine, quod ex antiqua Regionum Italiæ diviſione deſumpſerant, eas regiones in unum *Langobardiæ* titulum coaluiſſe (78). Etenim, quum, teſte (79) Tullio, *concilia*, *cœtuſque hominum jure ſociati*, *Civitates* appellentur; regiones eæ communibus Legum a Rothari conditarum vinculis devinctæ, quòd Jus Langobardicum profiterentur, communi etiam *Langobardiæ* vocabulo denominari cœptæ. Atque iſtâ potiſſimum de cauſâ, ut diligenter obſervavit (80) Cl. Lupus, obſoletâ tempore Rotharis Regis ſingulari omnium, in quibus ille regnavit, partium denominatione, unum *Langobardiæ* nomen poſtea uſurpatum; quod maxime etiam invaluit poſt additamenta primis Legibus a Grimoaldo, & Liutprando facta atque ſubjuncta. Hinc etiam Carolus Magnus, exciſo

* An. DCXLIII.

(77) Paul. Diac. Lib. 2. Cap. 32. (78) Vide & Marium Lupi Op. cit. *Diſſ.* 2. n. XVI. col. 128. (79) *Academ. Quæſt.* n. 34. (80) *Differt.* 2. cit. col. 126.

Langobardorum Regno, non se *Italiæ Regem* nuncupare voluit, sed (81) *Langobardorum Regem*, antequam coronaretur Augustus. Atque hoc communium legum vinculum adeo cunctas Langobardicas Civitates constantissimo fœdere sociavit, ut usque ad Sæculi XII.[i] finem passim in publicis Tabulis legantur Contrahentium nomina, profitentium *se lege vivere Langobardorum*, exceptis tantummodo Clericis, qui se *lege vivere Romanâ*, & nonnullis Francis, qui hic domicilio collocato *lege se vivere Salicâ* profitentur. Exacto denique XII.[o] Sæculo retentum utique est idem *Langobardiæ* nomen, sed contractioribus finibus, & vocabulo *Lombardiæ*. Quod nominis in nostris regionibus nunc etiam viget, istis licet divisis, excepta tamen *Venetiâ*; quum *Liguriæ* nomen hodie retentum ad solam maritimæ *Liguriæ* veteris partem pertineat, quæ Genuensis Provinciæ finibus comprehenditur.

Ex hac Rotharis expeditione Mediolanensis Episcopi Fortis, Cleri, ac Civium Genuæ degentium desperatio & fuga.

XI. Denuntiatum Græcis hoc a Rothari bellum periculosam admodum & timoris plenam effecit Forti Mediolanensi Episcopo nostro Genuensem stationem. Vix inauguratus quo animo circumspectare potuit septam undique armis militumque castris maritimam oram, in qua tutissime Prædecessores sui per annos amplius LXX. a Langobardorum injuriis & armis remoti conquieverant? In tam repentina incursione nullum erat in promptu consilium. Si Mediolanum redire paratus erat, absterrebat a reditu Sedes sua Arianis & Schismaticis abundans ac omni ex parte obsessa. Timebat insuper Græcorum offensionem, quorum injuriis atque avaritiæ expositum erat integrum Ecclesiæ suæ patrimonium in Sicilia, nisi præsens illud tueretur. Unum videbatur in tam gravi calamitate patere perfugium in fuga, quæ hactenus asylum Episcopis nostris apeuerat.

(81) Vide Murat. *Antiq. Med. Ævi*. Tom. 6. in Ind. Diplom. ad ann. 781. &c.

ruerat. Percusso igitur ex tot malis Pastore, conjicere licet, dispersas etiam fuisse oves & Clerum infelici eo triennio, quo Fortis sedit. Miserrima porro in fatali illa oræ Liguſticæ direptione erat Mediolanensium civium illic exulantium conditio. Morari illic & fugere æque periculosum videbatur. Quo scilicet se converterent? Tutum non erat in patriam reverti; ibi enim in eosdem hostium enses incurrissent, quos declinabant. Præterea neque patriam sibi inventuri erant: avi nimirum parentesque in prima hostium irruptione LXX. ante annis aut jugulati fuerant, aut proditione barbarorum, Romanos delere funditus studentium, tam belli, quam pacis tempore ceciderant: eorum fortunæ atque opes hostili odio direptæ, prædia eversa ac barbaris addicta fuerant. Genuam verò Nobilium pars melior & Cleri flos, Alboini furorem ut eluderet, tanquam in asylum confugerat. Neque enim alia species belli in Genuensi ditione videbatur, quàm tunc Mediolani fuerat: Hostes autem iidem, quos tum fugerant; imo victoria recenti ferociores. Nam, teste (82) Fredegario, *Chrotharius* (idest Rotharis) *cum exercitu* * *Genavam maritimam, Albinganum, Varicottim* &c. *de Imperio auferens, vastat, rumpit, incendio concremans populum diripit, spoliat, & captivitate condemnat. Murosque earum usque ad fundamentum destruens*, vicos *has civitates nominare præcepit*. Qua de re Cl. Marius Lupus (83) jure ac merito suspicatus fuit, imo verissime dixit, ejus belli occasione *in his regionibus, in quibus diutius Romani seu Itali incolumes subſtiterant, eorum magna ex parte defecisse, illustriores præsertim divitesque familias*. Clade igitur multò atrociori affecti Mediolanenses Genuæ

* sic

(82) Apud Bouquet Tom. 2. cit. pag. 440. n. LXXI. It. in Notis ad Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 47. nota 238. (83) *Cod. Diplom. Dissert.* 3. col. 212.

fuere, quàm Mediolani, quum patria expugnaretur. Quidquid enim eorum fuga reservaverat, repentina Rotharis irruptio abstulit atque corrasit. Omnes itaque illic degentes partim ferro, partim fame absumpti: quos verò fortuna servavit, ii aut vagi, exules, omnibus vitæ subsidiis spoliati in alias Romanorum regiones dilabebantur; aut captivi, vel Rotharis partes sequuti, in patriam mœstissimi rediere.

Hinc obscura admodum Fortis Episc. administrationis acta. De eadem conjecturæ. De miserrimo Ligusticæ Ecclef. statu, regnante Rothari. Num etiam Mediolani sederet Arianus Episc. ab Rothari intrusus.

XII. Sed ut ad (84) Fortem redeamus, tam miseranda calamitas Pontificatum Episcopi nostri sub ipsum initium fœdavit, cujus etiam progressionem, imo & finem, Scriptores nostri æterno silentio damnarunt. Nihil enim aliud de hoc Episcopo noster *Catalogus* commemorat, nisi brevissimam hanc epigraphem: *Fortis eps sed. an. III.* Fas erit ergo in tanta rerum caligine conjicere, pulsum armorum vi Episcopum nostrum exilium Ambrosianæ Sedi præoptasse, atque aliis oris extorrem aut Romæ apud Pontificem Joannem IV., vel Theodorum successorem quæsiisse perfugium, aut Româ deinde dilapsum in Sicilia collocasse domicilium; ubi ab armorum strepitu remotus cum superstite Clero in Mediolanensis Ecclesiæ patrimonii custodia perstiterit, Romanorum patrocinio fretus atque securus. Interim victor Mediolanum regressus Rotharis quum Arianam, quam profitebatur, Sectam in Catholicos armasset, regioque favore prosequeretur, veterem in Ambrosii Sede Auxentii tragœdiam renovabat; quippe qui catholicis pene omnibus Ecclesiis Arianos Episcopos superinducere Rex ille semper studeret, ut supra ex Paulo (85) innuimus. Quam quidem Pauli narrationem etsi ad Mediolanensem saltem Ecclesiam vellem non pertinere, quum ipsemet unicum tantum Ticinensis exemplum afferat, & nihil de vicina & Metropolitica Mediolanensi loquatur; neque *Catalogus* noster, præter Schi-

(84) Vide sup. pag. 515. (85) pag. 512.

ſmaticum ſuperiori ætate *Frontonem*, ullum per hæc tempora recenſeat Pſeudoepiſcopum; attamen fortaſſe alicui dabitur dubitandi locus, num Rotharis, Mediolanenſi Metropolita e Regni ſui finibus ejecto, neque repugnare audentibus civibus noſtris ſub jugo conſtitutis, in Ambroſiana etiam Sede novum Auxentium, aut Mercurinum ſuperbe collocaverit; ingemiſcentibus interim tacitè omnibus bonis, & ea Cleri parte, quæ ſemper in noſtra Eccleſia ſubſtiterat, imo floruerat, Agilulpho & Theudelinda Regni habenas moderantibus. Etenim ſi in Sede Bergomenſi hoc ipſum tentare præſumpſit Arianus Rex, ut ſuſpicatur (86) Marius Lupus, & in ipſius Regiæ Ticinenſis urbis (87) Euſebiana Baſilica *Anaſtaſium* Arianum *Magno* Catholico in Sancti Syri Cathedra ſedenti oppoſuerat; quantò facilius id ſceleris Mediolani perpetraſſe credendum eſt, qua in urbe diſperſus omnis grex fruſtra obteſtari abſentem Paſtorem ſuum atque ſperare Illius auxilium poterat, neque hiſcere contra Regis imperium audebat? Teterrimo hoc jugo complures annos oppreſſam fuiſſe Eccleſiam Mediolanenſem reor, non eo dumtaxat triennio, quo Fortis ſedit, ſeu potius exul & profugus erravit; verùm etiam aliquantò poſt uſque ad Joannis Boni conſecrationem, anno (88) ſcilicet DCXLIX. poſt Concilium Lateranenſe ſub Sancto Martino Pontifice celebratum. Quo temporis intervallo non ſine ratione autumo, Arianos, Regiâ fultos tutelâ, liberius in hac Urbe bacchatos fuiſſe. Vidua enim quum eſſet vero Paſtore Sedes noſtra; ſine patrimonio, quod in Græcorum poteſtate erat; ſine parte Cleri nobiliore, quæ diu Genuæ verſata, & armis Langobardorum pulſa e ſuis ſedibus ad extremas regiones migraverat; occiſiſque Nobilibus & honoratis Viris, qui ea ætate de more ele-

(86) In *Predromo Cod. Diplom.* cit. Cap. XI. n. III. col. 203. & 204. (87) Vide ſup. pag. 512. cit. & infra Cap. VI. Sect. II. & XVII. (88) Vide infra Sect. XIV.

ctioni Antistitum assentiebantur; nullis novis comitiis faciendis pro Successore eligendo relictus locus videbatur: minor demum Cleri pars, quæ semper Mediolani substiterat, inops consilii, & patrimonii expers, novam Antistitis dignitatem contra Arianorum potentiam tueri non poterat. Fateor cum Muratorio, Pagio, aliisque optimæ notæ Scriptoribus, nullam fortasse Catholicis a Rothari Ariano fuisse illatam vim, neque regia auctoritate prohibitos, ne Successorem Fortis eligerent Mediolanenses. Verum temporis calamitas id postulabat, ut a Successore eligendo Mediolanenses abstinerent. Neque ipsorum petitioni sperare poterant Rotharis favorem, qui Episcopos Arianos suis in Civitatibus jam substituerat. Imo etiamsi Regis favor eorum electioni suffragatus esset, vereri poterant, ne non Rom. Pontificis facile impetrari posset approbatio, dirempto bellorum causâ inter Langobardorum & Græcorum ditionem commercio.

Fortis Episc. obitus, cujus sepulcrum ignoratur. Statuendus probabiliter plusquam decennii hiatus in Pontiff. Mediolan. chronotaxi; interpontificium scil. sex circiter ann. inter Fortem & Jo. Bonum, & circiter quinque inter Mauricillum & Ampellium.

XIII. Itaque antequam Joannis cognomento *Boni*, qui Forti juxta *Catalogum* antiquum successit, Pontificatus initia statuam, æquum censeo præmonere Lectores, plusquam decennii hiatum (89) patere in nostrorum Antistitum historia inter Fortem & Ampellium. Scilicet, quum Genuâ exactus Fortis, in maritimas Liguriæ oras irrumpente Rothari, triennii tantum spatio ex omnium consensu in Ambrosii Cathedra sederit, Illius mors referri ad annum DCXLIII. ad summum potest. Quumque post Mauricilli obitum suffectus in Sedem Ampellius fuerit anno circiter DCLXVIII., ut omnes Chronologi conveniunt, sive certe post mensem Quinctilem superioris anni, ut suo loco (90) videbimus; hinc aperte constat, inter Fortis electionem, quæ accidit anno DCXL., & electionem Ampellii, XXVIII. circiter annos effluxisse. Perantiquus autem noster *Catalogus*, dum annos eorum Pontificum, qui intermedii sede-

(89) Vide infra Cap. VI. Sect. VII. (90) Infra Cap. VI. Sect. XVII.

runt, enumerat, Ambrosianam Sedem impletam esse testatur annos solummodo XV., & menses IV. Scilicet post Asterium *Fortis sedit annos III.*, *Joannes sedit annos X.*, *Antonius* (seu Antoninus) *annos II.*; *Mauricillus menses IV*. Papebrochius in sua *Exegesi*, atque ejus pedisequi alii, quum in eo solum laborarent, ut non intermissam Episcoporum seriem exhiberent; aliquantò liberius turbavere, mea quidem sententia, horum annos Pontificum. Quumque manifeste viderent, impleri vacuos, qui apparebant, annos non posse neglectâ profanæ historiæ luce, quæ sola tenebras istas dissipare poterat; nullum suspicioni justæ locum dedere, ut vacationem aliquam Mediolanensis Sedis interpositam hoc tempore fuisse aperte faterentur. Quare, ut turbatæ chronologiæ se laqueis expedirent, marte suo *decem annos* Pontificatui Mauricilli addiderunt, ut hoc pacto vacuum temporis hiatum implerent. Non negaverim, justam iniri aliquando posse hujusmodi rationem emendandi in *Catalogo* annorum numeri, ubi veterum monumentorum inter se comparatio a nobis id jure suo exigere videretur. Hac plane de causa nos ipsi aliquoties hujusmodi emendatione usi, Eusebii Pontificatum contraximus (91) ad brevius spatium, ut locum S. Benigno daremus in Romano Concilio, prout nobis testabatur Ennodius. Ex hujus pariter auctoritate, Theodori tempora (92) definivimus, uti etiam Constantii Sedem (93) arctioribus terminis circumscripsimus ex testimonio *Epistolarum* S. Gregorii. Pari ratione, quum in nostro *Catalogo* scripti coæva manu S. Honorati anni (94) non legerentur, fas mihi fuit ejus Pontificatum usque ad inaugurationem Laurentii (95) perducere. Quæ autem me ratio adducat ad protrahendam S. Mauricilli Sedem, prorsus non video; nullam porro

(91) Vide sup. pag. 109. 110. 119. 120. (92) Vide sup. pag. 142. & seq. (93) Vide sup. pag. 432. (94) Vide sup. pag. 349. 377. 381. (95) Vide sup. pag. 384.

videre poterat neque Papebrochius, qui omnia de hujus Præsulis actis ignorare se fatetur, & monumenta dumtaxat corrasit de Ejus sepulcro, quod nonnisi ducentos & amplius post annos ab Ansperto Antistite nostro detectum fuit, ut suo loco (96) observabimus. Video igitur in tanta rerum obscuritate non aliâ incedendum viâ, nisi aliquam Sedis nostræ vacationem hisce temporibus interserendo, quam & temporum istorum calamitas necessariam suadet: atque unico verbo emendato videbimus recto ordine statutam chronotaxim procedere atque constare. Statuo igitur, disperso belli causâ potiore Mediolanensi Clero, qui Genuæ sederat, & Forte in exilio post triennium ignobiliter extincto, adeo ut etiam mortis locus ignoraretur, & etiamnum ignoretur, diu non ausam exiguam Cleri partem Mediolani semper residentem comitia pro Successore eligendo indicere, ne vitio electus novus Antistes crederetur. Adde insuper Arianorum tum invalescentium in ea Aula furorem & prævalentium factionem, ne sibi Catholicus Præsul opponeretur. Clero igitur Pastorem eligere formidante, Arianis fortasse id etiam prohibentibus, vacuam relinqui Sedem necesse erat sub Rege præsertim Ariano, qui vitiosam electionem facile reprehendisset; rite factam, veluti se inconsulto factam, improbasset.

Joannes cognomento *Bonus*, pacatis Langobardorum rebus, Forti substituitur. Vix inauguratus Concilio Lateranensi subscribit.
* An. DCXLIX.

XIV. * Tandem post sex circiter annos aut aucto Clero, aut exulum parte in patriam reduce, videntur rite indicta comitia, atque Electorum suffragia in unum Joannem cognomento *Bonum*, qui ex illo Clero jamdiu probitate morum & virtute eminebat, facile consensisse. Sententiæ huic meæ non leve robur ac firmamentum adjungit primùm injecta hujus Episcopi mentio post Concilium Lateranense celebratum sub Martino Pontifice ad annum DCXLIX., in quo post recensitas singulorum Episcoporum sub-

(96) Infra Cap. VI. Sect. VII. cit.

ſcriptiones, qui ei interfuerant, hæc verba (97) ſuperadduntur: *Et qui poſt Synodum conſentientes ſubſcripſerunt*: Joannes *Epiſcopus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ omnibus ſynodaliter definitis a ſanctiſſimis Vobis in confirmationem orthodoxæ Fidei SS. Patrum, & univerſalium Quinque Conciliorum* &c. *conſentiens ſubſcripſi*. *Juſtinus Epiſcopus ſanctæ* (ſic) *Caralitanæ Eccleſiæ Inſulæ Sardiniæ, ut ſupra*. *Malliodorus Epiſcopus ſanctæ* (ſic) *Dortonenſis Eccleſiæ, ut ſupra*. Hinc veriſimillimum eſt, Joannem noſtrum unà cum *Juſtino Caralitanæ*, ſeu Calaritanæ in Sardinia Inſula Eccleſiæ Epiſcopo (qui & ipſe recens *Adeodato* (*) ſucceſſiſſe ac conſecratus fuiſſe dicendus eſt) & unà cum *Malliodoro* Derthonenſi, Prowi ſeu Proculi (98) Succeſſore, Conſecrationis cauſâ poſt peractum Concilium Romam profectum eſſe; & poſt Conſecrationem rogatum a Martino, ut Synodo recenter celebratæ ſubſcriberet, lubentem revera cum memoratis Calaritano & Derthonenſi ſubſcripſiſſe, eâ plane ratione, qua Sæculo ſuperiore *Cautionem* dare, de qua (99) egimus, conſecrandi Antiſtites jubebantur. Quare in Decembrem anni ipſius DCXLIX. Joannis noſtri Conſecratio videtur rejicienda. Quo poſito poſt vacuam ſex & amplius fortaſſe annos Sedem facta eſt Illius inauguratio. Ægre itaque cum Baronio (100) crederem, Mediolanenſem Epiſcopum ab eo Concilio abſuiſſe, quòd Rotharis Arianus tunc Italiam infeſtaret, & tranſitus ubique difficilis eſſet. Neque enim tàm *Joannes* noſter, quàm *Malliodorus* Derthonenſis Romanum iter ſuſcipere a Rothari vetiti fuerunt, ut Concilio jam abſoluto

(97) Apud Labbé *Concil.* Tom. 6. col. 367.

(*) Hic *Adeodatus*, ſeu *Deuſdedit* poſtremæ Concilii ipſius Lateranenſis Actioni ſubſcripſerat, ut ap. Labbé Tom. VI. col. 362. & *Epiſtolæ* Martini Rom. Pontificis ad Conſtantem Aug. miſſæ una cum Actis ejuſdem Concilii, ut ap. eund. Labbé Tom. cit. col. 8. Ergo hic nuperrime deceſſiſſe ante *Juſtini* Succeſſoris ſubſcriptionem dicendus eſt.

(98) *Penus*, ſeu *Pinus*, ſeu *Proculus* apud Ughell. *It. Sacr.* Tom. 4. col. 627. n. XX. *Prowm* hunc vocat Jonas in *Vita S. Bertulfi* ap. Mabill. Op. cit. Tom. 2. p. 161. §. 4.

(99) Vide ſup. p. 535. & 385.

(100) Ad ann. 649. n. VIII.

ſubſcriberent; eodem prorſus pacto, quo neque Arioaldus *barbarus & Arianæ ſectæ credulus* negaverat Bertulfo Abbati Bobienſi Romam adire pro redimenda lite de bonis ſibi ab Epiſcopo Derthonenſi Prowino ademptis; imo controverſiam definiri ab Honorio Romano Pontifice juſſerat, ut in *Bertulfi Vita* (101) legitur. Multò minus arridet Pagii ſententia (102) hanc Baronii conjecturam reſpuentis eò, quòd falſò crediderit, Rotharim jam triennio ante deceſſiſſe. Hiſce igitur conſtitutis, ita conjecturam noſtram perſtringimus: ſi ante Concilium jam fuiſſet conſecratus Joannes, eccur, libero tunc patente Romam aditu, illuc evocari & præſens adeſſe Concilio, & ſuo ordine cum ceteris Patribus ſubſcribere non debuiſſet? Ergo ratio Joannis abſentiæ ab ea Synodo unice ex hoc petenda eſt, quòd nondum fuerat conſecratus.

De nativo Joannis ſolo. Optima, licet ſub Ariano Rege, Pontificatus initia, Gundeberga Catholicis favente. Rotharis moritur: in S. Jo. B. Baſilicâ tumulatur. Miraculum de ejus ſepulcro. Rodoaldus item Arianus Patri ſuccedit; ſed brevi ex hac vita decedit. Pauli textus de Gundebergæ cum Rodoaldo nuptiis, item de hujus regni ætate ab Amanuenſibus corruptus emendatur. Aripertus I. Rodoaldo ſubſtituitur.

XV. Erat Joannes naturâ ad virtutes Paſtorales factus & efformatus, ſuavitate morum incredibili, ut meritò *Bonus* & diceretur, & haberetur. Natione Genuenſis (103) patriam habuit *Camullum*, XV. Genuâ paſſuum millibus in Orientali plaga diſſitum Oppidum. Exinde Mediolanum adoleſcens a Parentibus ductus, in hujus Urbis Clerum eſt cooptatus, ubi *vocatus in ſortem Domini*, ætate proficiens & gratia, Catholicorum turbulentis iis temporibus ita in ſe animos virtute converterat, ut quem jamdiu optimum eſſe intelligerent, Pontificem etiam ſibi unanimi conſenſu depoſcerent. Conſecratus Antiſtes ſub finem anni, ut diximus, DCXLIX. poſt finem Lateranenſis Concilii a Martino Rom. Pontifice celebrati, rata ſtatim habuit ſuaque ſubſcriptione ejus Synodi in Monothelitas Decreta confirmavit. Mediolanum reverſus adminiſtratione ſuæ

(101) Apud Mabill. l. nuper cit. (102) In Notis ad eund., n. IV. (103) Vide infra Cap. VI. Sect. VI. *Hymnum S. Joannis Boni*, in quo ejus origo & res geſtæ recenſentur.

ſuæ Eccleſiæ ſuſcepta velut alter Ambroſius Arianorum conflictationem invicto animo ſuſtinuit, & humilitate animi ſuperavit, ac vicit patientia, commiſſum ſibi gregem ſollicite erudiens, Arianis non moleſtus, Catholicis præcavens, *necceſſitate* & *propter conſcientiam* Rothari *ſubditus*. Hinc quemadmodum apud Regem gratiâ palam florebant Ariani; ſic Joannem privatâ apud Gundebergam Reginam floruiſſe arbitror, quæ ſuum Catholicis impertiebat favorem, ſuamque religionem publice teſtabatur erectâ in Ticinenſi urbe, & S. Jo. Baptiſtæ dedicatâ (104) ſplendidâ ac nobili Baſilicâ, qua in re imitata eſt eximiæ Parentis ſuæ Theudelindæ pietatem. Diſpertitus in adverſa Religionis ſtudia Regis Reginæque favor hoc pacto Subditorum obedientiam in populo metiebatur atque librabat, ut neque Ariani impotenter Catholicis, neque Catholici impudenter adverſari Arianis auderent. Sic Ambroſianæ Navis ſapiens Gubernator Joannes, quandiu Rex vixit, ſibi ipſi frænum veluti injicere coactus, primo Pontificatus triennio ſic ſe ipſum vincere ac Mediolanenſem gregem regere eſt viſus, ut neque Gundebergæ favore abuteretur, neque Rotharis animum offenderet. Quum itaque animo ſemper anxius, ſed nunquam fracto, ſollicitus Paſtor in Ovilis ſui ſalutem evigilaret, Dei providentia factum puto, ut Rotharis * anno DCLII. vitæ & regno finem (105) imponeret, * An. DCLII. atque (106) in Modoetienſi, vel Ticinenſi S. Joannis Baptiſtæ Baſilica tumulum haberet. Quod quidem quis Catholicus pati poſſit, Arianum Regem in ea Baſilica ſepulcrum habuiſſe, niſi illius loci & Templi poſſeſſionem fuiſſe vivente Rege Arianis traditam

(104) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 49. (105) Murator. ad hunc ann., nec temere, ut Pauli Chronologia ſervetur, qui eidem, Cap. 48., *annos ſedecim & menſes quatuor* attribuit.
(106) Vide infra nota (*) pag. 530.

ejusdemque amplos census favore Rotharis ab Hæreticis occupatos intelligamus? Pollutâ igitur per Ariani Regis sepulturam illâ Basilicâ, quis fidem habeat eidem Historico (107) incredibilem nobis fabellam propinanti? Nimirum, furem quemdam noctu quum violare Regis tumulum tentasset, aususque esset regalia sepulti ornamenta diripere, vidisse sibi minabundum S. Præcursorem, & audisse dicentem: *Cur ausus es Corpus istius hominis contingere? Fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, nunquam in meam Basilicam deinceps ingressum habebis. Quod ita quoque factum est. Quoties enim cunque voluisset beati Joannis Oraculum ingredi, statim velut a validissimo pugili guttur ejus feriretur, sic subito retro ruebat impulsus.* Jurat quidem Paulus, sibi hoc relatum a quodam, qui suis oculis viderat; sed hæc vera esse quis credat, nisi ipsemet Historicus, qui sæpius miranda temere consectatus, avide prodigium hoc arripuit, & litteris consignavit? Porro apud nos tanta non est Pauli auctoritas, ut a S. Joanne credi possit Ariani hominis Orco devoti patrocinium susceptum. Concinnatam potius ab Arianis, Basilicam illam tunc occupantibus, hanc fabulam crediderim, ut vulgo sectam suam sub cælesti Superûm tutela defendi (*) venditarent. Defuncto Rothari successit hæres filius Rodoaldus, quem ex repudiata (108) Gundebergæ jussu priore Conjuge, sive, ut alii (109) opinantur, Amasiâ, susceperat. Ariana hic etiam labe infectus sollicitudinem

---

(107) Lib. 4. Cap. 48. cit. (*) Hæc narrat Muratorius ad ann. 652., secutus, credo, auctoritatem antiquiorum Scriptorum Modoetiensium; Bonincontri scilicet (*Rer. It. Scr.* Tom. 12. col. 1073.) & Archipresb. Balthass. Fidelis (*De Prærogativa B. Jo. Bapt.* Cap. ult.) qui Modoetiæ tumulatum Rotharim asserunt. Veruntamen P. Romuald. in sua *Flavia Papia Sacra* Part. 1. p. 26. col. 1. contendit, Rotharim in Ticinensi S. Jo. B. Basilica humatum fuisse. Mea hominis pacifici nihil interest, Ticinine, an Modoetiæ Rotharis membra computruerint. Si vetustiorum auctoritas Romualdi testimonio non prævalet, tum Rotharim, tum Miraculum a Paulo narratum Ticinenses sibi habeant per me licet. (108) Vide Fredegar. *Chron.* sup. recit. pag. 513. (109) Vide Frisium *Differt.* 2. cit. Cap. XI. pag. 58.

iterum Paſtoralem S. Joannis Epiſcopi noſtri exercuit, ſummo ſtudio ne gregi ſuo lues illa afflaretur adnitentis. Incredibilia porro credulis venditare hoc loco Paulus videtur. Legitur nimirum (110) in ejus Hiſtoria, Gundebergam ſe conjunxiſſe cum Rodoaldo, nulla facta mentione de nuptiis antea initis cum Rothari (111) hujus Patre, & cum Arioaldo (112) deceſſore. Porro hoc omnes barbari horreſcere conſuevere; quis enim unquam audivit ſub Italico cælo Catholicam novercam privigno Ariano nupſiſſe? Item narrare ibidem proſequitur, hanc Reginam apud Rodoaldum conjugem adulterii criminis fuiſſe inſimulatam, &, Carello quodam vindice, monomachiæ ope expurgatam: quibus pene ſimilia teſtatur Fredegarius (113) accidiſſe ſub Arioaldo primo ejus conjuge. Sed hoc omnes credant velim non Hiſtorici noſtri, ſed potius Amanuenſium vitio factum, qui Capitum, Titulorum, ac rerum ordinem inverterunt, ut cuique legenti (*) facile patebit. Par etiam vitium irrepſiſſe Scriptorum inſcitiâ in ejus Hiſtoriam crediderim, ubi Rodoaldi Regni anni deſcribuntur. Non enim *dierum ſeptem & annorum quinque* ſpatio, ut in Paulo (114) legimus, ſed verius *dierum ſeptem & menſium quinque* dumtaxat, ut interpretatus eſt (115) Cl.

---

(110) Lib. 4. Cap. 49. (111) Vide ſup. p. 513. cit. (112) Vide ſup. p. 506. (113) Vide ſup. pag. 507. (*) Siquidem initium Capitis XLVIII. deſumendum eſt ex Capite præced. ad ea verba: *Apud Beneventum* &c. uſq. ad finem, cui præfigendus titulus Capitis in Edit. XLVIII. *De morte Rodoaldi Ducis* &c. Sicque Caput XLIX. incipiat: *At vero Rothari* &c., cum titulo: *De morte Rothari* &c. Denique, quæ leguntur initio Capitis ſubſequentis: *Rodoaldus igitur* &c. uſq. ad *ſuſcipiens*, omnino e Pauli textu expungenda videntur, præſertim cum ea verba, uſque ad *ſociavit*, deſiderentur etiam in Cod. Ambroſ. noſtro (C. 72. Part. Inf.) Quod vero ad ea, quæ ſubſequuntur poſt *ſuſcipiens*. ſcilicet: *Gundibergam* &c. puto, ab Amanuenſibus lacinias huc illuc fortaſſe diſperſas colligentibus hoc loco perperam collocata fuiſſe, & reſtituenda eſſe Capiti XLIV. poſt *ſuſcepit*. Sane hoc pacto rerum ordo conſtabit; & etiam Paulum ipſum auctorem habebimus Gundebergæ nuptiarum cum Rothari Langobardorum Rege. (114) Lib. 4. Cap. 50. *Interfectus eſt poſtquam ſeptem diebus & quinque regnaverat annis*. (115) In Notis ad Sigon. *De Regno Ital*. Lib. 2. nota (100) Opp. Tom. 2. col. 113.

Saxius, Rodoaldi Regnum, & Arionorum ferocia definitur; ut ex antiquo *Chronico* probavit etiam (116) Muratorius, ab se primum (117) evulgato, ubi legitur, *sex menses*, scilicet incompletos, regnasse Rodoaldum. Quo pacto hujus Regis obitu * ad annum DCLIII. constituto, subsequentium etiam Regum chronotaxis verius & firmius stabilitur. Sic breve vitæ spatium ampliorem tutioremque campum Pastorali Joannis sollicitudini aperuit, evocato ad Regnum Successore Ariperto I. pio atque Catholico, uti mox evolvemus.

* An. DCLIII.

CAPUT SEXTUM.

De veterum Rhythmis, seu *Historiolis*. De *Rhythmo* ex geminis Biblioth. Ambros. Codd. nunc primùm edendo, in laudem *Ariperti*, *Bertaridi*, & *Cuniberti*, Langobard. Regum. Quisnam fuerit ejus auctor; cujus ætatis.

De veterum Rhythmis peregregie in *Dissertationibus* suis (1) de more egit jamdiu Italicæ Medii Ævi Historiæ lumen Cl. Muratorius. Nihil hac in parte nobis reliquit observandum, nisi eas Scriptiunculas a Veteribus *metricas* (2) fuisse habitas, licet nullis metricæ antiquæ artis legibus essent obstrictæ, præter identidem similiter cadentes litteras, & ultimam præsertim periodorum partem, quas Poetæ illi *Strophas* putabant, aut versus dictiones. Ea autem dictio similiter cadens, quæ est postrema, optimum illis videbatur metri sonum efficere, si præcipiti dactylo, tribracho, aut etiam anapæsto concluderetur. Quæ quidem pedum metricorum servata in Rhythmis Langobardicis ratio censenda est non ex Latinæ, quam ignorabant, sed nativæ Cimbricæ pronunciationis, quam retinebant, usu efformata, quum alicubi syllabas illi corriperent, quas Latini producebant. Andreas Presbyter Italus in *Chronico* a Muratorio (3)

(116) *Annal.* ad annum 653. (117) *Breve Chronicon Regum Langob. & Augg.* cit. insert. in *Antiq. Med. Ævi* Tom. 4. col. 943., ubi sic legitur: *Rodoaldo regnavit menses sex.*

(1) *Antiq. Med. Ævi*, *Diss.* 40. Tom. 3. col. 661. Vide sis Scip. Maff. *Differt. Ital. de Versib. Rhythmicis*. Edit. 1727. (2) Vide infra p. 536. (3) *Antiq.* cit. Tom. 1. col. 42. C. D.

edito (*) hosce Rhythmos clarius *Historiolas* semel atque iterum vocat scribens: *Multas quidem ejus* (Grimoaldi) *historiolas continet Chronica*: item de Cuniberto: *Multas quidem ejus historiolas scriptas invenimus*. Arbitror enim, infelicissimos Ligures per ea tempora Poetas egregia Regum Langobardorum facta *Rhythmis*, seu *Historiolis* hujusmodi identidem celebrasse, prout res ferebat. Quem morem video perdurasse etiam subsequenti ætate usque ad VIII.[um] ac IX.[um] Sæculum; ad quæ tempora referri a Scriptoribus video Rhythmos (4) *De Mediolani* atque *Veronæ* laudibus. Quæ item laudationum ratio viguisse multò antiquius videtur etiam apud *toto divisos Orbe Britannos* & Caledonios, ut Cl. Cæsarottus observavit (5) in *Ossiani* Poematis.

(*) *Andream Presbyterum* concivem suum fuisse, & ex majori suæ Ecclesiæ Clero probare ingeniosissime nititur in suo *Cod. Diplom. Civit. & Eccl. Bergom.* Cl. Marius Lupus ex iis, quæ habet col. 851. Fateor verisimillimam Cl. Auctoris conjecturam, non tamen undique certam. Si enim æque probare potuisset, nullum alium aut Mediolani, aut Cremonæ *Presbyterum Andream* ea ætate exstitisse, profecto rem factam haberet. Poterat tamen alter *Presbyter Andreas* Mediolano ab Ansperto in fines Brixianos mitti, qui testis oculatus Ludovici II. Imp. mortales exuvias rite traditas Adduam usque transportaret. Præsertim quum ejusdem Ansperti Epitaphium (Apud Giul. Tom. 1. pag. 423. & Sax. Tom. 2. pag. 309.) hodienum exstans marmore insculptum, conscriptum fuerit ab *Andrea* quodam *Levita*, quæ vox promiscue accipi potest tam pro *Diacono*, quam pro *Presbytero*:

Præsulis Andreas *præfati captus amore*
Hoc Levita *sibi condecoravit opus.*

Poterat quidem *Andreas* aliquis mitti a Cremonensi Episc., cui item mandata erat ab Archiep. Augusti Corporis translatio; quum Cremon. Diœceseos fines Adduam usque pertingant. Hisce forte difficultatibus permotus Cl. Murator. ab ejus patria designanda abstinuit atque *Italum* dumtaxat appellavit. Ego sane demiror, si reapse *Andreas* ille Bergomas fuit, quomodo narrans (col. 50. initio) locustarum calamitatem in Langobardiam ingruentem anno, ut ipse Lupus (col. 858. sub fin.) conjecit, 873., tam enucleate describat locustarum iter a Vicentinis Brixianisque partibus in Cremonensem agrum *advenientium*, ac deinde per Laudensem sive Mediolanensem progredientium. Etenim aut ignorabat, quid Bergomi accidisset, quod Civis Bergomensis ignorare non poterat; vel sciebat, illic locustas non fuisse, & patriæ suæ felicitati saltem adscripsisset tantum miraculum. Facilius itaque est ex ea descriptione suspicari, num Cremonensis fuerit ille Scriptor. Verbo enim *advenerunt* videtur intento digito designare locum, ubi ipse degebat; quum vidisset, unde *locustæ* processissent, & ubi demum substitissent.

(4) *Rhythmum de Laudib. Mediol.* recitabimus infra in *Coroll.* hujus Operis, Cap. XI. Sect. ult. (5) In Præfat. ad suam versionem e Celtica in Italicam poesim, Edit. Patavii apud Cominum, anno 1763.

Atque utinam Paulus Warnefridi, qui tantùm desudavit in delibandis carptim hinc inde Historicorum fragmentis, & aucupandis ex trivio, aut seniorum testimoniis, tot anilibus fabulis, quibus suam respersit Historiam, utilius in hisce colligendis, quæ tunc exstabant, monumentis operam suam collocasset. Hac enim ratione nec doleremus tot deperditas Langobardicæ Historiæ pretiosas lacinias, & justum haberemus rerum a Langobardis gestarum Volumen. Unam ex hisce *Historiolis*, *Rhythmi* barbarici more compositam, forte fortuna nactus sum ego, dum antiquiores mss. Ambrosianæ Bibliothecæ Codices sedulò evolverem. Miratus sum, quòd illa immortalis Muratorii subterfugerit diligentiam, qui quum in Doctorum Collegii Ambrosiani numerum cooptatus esset antequam Mutinam evocaretur, singula solerter odoratus nostrorum Codicum fragmenta, & accuratissime scrutatus, postmodum aut in *Scriptorum Italiæ* Collectionem, aut in *Antiquitates Medii Ævi* intulit, & in rem suam traduxit: præsertim quum hanc gemino in Codice venerandæ antiquitatis conscriptam *Langobardico*, seu *Romano cursivo charactere* habeamus. Sive difficilis ejus lectio ad multa alia properantem absterruerit, sive titulus Codicum ad diversa admodum pertinens tantum Virum fefellerit; mihi tandem oculatissimum eum Scriptorem hanc laudem reservasse gratulor & gaudeo. Inter plures Codices, quos ex Bobiensi Monasterio a S. Benedicti Patribus pretio impetravit Ambrosianæ Bibliothecæ Parens & Conditor semper cum laude & honore nominandus FEDERICUS Cardinalis Borromèus, gemina inde huc intulit membranacea Volumina, quorum unum (6) *Acta Concilii Chalcedonensis* continet, alterum (7) verò quinque *De Excidio Hierosolymitano* Libros complectitur. Hoc postremum charactere *unciali Romano* aliquâ ex parte vetu-

(6) Signat. E. 147. Part. sup. (7) Signat. C. 105. Part. Inf.

ſtiori ævo conſcriptum; deinde poſteriori tempore *Langobardicis* litteris, in qua deficiebat parte, ſuppletum. Duo in hoc Codice occurrunt ſingularia: primum quidem, quod in fine Libri Primi aſſeritur, ſcilicet: *Ambroſius Epiſcopus de Greco tranſtulit in Latinum*. Alterum vero, quòd in parte *Romano* charactere ſcriptâ præfertur in fronte *Joſeppi* & alicubi *Joſippi* nomen; quæ verò ſuppleta charactere *Langobardico* fuit, habet *Egeſippi*. In utroque horum Codicum quum vacua exſtaret pagina, ſcilicet in 1.° poſt *Chalcedonenſis Concilii Actionem* I.am, in altero poſt *Egeſippi Hiſtoriæ* Librum III.um; in hiſce vacuis paginis *Rhythmi* auctor vel ſcriptor lucubrationem ſuam *rhythmicam* opportune inſerendam duxit. Quo geminato ſcripto voluit, ut memoria religionis horum Regum perennis celebraretur; & perduratura ad poſteros perveniret, quamvis fatali injuria hactenus conſepulta delituit. Auctorem *Rhythmi* quis unquam deſignet? Conjicere tamen licet, probabiliter Monachum S. Columbani Bobienſis Monaſterii fuiſſe tùm propter ejus propagandi diligentiam & curam, duplici relicto in Bibliotheca Monaſterii apographo; cùm etiam ex ſcriptionis ſtilo. Nam tertia præſertim *Rhythmi* pars, ad acta Cuniberti Regis pertinens, interlita legitur Sacræ Scripturæ ſententiis; quæ ſcribendi ratio præcipue Monachum ſapit. Veruntamen ſiquis mallet, *Rhythmum* hunc opus eſſe (8) *Felicis* illius Grammatici, ſub cujus nepotis Flaviani diſciplinâ latinitatis tirocinium poſuit ipſe Paulus Diaconus, ut narrat Libri VI.i Capite VII.°, non admodum repugnarem, imo & manus darem. Non ignoro, illum Cuniberti Regis ætate floruiſſe, ejuſque præclaro munere ornatum. Quare gratularer mihi, ſi certum hoc Langobardicæ latinitatis, & Poetæ Regii monumentum per me primum poſſet legentibus offerri a Scripto-

(8) Vide infra Cap. IX. Sect. I. & Cap. X. Sect. VI. & VIII.

re tam celebrato profectum, cujus fœtum suspicor fuisse tum *Theodotæ*, tum *Cuniberti* Inscriptiones (9) sepulcrales, quas mutilas quidem, sed utiliter gaudemus ad nos transmissas. Ego autem *Rhythmum* hanc poesim appello cum reliquis comparatam, etsi ejus auctor, in quo plus est poeticæ licentiæ, quam facultatis, *metricè* se scripsisse testetur, id apertissime sub finem ejusdem affirmans in hæc verba: *Medrici* (10) *scripsi per prosa, ut oratiuncula*.

Rhythmus trifariam divisus primò *Ariperti* laudes complectitur. Hic Arianā hæresim persequitur. Quid egerit sub hoc piissimo Rege etiam Jo. *Bonus* Episc. noster, ut hanc labem deleret.

II. Itaque, quum trifariam dispertitus appareat hic *Rhythmus*, liceat mihi Chronologiæ leges sectanti membratim illud dividere, quæque ad *Aripertum* spectant, vigente hujus regno exponere: deinde vero, quæ ad *Bertaridum* (11) ejus filium: denique *Cuniberti* ex Bertarido geniti res gestas, quas barbarus Poeta noster effuse persequitur, pandens veluti poeseos suæ vela, ad hujus Regis tempora postremò (12) reservare. Cursim igitur Avi Regis decora delibans Poeta noster Bobiensis, seu Langobardus, qui Cuniberti nepotis tempore certissime scripsit, in hæc verba exorditur *Rhythmum* suum, ut in appositâ Tabulâ 1.° loco legitur: *Sublimes* * *ortus in finibus europe langibardorum regale prosapia rex haribertus pius & catholicus Arrianorum aboleuit heresem, & christianam fidem fecit crescere*. ✠ Vates æque ac Geographus infelicissimus Bajoariam, unde originem ducebat Aripertus, *in finibus Europæ* collocat; quumque ejus prosapiam *regalem* appellet, non paternum genus, sed Aviæ Walderadæ, & Amitæ Theudelindæ potius, aut consobrinæ Gundebergæ stirpem (13) innuere videtur. Hic igitur ad Regnum evectus gloriosum religionis suæ atque præclarum in oculis omnium defixit

* In Ms. C. 105. cit. *Sublimis*, idest *Vir sublimis*, *ortus*, idest natus, *in finibus* &c.

(9) Vide *Theodotæ* Epitaph. Cap. VII. Sect. III... & *Cuniberti* Cap. X. Sect. ult.
(10) Vide sup. pag. 532. & *Rhythmi* finem, infra Cap. VII. Sect. III. (11) Vide infra Cap. IX. Sect. III. (12) Infra Cap. IX. Sect. III. cit. (13) Vide *Stemma Genealog. Theudelindæ* in calce huj. Operis.

pag. 536.

Ambros.ae in 4. Littera E. nº. 109.

r ariopelangibardorum regale pro tua piet
tholicortrrianorum abolevit hererem
t crercenet +

Bl. Ibid. Littera E. nº. 105.

pag. 579.

limregni suff&murlmitectur primatexem
lud eorfegitbyri hoc credere renn...
&r&tor...nator ecl p:a fundamentu
pi Locauit famulatua praecepegit
n...tpnolnoueit regere +

defixit monumentum, docuitque, quemadmodum altas in Bajoaria radices egiſſent ſemina orthodoxæ Fidei, quæ prioribus a Chriſto nato ſæculis ſive a Lucio, ſive a Severino Noricorum Apoſtolo (14) jacta ibidem fuerant. Etenim, quum ſub Arioaldo, & Rothari, hujuſque filio Rodoaldo, videret prava Arianæ fidei dogmata plurimum invaluiſſe; imo in ſingulis urbibus inductos, præter Catholicos, etiam Arianos, promiſcuis utriuſque Sectæ ritibus; novus Rex ſecurim radicibus tanti mali inflicturus edixit ſapientiſſime, nequis in Regni ſui ditione Arianam ſectam profiteretur. Severitatem juſtiſſimi & piiſſimi Regis veriti hujuſmodi Hæretici omnes ſibi ſubjecti (neque enim Regum legibus (15) Duces tenebantur) ocyus ejurata hæreſi, in Catholicorum caſtra ſe recipere viſi ſunt turmatim. Hoc tempore arbitror, *Anaſtaſium* illum Ticinenſem, Arianum Epiſcopum, qui Rothari regnante in S. Euſebii Eccleſia Sedem collocaverat, ut ſupra ex Paulo (16) didicimus, Catholicam fuiſſe Fidem amplexum. Qui pietate adeo ſingulari ſe geſſit atque ingenuo corde, ut poſt *Magni* Catholici Antiſtitis obitum anno DCLXVIII. Ticinenſem S. Syri Cathedram communi Cleri Populique ſuffragio ſit conſequutus. Hunc ſuſpicor celebratæ Mediolani Synodo adverſus Monotheliras (17) una cum Manſueto noſtro, qui illam congregaverat, interfuiſſe. Quod certum eſt, idem, damnatis Hæreticorum illorum erroribus, *Synodali* Agathonis Papæ *Epiſtolæ* (18) anno DCLXXX. ſubſcripſit. Igitur regia Ariperti auctoritate confirmatus, quin etiam legibus armatus, Joannes noſter Epiſcopus curam ac di-

(14) Vide Matth. Raderum in *Bavaria Sacra*. (15) Vide Paul. Diac. Lib. 3. Cap. 16. Conſule notam (*) ſup. p. 394. (16) Lib. 4. Cap. 44. cit. & not. 225. ibid. Vide ſup. p. 512. & 523. & infra Sect. XVII. (17) Hujus Synodi Acta interciderunt, & ſola ſupereſt *Synodica* Manſueti *Epiſtola* ſine ſubſcriptionibus, apud Labbé Tom. 6. col. 601. (18) Inter Act. V. Concil. Conſtantinop. III. ſeu Oecum. VI. apud eund. Labbé Tom. 6. col. 700.

ligentiam, quam ſub Rothari comprimere fortaſſe hactenus fuerat coactus, mente concipio, quantum in omnes partes ſolutis veluti habenis effuderit, ut peſtem hanc evelleret toties ferro igneque curatam, ac ſemper in Liguriæ perniciem identidem renaſcentem. Eveniſſe credo, ut cubilia ſcrutans omnia, in quibus laterent Ariani, partim rationum vi convictos, partim regii Decreti auctoritate, ad Chriſti ſigna revocaverit, & aream ſuam optime purgaverit paleis igni inextinguibili devovendis, aliis aliò transfugientibus, ut legum vigentium pœnas declinarent. Quare Ariperti ſanctione effectum feliciter fuiſſe arbitror, ut Joannes noſter Redemptoris Chriſti exemplum ſequutus, quum alias oves haberet, quæ ex ſuo non eſſent ovili, etiam eas in caulam adduceret, voceque Paſtoris ſui audita fieret Mediolani unum Ovile, & unus Paſtor.

An Jo. noſter cum Jo. Bergom. Epiſc. in id adlaboraverit. An Adduam ſiccis pedibus tranans ad eundem profectus fuerit. An Theudelindæ funus duxerit. Hæc omnia repugnant Chronologiæ legibus.

III. Doleo, hoc loco mihi evellendam veterem opinionem jamdiu inſitam popularium, imo & graviſſimorum Virorum, mentibus, qui cenſuere, conjuncta fuiſſe cum *Joanne* noſtro etiam alterius *Joannis* Bergomatis ſtudia pro Ariana lue ab hiſce regionibus exterminanda. Porro ut hoc aſſeverare poſſimus, Chronologiæ leges non patiuntur. Lapis ſepulcralis Bergomi repertus Joannis hujus urbis Epiſcopi, relatus a clariſſimis (19) Muratorio & (20) Mario Lupo, nos docet Sanctum hunc Bergomatem annis XXII. ei Eccleſiæ præfuiſſe, mortuum vero eſſe anno DCXC.; a qua ſententia non aberrat factum a Paulo Diacono (21) expoſitum ſub Rege Cuniberto. Igitur anno DCLXVIII., vel ſequenti (22) electus eſt *Joannes* Bergomas, ſcilicet decennio circiter poſt *Joannis* noſtri obitum, quem jam ſupra (23) probavimus ſedere cœpiſſe exe-

(19) *Annal.* ad ann. 659. (20) *Cod. Diplom.* cit. col. 234. Vide infra Cap. IX. Sect. VII.
(21) Lib. 6. Cap. 8. (22) Marius Lupus Op. cit. col. 241. Vide infra Sect. XVII.
(23) Vide ſup. pag. 526.

unte anno DCXLIX., & obiiſſe videbimus (24) ineunte DCLX. Gravior itaque difficultas premit Cl. Papebrochium ejuſque ſectatores, qui Joannis noſtri Pontificatum ſtatuunt ab anno DCXLV. ad DCLV. Quomodo enim juxta utramvis ſententiam adlaborare in Arianis expellendis gemini iſti Epiſcopi potuiſſent, ſi tempore eodem non ſederunt? Alterutrum igitur reliquum eſt, ut dicamus (25) cum diligentiſſimo Mario Lupo, aut Bergomatem Joannem nondum fuiſſe Epiſcopum quum Joannes noſter bella Arianis indiceret, aut ſimul cum Joanne noſtro operam in hac re non adjunxiſſe. Placet etiam alicujus Hagiographi ſententias refellere, qui nedum aſſeruit (26) Joannem noſtrum Adduam ſiccis pedibus trajeciſſe, ut ad Joannem Bergomenſem proficiſceretur, quod ex nuper allatis omnino evaneſcit; verum etiam Illius funus Theudelindæ Reginæ præſentia decoratum fuiſſe, eamque, celebratis ſolemniter parentalibus, mortales Sancti exuvias manu ſua in tumulum illatas compoſuiſſe. Solus, quod ſciam, id Paulus Morigia (27) pronunciavit; ſed quam abſurde, ſatis evincitur ex hujus Reginæ anno (28) emortuali. Quum enim hæc credatur obiiſſe anno DCXXV; ſupervixiſſet uſque ad initium anni DCLX., quod quidem *credat Judæus Apella*. Recentior (29) ſuperioris Sæculi Scriptor Morigiæ narrationi ſuppetias laturus, aſſeverat, Theudelindæ factum intelligi poſſe de Gundeberga ejus filia, quæ poſt Matrem ſuperſtes fuit, nupta etiam Regibus Arioaldo & Rothari. Infeliciter tamen iſte etiam conatus recidit; nam ſi ducem ſequamur Diaconi narrationem, videtur Gundeberga obiiſſe antequam Aripertus regnum ſuſciperet. Quum vero

(24) Infra pag. 542. (25) Op. cit. col. 242. (26) Marian. Grimaldi, *Santuario dell' Alma Città di Genova* pag. 203. Edit. Genuæ 1613., Sigon. *De Regno Ital.* Lib. 2. ad ann. 659., *Acta SS.* ad diem 10. Jan., Jo. Paulus Mazzucchelli, *Vita di S. Gio. Bono* p. 32. Ed. Mediol. 1642. (27) Moriggia *Hiſt. dell'Antichità di Mil.* Lib. 2. Cap. 2. p. 305. Ed. Venet. 1591. (28) Vide ſup. p. 503. (29) Mazzucch. Op. cit. p. 50.

Joannes noster decesserit anno hujus Regis VIII.°, scilicet DCLX., nemo non videt hujus etiam historiolæ totum corruere fundamentum.

De Basilica in Oppido Decimo ad *Sancti Syri* honorem, a S. Jo. Bono constructa. *Canonicorũ* mentio quando primùm occurrat. De *Decimarum* origine.

IV. Sed ad veriora atque inconcussa Joannis nostri decora progrediamur; & primùm ab eo, quod ad *Decimum* spectat. Multa etiamnum adjacent (*) nostræ Urbi Oppida seu Vici, quibus inditum nomen a lapidibus, quos Romani in viis erigebant ad designandum quot passuum millibus ab Urbe distarent. Hujusmodi locis accensendum est nuper memoratum insigne Oppidum nomine *Decimum*, vulgo *Desio*, decimo scilicet lapide Mediolano distans, in quo Joannes noster insigne religionis suæ testimonium reliquit. Quum ipse ex maritima Liguria oriundus esset, ut (30) diximus, ac Genuæ celebraretur nomen *Sancti Syri*, cui jam tum primarium Templum dedicatum fuerat; Ecclesiæ in ejusdem honorem apud nos ædificandæ sumptum & onus in se recepit, & *S. Syro* (**) nuncupavit, ejusque sacris lipsanis Genuâ translatis, & *S. Mariæ*, & Apostolorum omnium, aliisque reliquiis, consecravit. Ædes etiam sacris Ministris ad habitationem, iisque alendis prædia opportuna adjecit. Ædes autem eæ non omnino illi ætati congruenter ab Recentioribus quibusdam *Canonicales* vocantur. Ignotum enim plane ei Sæculo, saltem in Italia, ut docuit (31) Muratorius, *Canonicorum* nomen, qui tunc temporis usque ad posteriorem ætatem (***) *Officiales* appellabantur: idemque Murato-

(*) *Quarti* equidem nomine geminos Vicos habemus extra Vercellensem Portam; præterea *Quintum* extra eandem, & alterum extra Romanam; itidem *Sextum* ibidem, & alterum cognominem extra Novam in Curte Modoetiensi; *Septimum* in Via Vercellensi; Vicum vulgo *Nova*, ad Nonum scilicet lapidem, apud *Decimum*. (30) Sup. p. 528. (**) Id satis erui potest ex *Rhythmo* infra recit. Revera *SS. Syro & Materno* hodie nuncupatur hæc Ecclesia. Etiam *Missale Ambr.* Ms. Sæculi XV. (in Bibl. Ambr.) sic primitive charact. inscribitur: *missale ecclie scor. syri & matni burgi desii*. Attamen plures Archiepp. Mediol. *Catalogi*, & Lectio *Brev. Ambr.*, Saxius &c. *S. Materno* tantum dicatam affirmant, & de *S. Syri* titulo penitus reticescunt. (31) *Antiq. Medii Ævi*, *Differt.* 62. Tom. 5. col. 187. C. (***) Consule gemina Documenta ex Autographis in Archivo Canonicor. S. Ambr. Mediol., anno-

rius (32) testatur, primùm hoc nomen auditum & lectum in Lapide Mediolani ad S. Simplicianum anno dumtaxat Christi DCCCC. Illi igitur Sacerdotes idcirco ab Joanne adjecti fuere in *Decimi* Basilica S. Syro sacra, quòd Oppidum ipsum Plebis adjacentis Caput, seu Metrocomium esse voluit, unde in vicinos Pagos prompte Ministri excurrerent pro divinis officiis obeundis, prout res postularet: ex qua officiorum necessitate originem duxere omnia succedentibus temporibus *Canonicorum* cum suis Præpositis instituta Collegia. Mihi constat (33) ex vetustis membranis, in Metrocomiis nostris usum obtinuisse, ut *Canonici*, seu Ministri matricis Ecclesiæ, per hebdomadam, sive etiam per menses singulos ad Plebis sacra destinati identidem ad subjectos Vicos & Pagos juxta popularium necessitates aut postulata proficiscerentur. Quam ob causam cautum erat Ecclesiæ legibus, ut qui sacra e Metrocomio perciperent aut rogarent, Metrocomii Sacerdotibus, qui *Canonici* postea nuncupati sunt, *decimas* ex agrorum fructibus persolverent juxta legem a Domino (34) pro Levitis latam, item ab Apostolo (35) commendatam: *Non alligabis os bovi trituranti*. Florebat igitur, Ariperto Rege, Christiana Religio, Arianis in Catholicorum castra, aut aliò confugientibus: quare necesse fuit Sacerdotum numerum augere, qui pabula ministrarent ovibus errantibus ad ovile perductis.

S. Jo. *Bonus* hæredem Mediolan. Ecclesiã Testamento relinquit. Sanctissimè moritur. Primus ex Mediol. Episcopis intra mœnia tumulatur. Suum Corpus cultui exponitur ab Heriberto Episcopo; transfertur a S. Carolo.

V. Hisce Pastoralibus virtutibus clarus Pontifex noster Joannes tot egregie facta insigni liberalitate cumulavit, cum bonorum suorum omnium, quibus abundabat, in supremis tabulis hæredem

rum 864. & 867. primùm editis, & insertis in calce Operis Collegæ mei Cajetani Bugati, *Memorie Storico-Critiche intorno le Reliquie ed il culto di S. Celso Martire*, pag. 211. & seqq. Edit. Mediol. Apud Galeatios 1782. in 4.

(32) *Diss.* 62. cit. col. 229. (33) In Membranis exsistentibus in Archivis Metrocomiorum Cannobii & Afsii a me perlectis. (34) *Num.* c. 18. v. 24. & 26., II. *Esdr.* c. 10. v. 37. &c. (35) 1. *ad Corinth.* c. 9. v. 9. ex *Deuteron.* c. 25. v. 4.

Mediolanensem Ecclesiam scripsit. Atque hæc plane hæreditas subsidium maximum Ambrosiano Clero admodum ea ætate afflicto attulit. Is enim de suo solito patrimonio nihil percipere census poterat, quòd Siciliæ Provincia in Græcorum potestatem redacta, & post Joannis mortem crudeliter a Constante direpta, & demum a Saracenis occupata, spem etiam percipiendi in futurum reditus suos Mediolanensibus penitus ademisset. Vitæ tam gloriosè actæ demum curriculum emensus Joannes evolavit ad Superos die II.ª
* An. DCLX. Januarii * anni DCLX. Etenim, si omnibus consentientibus sedit in Ambrosiana Cathedra integrum decennium, & consecratus est Romæ paulo post Romanum Lateranense Concilium sub Martino I. celebratum, & absolutum (36) prid. kal. Octobris; cui Concilio postea idem Joannes cum Calaritano & Derthonensi Episcopis subscripsit, ut Acta ipsius Synodalia (37) testantur; hoc necessariò sequitur, mensem unum aut alterum ultra decennium sedisse. Depositum fuit ejus Corpus in Ecclesia (38) S. Michaelis *sub Domo*. Tunc equidem Romanæ leges sub Langobardis silebant; hinc primus Antistitum nostrorum Joannes intra Urbis ambitum sepultus fuit, quum S. Michaelis *sub Domo* Ecclesia sita esset in loco, qui etiamnum *Campus Sanctus* appellatur, juxta *Domum* Episcopi, unde etiam nomen habuit, propterea non longe a Basilica Majore. Quousque apud Langobardos viguit catholica Religio, in honore fuit ejus sepulturæ locus. Veruntamen exciso eorum Regno obliterata etiam fuit Illius sepulcri memoria. Heribertus Episcopus noster Sæculo XI.°, apparente sibi divinitus per quietem Joanne ipso, quod item acciderat Genuensi civi, commonitus de sepulturæ loco, effodi

(36) In huj. *Concil. Secret.* Vide apud Labbé Tom. 6. col. 267. (37) Ibid. col. 367. cit. Vide sup. pag. 527. (38) In *Catalogo* sæpe cit. sic: *Johannes episc. sed. an. X. ob. IIII. Non. Jan. Sep. est ad S. Michaelem in domo*. Vide sis Julin. T. 3. p. 393.

facrum ejus Corpus juffit, a tergo tribunæ fuperincumbentis altari S. Michaelis latens, & honorifice publico cultui ibidem expofuit. Quum deinde vetuftate fatifcens diruta effet Sæculo XVI. S. Michaelis Ecclefia, S. Carolus (39) die XXIV. Maji anni MDLXXXII. in Majorem Bafilicam transferendum curavit, & in Ara ejufdem Sancti Paftoris nomini recens conftructa folemniori pompa collocavit.

De hujus Sancti Epifcopi origine, indole, rebus geftis, atque obitu, vetus *Hymnus* profertur. De ejufd. *Hymni* ætate: de veritate hujus hiftoriæ.

VI. Juvat hoc loco ad conciliandam dictis hactenus fidem veterem *Hymnum* legentibus proponere, quem ex Schedis Jo. Petri Puricellii, Cl. Sæculo fuperiore de rebus noftris Hiftorici & veterum monumentorum indagatoris folertiffimi, in Ambrofiana Bibliotheca (40) affervatis defumpfimus. Hymni ftilus Heriberti ipfius ætatem atque barbariem eorum temporum fapit, præfertim quum ibi etiam agatur de inventione facri Corporis eo tempore facta. Unde verifimiliter, quum ftatutus legatur dies X.[us] Januarii pro S. Joannis fefto celebrando, licet ejus depofitio teftata effet in *Catalogis* die IV. Nonas Januari, inferri poteft, ad X.[um] hujus menfis diem inventas fuiffe mortales hujus Sancti exuvias, eamque inventionem in Hymnodia ejufdem diei decimi fuiffe illatam. *Hymnum* hunc continenti fcriptione, nulloque verficulorum, feu *ftropharum* indicio, profam veluti orationem, Puricellius tradidit. Fatemur tamen, poffe aliquatenus in tetrametros Jambicos redigi, ficuti nos infra diftingui curavimus, fed fine lege; quum veteres Poetæ illi propriam Jambicorum dimenfionem, non integram carminis ftructuram obfervarent.

„ De S. Johanne bono Archiepifcopo Mediolani, cujus feftum celebratur (*a*) die decimo menfis Januarii.

„ Johannes a parentibus ‿ Mediolanum ducitur ‿ Metropolis Ec-

(39) Saxius in *Vita S. Jo. Boni* Tom. I. pag. 232. Item *De Vita & reb. geftis S. Caroli* cum Notis Oltrocchi Lib. 6. Cap. 15. col. 614. & 615. (40) Sign. S. 89. Part. Sup. Videfis fragm. apud Sorman. *Allegat. ad Concord. in Caufa Praem.* Cap. 6. n. 2. p. 26. & 27.

(*a*) Fed. Card. Borrom. inductâ Octavâ Epiphaniæ tranftulit feftum ad diem XIII. Febr.

,, clesiæ ⌣ qui Clericus efficitur. ⌣ Villa Camuli (*b*) nascitur ⌣
,, Johannes de parentibus ⌣ Januensis Diocesis ⌣ Valle Rochi (*c*)
,, nobilibus. ⌣ A Mediolanensibus ⌣ cunctis digne prædilectus. ⌣
,, in Pontificem fuit electus. ⌣ Humilitatis gratia ⌣ fuit Johannes
[* sic, forte pro *præditus*.] ,, * prædictus. ⌣ Trino refecit pabulo ⌣ gregem Pastor solicitus. ⌣
,, Pietatis operibus ⌣ hic totus fuit deditus: ⌣ hic relevare mi-
,, seros ⌣ & consolari solitus: ⌣ hic famelicos pascebat: ⌣ hic &
,, nudos vestiebat: ⌣ scicientes hic potabat: ⌣ ægros, captos visi-
,, tabat: ⌣ peregrinis hospitium dabat. ⌣ Hic plenus gratia, ⌣ fide
,, pollens & moribus, ⌣ Deo gratus & hominibus ⌣ fulsit in suis
,, actibus. ⌣ Sic se Johannes humilem ⌣ coram cunctis exhibuit. ⌣
[* forte pro *discerni*.] ,, An esset ipse Pontifex, ⌣ vix * dicerni potuit ⌣ humilitatis me-
,, rito. ⌣ Cui cæli porta patuit, ⌣ ad Paradisi gloriam ⌣ merito
,, Christus provexit ⌣ Johannem, gestu habitu ⌣ qui se totum hic
,, despexit. ⌣ Hic multiplici miraculo ⌣ suis beatis meritis ⌣ re-
,, splenduit in sæculo. ⌣ Languentes iste liberat: ⌣ lumen dat non
,, videntibus: ⌣ contractos erigit: ⌣ lætitiam dat tristibus. ⌣

,, Januensis Pontifex ⌣ Sancti Syri reliquias ⌣ duxit ad (*d*) Decium, ⌣
[* sic, forte pro *ibi*.] ,, & Ecclesiam ædificavit ⌣ pii Johannis studium; ⌣ cui Plebs sibi
,, * contulit ⌣ primatus beneficium, ⌣ ut in chori pariete ⌣ scri-
,, ptura (*e*) dat inditium; ⌣ Apostolorum omnium, ⌣ Syri, Mariæ,
,, variis ⌣ Johannes hanc magnificat ⌣ sacrosanctis reliquiis; ⌣ ut
,, in

(*b*) Oppidum in Orientali Liguriæ ora XV. circiter millibus passuum Genuâ dissitum, ut jam supra diximus pag. 528. Hinc puto deceptos eos, qui, cognomenta familiæ Episcopis nostris affingere (Vide sup. nota (12) pag. 91. & infra Cap. VII. Sect. II.) volentes, quum Joannem nostrum ex prosapia *de Camillis* ortum dicant, *Camullum* patriam pro Familiæ nomine fortasse sunt interpretati. (*c*) Hodieque *Vallis Rochi* appellatur, in cujus fine *Camullum* jacet, nunc *Camoglio*. (*d*) Nos rectius *Decimum* appellamus. V. cognominem Vicum ap. Baudr. (*e*) Inauspicato bonis Artibus eo Sæculo Pictores optimo consilio consueverant scripto subjecto exprimere, quid pictum esset, verbis magis, quam suæ arti confisi.

„ in chori pariete ‿ (*scriptura*) dat inditium. ‿ In suis facultati-
„ bus ‿ hæredem hic instituit ‿ Ambrosii Ecclesiam, ‿ quam gu-
„ bernare studuit ‿ Joannes, qui per decennium ‿ Præsul, qui
„ Deo placuit. ‿ Quam Deithecam omnium ‿ bonorum temporalium ‿
„ suorum esse voluit, ‿ ut thesaurum in patria ‿ inveniat cum
„ gloria, ‿ in cælis quem reposuit. ‿ Post tot insignia ‿ virtutum
„ opera, ‿ & ejus multa miracula ‿ carnis discerens * claustrum, ‿ * idest *deserens*
„ gratus Deo & hominibus ‿ felix migravit ad Dominum ‿ anno
„ Domini (*f*) sexcenteno ‿ sexagessimo nono: ‿ tempore Papæ
„ Vitalliani, ‿ & Imperii Constantini quarti: ‿ Tandem cum Cor-
„ pus ejusdem ‿ Sancti Joannis post (*g*) throinam ‿ Altaris ma-
„ gni Ecclesiæ ‿ Sancti Michaellis esset absconditum, ‿ ab omni-
„ bus sepultura ignorabatur. ‿ Denique Heriberto Archiepiscopo ‿
„ per quendam Civem Jannensem ‿ miraculose revelatur, ‿ & vi-
„ so pro divinitus ‿ Joannes apparuit: ‿ ubi ejus quiesceret ‿ Cor-
„ pus, sibi exposuit; ‿ & Præsuli Heriberto apparuit, ‿ quem ro-
„ gat, ut extumulet ‿ quod diu luto jacuit; ‿ quia eum Dominus ‿

(*f*) Manifestus porro in statuenda Joannis morte anachronismus. Etenim, si docemur hoc *Hymno*, Joannem post Sedis suæ *decennium* ad Superos evolasse, quomodo hæc componi possunt cum epocha Concilii Lateranensis, cujus Actis vidimus subscripsisse? Subscribere non poterat, nisi exeunte anno 649., quo illud completum fuit (Vide sup. pag. 542). Ratio igitur postulat, ut nonnisi anno 660. ineunte Joannem obiisse credamus. Præterea non potuit, nisi sub Rege Catholico mori, si hæredem instituit Ecclesiam nostram; atque Basilicam S. Syri in Oppido *Decimo* fundavit & dotavit. Verum si ad annum 669. ejus mortem protrahamus, regnabat eo tempore Grimoaldus Regni invasor vel Arianus, vel Paganus (V. infra Sect. VIII.) Neque repugnat huic anno 660. epocha Pontificatus Vitaliani & regni Constantini (dicti etiam Constantis, hujus nominis II.[i]) quem *Hymni* auctor *quartum* hujus nominis appellat; quum vere ille annus sit Vitaliani IV.[us], & Constantini XX.[us]. Occasionem huic errori dedit regnum Rodoaldi semestre, quod Paulus (Lib. 4. Cap. 50) ad quinquennium distulit; qua de causa putabant Veteres in Ariperti tempora serius mortem Joannis accidisse.

(*g*) Idest *Tribunam*. De sensu huj. vocis vide Du Fresne, voce *Truyna*, Fris. Op. cit. in Indice Tom. 3. pag. 298. ad h. v., & loca ibi citt. Vide *Acta SS*. Tom. 6. Jul. ad diem 26. pag. 317. B. Quid sit *Tribuna*, vide Op. cit. Tom. 1. Maji pag. LXII. B. & al. AA.

„ venerari voluit, „ & Corpus honorifice „ reponi sibi placuit. „ „ Heribertus sollicite „ hoc adimplere studuit. “

Si quis verò invido dente carpere hujus historiæ veritatem vellet, & oblatrare famam hujus Sancti Antistitis, objiciatque longum annorum intervallum, quod Joannem inter & Heribertum Episcopos effluxit, quo factis in *Hymno* enarratis fidem detrahat: hunc primùm monitum velim, ut certiora & vetustiora depromat; deinde, ut seriò animadvertat, nonnulla ejus Sancti facta indicari testatissima ex picturis, quæ multò ante in *Decimi* Ecclesia exstabant: demum, quum divinitus revelatum esset ejusdem Corpus, summo studio inquisitum fuisse a Mediolanensibus in Joannis patriam, ac sanctitatem, & in vetera de hac re monumenta, quæ scripto adhuc consignata videri & legi poterant ineunte Sæculo XI.° ; quemadmodum nunc etiam certa habemus documenta rerum, quæ quatuor ante nos Sæculis fuere publicis tabulis commendatæ. Quare liquet, nihil nisi certum compertumque in hoc *Hymno* haberi.

Antonius, sive Antoninus Pontifex renuntiatur. De Ariperti Regis pietate. Utriusque obitus eodem anno. Bertaridus & Godebertus, Regno bifariam diviso, Ariperto patri, Mauricillus Antonino, succedunt. Hic intra quadrimestrem moritur. Ejusd. acta ignorantur. Interpontificium per quinquennium circiter.

VII. Pro reparando Ecclesiæ nostræ detrimento ex tanti Pastoris jactura, & Sede implenda, indicto statim conventu, Cleri & Procerum collecta fuere suffragia; neque diutius hærendum pro Successore eligendo fuit. Eminebat in Clero nostro Antonii, sive Antonini (utroque enim nomine apud Veteres appellatum video) præstantissima probitas atque expers labis integritas vitæ. Oculi atque ora omnium ocyus in Eum fuere conversa; quoniam singularis ejus virtus anteoccupaverat Eligentium judicium. Itaque acclamantibus universis, festinata inauguratione, Sancti Decessoris Sanctus Successor præfuit nobis Antoninus, qui virtutis apud omnes præjudicio *Sancti* (*) nomen præpropere obtinuit. Latum Pastorali

(*) Nescio quo fultus monumento id afferat Saxius in ejus *Vita* (Tom. I. pag. 233). Quod tamen animadversione dignum est, in *Catalogo Archiepp.* inserto in *Rer. Ital. Scriptt.*

hujus Antiſtitis obeundo muneri aperiebat campum Catholici Regis Ariperti religio, qui ſtimulos currenti adjiciebat, ut Evangelii ſemina per felicius poſtremum Sedis ſuæ ſeptennium ab S. Joanne jacta in uberiorem excreſcerent meſſem. Et ſane fauſto eo tempore videbatur initum inter ſacrum Paſtorem & Regem quoddam veluti certamen; quum ille viventia Templa, ideſt Catholicos, Deo ſacraret, hic autem novas in Dei cultum excitaret Baſilicas. Hinc legimus (41) apud Ticinum ædificatam ab Ariperto dedicatamque *Chriſto Salvatori* Baſilicam, regali ornatam impenſâ. Quam trecentis circiter poſt annis Ottonis Magni uxor Adelaïs inſigni adjuncto Monaſterio, uſque ad hanc diem vigente, amplificavit & auxit. Veruntamen, proh dolor! dum Regis & Paſtoris noſtri ſtudia mirifice in augendum orthodoxæ Religionis cultum conſpirant, acerba nimis & importuna mors ſummo omnium dolore primò Aripertum Regem, paulo poſt etiam Antoninum Pontificem nobis eripuit, & certo ſanctitatis præconio ornatum cælo reddidit; quem ſubſequuta temporum iniquitas, ſi adhuc ſuperſtes fuiſſet, exanimaſſet profecto & juſto dolore confeciſſet. Quare Dei omnipotentis pietate effectum puto, ut præmium laboris ſui ſempiternum antecaperet. De Antonini obitu hoc certum habemus, quod Sedis ſuæ anno ſecundo diem ſupremum obierit (42) pridie Kal. Novembris. Ejus igitur mortem re-

---

ribus Tom. I. Part. II. pag. 228. ex Beroldino Codice Mſ. Capituli Metropolit. & fortaſſe a Beroldo ipſo uſq. ad Anſelmum V. (ut opinatur Puricellius *Differt. Nazar.* Cap. 97. n. 8. pag. 466.) ex vetuſtioribus *Catalogis* concinnato & aucto, *Sancti* titulo exornantur Antiſtites, quos hodie colimus, præter *Theodorum I.*, *Laurentium I.* (cujus utriuſque memoria peculiariter in S. Laurentii Æde quotannis celebratur) *Euſtorgium II.*, *Honoratum*, *Manſuetum*, *Benedictum*, & *Natalem*. Quare majori laudi tribuendum videtur *Antonino*, imo etiam *Mauricillo*, & *Ampellio* ſucceſſoribus, quod Beroldi ſaltem ætate jam præconcepta eſſet de horum ſanctitate opinio.

(41) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 50. & Lib. 5. Cap. 35. Vide infra Cap. VIII. Sect. ult. ſub fin. (42) IV. tamen Kalendas hodie ejus natalis dies celebratur, fortaſſe ob inductam ante ea tempora Solemnitatem Omnium Sanctorum, quorum vigiliæ prid. Kal. fiunt. In *Catal.* noſtro ſic: *Antonius eps ſed. an. II. Ob. prid. Kal. Nou. Sep. eſt ad ſcm Simplicianum.*

* An. DCLXI. ferre necesse est * ad annum DCLXI., quum incompletum fuerit Pontificatus biennium. Piissimo & Catholico Langobardorum Regi Ariperto ex ejusdem Testamento succeffere gemini, quos reliquit, filii Bertaridus & Godebertus; quare bifariam tum primum divisa est Regia Langobardica ditio. Major natu Bertaridus Mediolani Sedem suam collocari voluit, Ticinensi Regia Godeberto relicta. Tum sane patuit, fratrum iras, ut assolet, acerbissimas nonnisi extrema ipsorum pernicie placari posse. Multo certe melius Ambrosianæ Sedi consultum esse voluerunt Mediolanenses, qui collatis suffragiis in locum S. Antonini S. Mauricilium, seu Mauricillum suffecere. * Quanquam pari infelicitate propter brevem quadrimestrem * An. DCLXII. illius Pontificatum, quibus procellis conflictatum fuit Langobardicum Regnum, nostra etiam Ecclesia subinde laboravit. Cum autem quadrimestrem dixi Mauricilli Pontificatum, profiteor, me fidem majorem habere (43) *Catalogo* nostro, quàm subsequutis longo post tempore Scriptoribus. Etenim non ignoro, uti post *Fortis* obitum (44) observavimus, Papebrochium doctissimum Hagiographum, aliosque in eam inclinasse sententiam, ut Sancti Antistitis Mauricilli Pontificatum ad annos X. statuerent producere. Liceat mihi tamen, bona tot Virorum venia, retinere, quod nobis tradit vetus nostra Episcoporum nomenclatura. Video, quâ de causa id commenti sint Viri clarissimi. Patebat nimirum (45) amplè nimis hiatus inter *Fortem*, & *Ampellium*, quem ii Scriptores studebant implere. Verùm, si rimari potius historica monumenta eorum temporum & rerum nostrarum perturbationem itemque Romanarum ii voluissent, tutiorem fortasse iniissent viam pro statuendo tempore & exordio Sedis intermediorum Antistitum. Hinc meliori consilio arbitror in-

(43) Ibid. sic: *Mauricillus eps sed. m. IIII.* In *Catal.* 1. ap. Murat. *Sanctus Mauricillus* &c. in 11. *Maurillus* &c. (44) sup. pag. 525. (45) Recole, quæ jam diximus sup. pag. cit.

terponendam alicubi Sedis noſtræ vacationem ratione habita Hiſtoriæ, quàm per ſeriem alterum alteri ſtatim ſufficere; quo pacto neceſſe eſt aut fidem *Catologo* detrahere, aut aquam ſcribentibus hærere, ſeque in anachroniſmorum laqueos implicare. Stat igitur noſtri *Catalogi* auctoritas, quadrimeſtri ſpatio Sedem a S. Mauricillo occupatam teſtantis; præſertim quum nullum exſtet hujus Pontificatus apud nos monumentum, imo ne veſtigium quidem; nec dies obitus indicetur, neque ſepulcrum, contra morem in aliis Epiſcopis a Nomenclatore ſervatum; neque unquam permanare ad nos potuiſſet Ejus ſepulturæ locus, niſi Anſpertus, ad Ambroſii Cathedram ducentis & amplius poſt annis evectus, ejus Corpus inveniſſet, quod ipſe (46) in Baſilica a ſe ipſo exſtructa & S. Satyro dicata auguſtiore loco condidit. A qua dumtaxat Eccleſia (*) Sanctorum honoribus colitur, licet in nonnullis Ambroſianæ Eccleſiæ monumentis & *Calendariis* inſcriptum ejus nomen (47) legatur ad diem

---

(46) Vide ſup. pag. 526. In *Catal. Archiepp.*, quem Jo. Petrus Puricellius ex alio antiquiori exſcripſit (in Bibl. Ambr. Litt. S. 89. Part. Sup.) ſic legitur: *Sanctus Mauricilius Mediol. Archiepiſcopus quadrageſimus anno Domini* 672. *Sedit menſibus quatuor ....* *Obiit autem dictus Mauricilius anno Domini* 673. *primo ante Kal. Apr. Jacet ad S. Satyrum in Civitate*. Idem legitur in alio *Catalogo* (ibid. N. 294.). In *Act. SS.* Tom. 3. Martii ad diem 31. pag. 910. *Anſpertus creatus Archiepiſcopus Eccleſiam in honorem Sancti Satyri Fratris D. Ambroſii exſtruxit; & in ea collocavit Corpus S. Mauricilli Archiepiſcopi*. Papebroch. in *Exegeſi* ſæpe cit. pag. LXVII. §. 56. *Anſpertus Eccleſiam S. Satyro condidit, in illamque S. Mauricilli Corpus tranſtulit*. In *Act. Eccl. Mediol.* Part. VI. *Mauricillus Ob. prid. Kal. Apr. Sepultus in Eccleſia S. Satyri*. (*) De huj. S. Antiſtitis reliquiis & cultu *Diſſertationem* elucubravit Alex. Aſteſani S. Satyri Baſilicæ Presbyter: quam cum Philippus Vicec. Archiep. perlegiſſet, & examini tradidiſſet, hujus Sancti feſtum cum *Orat. & Præfat. de propr.* quotannis in ead. Baſilica die IX. Jul. celebrandum cenſuit; ut ex *Decr.* die 27. Jan. 1794. (47) In *Calendario* in calce *Antiphonarii* Eccleſiæ S. Satyri Sæculi exeuntis XIV. ſic habetur poſteriori manu: *Kal. Apr.* (quum amplius ſcripturæ locus non ſupereſſet ad diem præced.) *S. Mauricili Archiepi Mli. Ad S. Satyrum in urbe jacet*. In Jo. Petri Puricellii Adverſariis (Mſ. D. 114. Part. Inf.) ubi excerpta quædam e Mſ. Cod. membranaceo Gualvanei Flammæ an. 1339., ſic: *Infraſcripta SS. Corpora jacent in Civitate Mediol. & ejus Comitatu & diſtrictu*. Ibi inter alia in fine: *Feſtum S. Mauricilli Archiep. Mediol. & Conf. die* ——. Item in *Calend. Brev. Ambr.* Edit. 1487. & 1549. & in *Calend. Miſſal.* Edit. 1560. habetur Commem. *S. Mauricilli* ad diem 31. Martii, ſine Officio propr. In *Calend. Ambro-*

XXXI. Martii. Langobardicæ vicissitudines Ariperti Regis mortem consequutæ mihi videntur fuisse in causa, ut aliquot per annos Ecclesia nostra Pastore vacaret.

Godebertus in fratrem Bertaridum odio accensus Grimoaldum Beneventanum Ducem opeGaribaldi in eum concitat. Grimoaldus regnandi cupidus GodebertumTicini interficit, Bertaridum fugat; & Solio occupato utriusque Sororé matrimonio jungit.

VIII. Piget quidem obductum præ vetustate refricare vulnus, & Fratrum (48) odia acerbissima pro Regno paterno occupando; externaque subsidia in utriusque perniciem & in Ecclesiæ ac Regni damnum huc evocata commemorare. Quorum causa alter Fratrum vitam, alter Regnum amisit; Ecclesia autem nostra, quum Catholicæ serenitate Fidei frueretur, in veteres Arianorum tenebras miserrime visa est recidere. Quo igitur tempore de Ambrosii Cathedra erat agendum, de Regno vehementior urgebat cura Bertaridum. Non ignorabat, natu minorem Fratrem, una paternæ ditionis parte contra naturæ jus eblandita, facile ad alteram posse aspirare. Occulta admodum Ticini habita fratris Godeberti consilia, ejusque animus regius potius, quam fraternus, suspecta omnia Mediolanensi Regi Bertarido faciebant. Qui tamen æquiore animo divisum potius, quàm perturbatum Fratris inimicitiâ Regnum patiebatur, ut brevi rerum exitus declaravit. Etenim Godebertus paulo post Regni suscepti exordia qua voluntate esset, diu simulare non potuit. Ad se evocat Garibaldum, quem fidissimum putabat, Taurinensem Ducem: remotisque arbitris, consilium suum illi aperit, ut legationem quantocius ineat ad Grimoaldum Beneventanum Ducem, & auxiliares copias ab eodem impetret ad sui defensionem opportunas: addit auxiliis exspectatis mercedem Sororis, scilicet (49) nuptias cum eo ineundas. Garibaldus, ut erat technarum artifex

---

sianis (in Archivo Trivultio) ann. 1568. 1571. 1573. ad diem 31. Martii sic: *Prid. Kal., Mauricilli Archiep. & Balbinæ V.* In *Calend.* vero 1576. omittitur comm. *S. Balbinæ*. In *Calend.* tandem anni 1578. jussu S. Caroli omissa etiam hujus Sancti Præsulis commemoratio, una cum ceteris Sanctis in Quadragesimam incidentibus. (48) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 53.

(49) Vide infra Cap. VII. Sect. IX.

callidissimus, & paratæ in omne facinus audaciæ, legationis munus citius suscepturus Beneventum properat; expositisque Regiis mandatis, secreto in ejusdem aures insusurrat, optimam Grimoaldo offerri Regni universi Langobardici occupandi opportunitatem. Utrumque Regem inopem esse consilii, & imparatum ad bellum, & militari scientia destitutum: si prompte collectis validis copiis Ticini adsit, nullo negotio utrumque opprimi posse. Placuit id consilii Grimoaldo. Hic erat, ut (50) diximus, Gisulfi I., Forojuliensium Ducis, ex conjuge ejus Romilda filius, Tasonis, Cacconis, & Rodoaldi frater natu minimus. Taso & Cacco patri Gisulfo gemini simul in Ducatu successerant. Utroque per proditionem interempto, & Forojuliensi ditione amissa, apud Arichim vel Arigisum consanguineum suum, & olim tutorem a patre relictum, una cum Rodoaldo perfugium quæsierat Grimoaldus. Ambo mira dexteritate & ingenio Arigisi animum ita devinxerant, ut eos paterno amore prosequeretur, & morti proximus, cognita Ajonis filii sui & hæredis imbecillitate, adstantibus commendaverit Langobardis, eosque potius, quàm suam ipsius prolem, Samnites regere præoptaverit. Ajo tamen post obitum patris Ducatum obtinuit, sed brevi, quum a Sclavis in pugna interfectus fuerit. Cui demum Rodoaldus, haud multa relicta ejus morte, & post eum Grimoaldus noster ex Arigisi voto in Beneventanorum regimine successerunt. Oblatam (51) igitur Grimoaldo etiam Regni invadendi occasionem avide arripuit, ut, simulata ferendi ad Regem Godebertum auxilii necessitate, collectis raptim undique copiis, Trasimundum etiam præmiserit, qui quotquot posset apud Spoletinos, & Thuscos ad stipendia milites evocaret, & uno conflato agmine suum mox futurum in Æmiliam adventum præstolaretur. Grimoaldus ergo festinato in Hetruriam itinere

(50) Vide sup. pag. 447. & Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 40. 45. 46. & 47. (51) Cap. 53. cit.

quum venisset, inde motis castris cœpit in Æmiliam proficisci. Quò ingressus amicas cohortes a Trasimundo coactas cum copiis, quas ipse ducebat, conjungens, justo exercitu ad hujus Provinciæ fines substitit; unde legatum Garibaldum Ticinum præmittit, qui nunciet Godeberto, se ocyus cum auxiliariis militibus adfuturum. Prompte Ticinum festinans Garibaldus, quum acta legationis exposuisset Regi, novâ perfidiâ veterem onerat, clam eidem suggerens, optimum sibi videri, venientem cum auxiliis Ducem in Regia ipsa excipere, atque in omnem eventum regiæ clamydi loricam subdi. Inconsultus Rex non sentit, Legati consilio latere proditionem. Quare Grimoaldum Ticinum advenientem magno gaudio in Regiam inducit, & ad se salutandum progredientem clam loricatus amplectitur. Cui officio pariter respondens Grimoaldus Regem æque amplexans, ubi loricam sub paludamento sensit, prodi se a Godeberto armato clamitans, evaginatum repente gladium adegit in Regis ilia, & hospitalem Aulam illius sanguine & nece funestavit. Perlatus Mediolanum Godeberti cædis rumor adeo Bertaridi consternavit animum, ut instantis e proximo Tyranni exercitum declinaturus, Rodelinda uxore, & parvulo filio Cuniberto Ticini relictis, uni saluti suæ consulens, citatissimis veredis per Venetiam evolans, tutum vix tandem perfugium apud Avarum Regem invenerit. Quare Grimoaldus unius Regis cæde & alterius fugâ Langobardicum Solium vacuum aut desertum, metu utrinque liber, ascendit hoc anno DCLXII., & ausus statim sceleris sui præmium postulare, communem utriusque Sororem (52) sibi matrimonio copulavit, maritalem ei manum sponte porrigens, quæ nuper armata alterum ex ejus fratribus interfecerat, alterum Regno privaverat, ea ipsa in Sede, quæ

(52) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 1. Vide Murat. ad an. 648. Vide infra Cap. VII. Sect. IX.

quæ occisi ſanguine adhuc redundabat. Inter haſce Regni viciſſitudines Catholici, qui Arianorum jugum ſub catholico Ariperto excuſſerant, iterum Tyranni jugum ſubire coacti, non tam ſua, quam orthodoxæ Fidei damna extimeſcebant. Sine duce & Paſtore inter exteros miſerrime verſantes meliora exſpectabant tempora, & anxii ſollicitique ſpem inter metumque tantæ tragœdiæ exitum præſtolabantur.

Conſtantinus, ſive Conſtans Or. Aug. *Typo* ſuo Monothelicæ hæreſi patrocinatur. Ejus in Martinum Rom. Pontif. & in S. Abb. Maximum crudelitas. In Siciliam, deinde in Italiam veniens Beneventum aggreditur. A Grimoaldo repellitur. Romam diripit. Ejus gaza in Siciliâ transfert. Ibi in balneo acciditur.

IX. Veruntamen dum hæc inter Langobardos geruntur, nova in Romana ditione & forte deterior coorta fuit tempeſtas. Orientis Imperator Conſtantinus, ſub *Conſtantis* nomine ab Hiſtoricis vulgo appellatus, illud ipſum, quod Eccleſiæ Catholicæ Heraclius ejus Avus ſua *Ecthesi*, ſive Expoſitione, denuntiaverat bellum, nihilo ſegnius jam ab annis antea XIV. lata abs ſe lege, ſeu *Typo* (53) urgebat, unicam dumtaxat in Chriſto aſſerens Voluntatem. Perturbatis omnibus Orientis Eccleſiis, apertum Monothelicitæ hæreſeos ſuſceperat patrocinium; quoſque ſuis inficere erroribus non poterat, inſidiis circumventos, aut exilio damnatos perſequebatur adeo, ut geminos Eccleſia Catholica, eo imperante, venerata ſit ſemper & veneretur Martyres. Martinum ſcilicet dico, primum hujus nominis Romanum Pontificem, quem ad ſe ſub crudeli cuſtodia non evocatum, ſed inter Romanorum gemitus atque ejulatus violenter Româ abſtractum, ac pene omnibus vitæ ſubſidiis privatum, *a Leopardis*, ut olim (54) dictum de Antiochenſi Epiſcopo Ignatio, nempe a militibus, contumelioſe atque indigniſſime habitum, per ſummam injuriam Pontificiis inſignibus ſpoliatum, ac demum in Cherſoneſum ablegatum, fame, vigiliis, animique angore confecit. Alter vero eſt S. Abbas Maximus, quem Catholicæ veritatis aſſertorem, poſt infinitas illatas ærum-

(53) Vide *Acta Concilii Lateran.* ſub Martino I. Rom. Pontif.; & Murator. ad ann. 648.
(54) In *Epiſt. ad Rom.* §. *V.*, ap. Coteler. Vol. 2. pag. 28.

mnas, repetitum exilium, affictas calumnias, avulsam stirpitus linguam, dextramque abscissam, ultimò per triennium in quoddam Alaniæ Castellum retrusum pari martyrii corona (55) ornavit. Hic itaque Orientis non Imperator, sed Imperii monstrum postquam suis exactionibus Subditos vexasset, atque omnium Orientalium a se alienasset animos, eo ipso anno, quo Grimoaldus Langobardiam invaserat, Novæ Romæ, seu Regiæ Constantinopolitanæ Sedis deserendæ consilium cepit, tribusque inde abductis filiis, Ditionis suæ Italicæ fines intrandi. Ubi primùm civibus illud suboluit Augusti consilium, veriti Civitatis illius Ordines, ne aliò translata Augustorum Sede Urbis suæ dignitas periret, & majestas deflorescceret, obstitere Constantini votis. Sed vetitâ Augusta Familiâ in Italiam cum Patre transmeare, Patrem a proposito abducere non potuere; qui (56) maritimo itinere Athenas primò navigans Tarentum venit. Sed paulò post audiens felicissimum Grimoaldi Beneventani Ducis in Langobardiam expeditionis exitum, compertam jam & exploratam Beneventani Ducatus se habere possessionem putavit. Ratus nimirum omnibus eam Provinciam nudatam fore præsidiis, quum militiæ omnes sub Grimoaldo in Langobardia stipendia facerent; neque parem adolescentem Romualdum ejus filium Græcorum viribus futurum, raptim collectis præsidiariis Siciliæ, Calabriæ, atque Campaniæ, justoque conflato exercitu Beneventanos fines ingressus, Luceriam primò aggrediens demum expugnat & funditus diruit. Acheruntiam progressus, sed viriliter repulsus, ea a tergo relicta, Beneventum circumsidet & totis viribus oppugnat. Ante obsidionem impendenti periculo prudenter consulturus Romualdus Sesualdum nutritium suum ad Grimoaldum patrem præmiserat postulatum auxi-

(55) Vide Baron. ad ann. 657. n. XXV. & XXVI. Murat. ad annos 653. & 654.
(56) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 6. & 7. Murator. ad ann. 663.

lium. Non defuit precibus Grimoaldus, &, Lupo Forojulienſi Duce (57) ad Ticinenſis urbis cuſtodiam & defenſionem relicto, quam citatiſſimo agmine Beneventum, ubi ſua ipſius res agebatur, convolat. Conſtans Auguſtus de ſuperventuro auxiliari exercitu per Seſualdum ipſum a Suis interceptum commonitus, interpoſitis in tempore pactionibus cum Romualdo pacem redimit. Et Neapolim feſtinans, in itinere exercitus parte per Micolam Capuanum Comitem & pluribus Suorum alibi amiſſis, ægre tandem & ſemiuſtulatus eam Urbem eſt aſſecutus. Unde poſtea Romam contendit, quam ingreſſus eſt * die V. Julii anno DCLXIII., ut refert in *An.DCLXIII. *Vitaliano* Pontificalis Liber. Neque enim hic vacat conciliare ſingula, quæ de hac Beneventana Conſtantis expeditione inter ſe pugnantia (58) Paulus Diaconus narrare videtur. Romæ quum verſaretur Auguſtus ſicuti aliqua religionis ſuæ reliquit in Baſilicis nonnullis veſtigia, ita etiam multa avaritiæ monumenta non leviter impreſſa. Nam quidquid æreum & pretioſum Barbarorum manus effugerat, totum corraſit & abſtulit, tranſtulitque in Siciliam, pervetuſtum Tyrannorum Agathoclis & Dionyſiorum domicilium, ibi eorundem Sede, Syracuſis ſcilicet, ſibi electâ, ubi ab anno exeunte DCLXIII. uſque ad labentem Septembrem anni DCLXVIII. verſatus eſt, ſive ab Indictione VII.[a] ad XII.[am] ut Paulus (59) affirmat. Inſulam illam infeliciſſimam, tanquam novus Verres, infinitis iiſque miſerrimis oppreſſit malis, necubi publici odii expers foret; ſed tandem Syracuſanam Urbem atque Orbem in balneo occiſus futurorum malorum metu liberavit. Quo extincto, Romanam prædam ab eo factam, ibique congeſtam Saraceni poſtmodum, exſcenſione in eam Inſulam factâ, in Africam aſportavere.

(57) Paul. Diac. Lib. 5. cit. Cap. 17. (58) Conſule not. (40) ad Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 8. (59) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 11. cit.

Grimoaldus Lupum Forojul. Ducem superat. Avarum Regem ad pacem compellit. Magna auri summa eidem proposita, Bertaridum illic degentem sibi tradi postulat. Sed barbari Regis fides Bertaridum servat.

* An. DCLXIV. DCLXV. DCLXVI.

X. * Sed ut ad Langobardicas res revertamur, Grimoaldus Rex (60) filio & Benevento conservatis, Ticinum victor reversus novum hospitem invenit ex Aula ipsa exterminandum. Lupus enim Dux, cui Regni administrationem commiserat, Regem tot implicitum bellis nunquam Ticinum rediturum sperans, praeclarum, ut joco dictum apud Tullium, se ovium Custodem absente Rege praestiterat. Spe sua frustratus, reformidans Regis adventum, & scelerum, quae Ticini patraverat, conscientia convictus in suam Forojuliensium ditionem se recepit Regis offensi iram declinaturus; ibique apertae a Grimoaldo defectionis signum sustulit. Indignatus Rex, ac metuens in perduellem arma inferre, ne civili excitato inter Langobardos bello Regni tranquillitas nondum confirmata periclitaretur, Avarum Regem (quem ii sua lingua *Caganum*, seu *Cacanum* appellant) permovit, ut Forumjulii invaderet, & sibi illatas injurias ferro alieno ulcisceretur. Avarum Regi placuit Grimoaldi consilium, utpote ad amplificandos Hunnorum fines aspiranti. Qui ocyus cum copiis Lupi ditionem excurrens populabundus & obvium cum exercitu Lupum habens, pertinacissimam per quatriduum pugnam conseruit; atque ancipiti per triduum belli fortuna, tandem quarta die profligatis ejus copiis, & Lupo ipso interempto, regionem omnem libere lateque ferro & igne vastavit. Poenituit Grimoaldum dati *Cacano* consilii, & sumptae supra votum de Lupo vindictae. Quare Ticino egressus cum militibus Grimoaldus ipse, ut illos Avarum motus ad damna Forojuliensium comprimeret, incusso novi belli metu, additaque fraude, qua immensam a se duci armatorum multitudinem simulans easdem cohortes hostium oculis saepius mutato habitu objecit, Hunnorum furorem mitigaturus, ipsos ad

(60) Idem Lib. 5. cit. Capitib. 17. 18. 19. 20. & 21. Murator. haec omnia refert ad ann. 666., De Rubeis ad ann. 664.

pacis consilia revocavit. Hunnis in suos fines redactis aut compulsis, arbitror inita hoc tempore inter duos Reges vel per se, vel per legatos, prodendi Bertaridi consilia. Siquidem Grimoaldus Barbari animum tentavit, ut Bertaridi in ejus Regno commorantis caput venale pretio proponeret, pollicitus se, *Cacano* solidorum auri modium plenum daturum, si exulem Regem sibi tradidisset; secus pacem secum firmam non fore. Horruit proditionem Barbarus, & Grimoaldo humanior oblatam pecuniam excelso animo repudiavit, & fidem Bertarido datam auro præferens perfidum Grimoaldi propositum evertit. Adscito tamen Bertarido, *Cacanus* eidem suasit; ut ab se recederet, ne Avares cum Langobardis inimicitias contraherent. Hujus facti seriem partim ex Paulo (61) hausimus, partim ex Bertarido ipso, ex cujus ore juvat totam Grimoaldi machinationem excipere. Bertaridus enim, quum aliquot post annis in Solium restitutus splendide recusasset pecuniam a Britannis sibi oblatam, ut Wilfridum Eboracensem Episcopum ab iis expulsum & a se benigne exceptum vetaret Romam progredi, ac per vim retineret; eidem Episcopo suam veterem & illius recentem calamitatem sic exponens inducitur ab Eddio (62) in *Vita* ejusdem S. Wilfridi I. Eboracensis Archiepiscopi: *De Britannia inimici tui nuncios ad me mittentes, suis sermonibus salutantes me, & dona mihi maxima promittentes, si te subterfugientem, ut dixerunt, Episcopum angarizarem, & ad Apostolicam Sedem tendentem retinerem; quibus tam nefariam rem renuens dixi: Fui aliquando in die juventutis meæ exul de patria expulsus sub pagano quodam Rege Hunnorum degens, qui iniit mecum fœdus in Deo suo Idolo, ut nunquam me*

(61) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 2. Vide Murator. ad ann. 664. Maurin. PP. *Art de verif. les Dates*, verbo *Grimoald*, ad ann. 663. (62) In Notis ad Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 2. nota 3. Murator. ad ann. 664. cit. Vide infra Cap. VIII. Sect. V.

inimicis prodidisset vel dedisset. Et post spatium temporis venerunt ad Regem Paganum sermone inimicorum meorum nuncii, promittentes sibi dare sub jurejurando solidorum aureorum modium plenum, si me illis ad internecionem dedisset. Quibus non consentiens dixit: Sine dubio Dii vitam succidant, si hoc piaculum facio irritans pactum Deorum meorum. Ego vero, quanto magis, qui Deum verum scio, animam meam pro totius mundi lucro in perditionem non dabo? Tunc vero (prosequitur Eddius ipse de Rege narrans) *sanctum Pontificem nostrum, & suos socios cum honore & ducibus, sicut eum Dominus, ubique in peregrinatione protegens, magnificavit, ad Apostolicam Sedem olim optatam in gratiarum actione remisit.* Indicat etiam hisce verbis Bertaridus, se per *spatium temporis*, videlicet triennium circiter, apud Regem Avarum fuisse: neque enim iniri proditionis hujus consilia potuerunt, nisi post Beneventanam expeditionem confectam, quam Muratorius ad annum DCLXIII. adjudicat. Fugerat quippe Mediolano miserrimus Rex anno, ut (63) vidimus, DCLXII. Bertaridus ergo summo Dei auxilio, qui *reprobat* (64) *consilia Principum*, per barbari Avarum Regis invictam auro fidem servatus incolumis domicilium propere mutavit.

Bertaridus exul Grimoaldi fide prius accepta ad eundem se confert. Honorifice ac benigne habitus, paulo post Tyranni suspicionem incurrit, qui de eo perdendo consilia agitat.

XI. Sed sive desperatione salutis, sive Grimoaldi fidei nimium confisus, in eos ipsos, quos feliciter evaserat, laqueos voluntarie se induens hoc iniit consilium, ut vitæ tranquillitati consulturus ad Grimoaldum ipsum supplex veniens se vitamque suam illius potestati permitteret. Igitur (65) cum Hunulfo sibi fidissimo comite ex Avarum ditione in Langobardiam veniens, postquam Laudensem urbem ignotus omnibus introivit, ibidem subsistens, Aulicum eundem, qui comes itineris fuit, Ticinum præmisit; ubi cum Rege habito colloquio, Domini sui consilium aperiens, securum Bertarido, in-

(63) Vide sup. pag. 552. (64) *Ps.* 32. v. 10. (65) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 2. cit.

terposito Grimoaldi jurejurando, ad Urbem & Aulam Regiam aditum impetravit. Redux legatus ubi omnia tuta esse nuntiavit, Ticinum cum ipso properat Bertaridus, atque ad Grimoaldum introductus, primò Regis pedibus advolutus, atque ab Ipso clementer ad oris osculum erectus: Per fidem tuam, inquit, tuamque dexteram non tam bello & præliis, quam promissis & fide firmiorem, pacem & tutum domicilium rogaturus venio inermis, jamdudum exul, servitutem passus regno diuturniorem: quis fuerim oblivíscor, qui sim cognosco: servus sum, & diu cum ethnicis versatus sub tua malim fide exinde vivere. Cui Rex: Meam, ait, quam fidem implorasti, habebis, imo & Regiam tutelam: ita me Deus amet, ut nihil de meo amore a te desiderari patiar: exinde sedes hìc digna & certa alimenta vitæque commoda tibi sunto: meum erit qui fueris reminisci, tuum qui sis meminisse. Nec plura. Palatium in Urbe ipsa ad habitandum instrui atque apparari jubet; quæcunque autem necessaria ad victum, regio sumptu largius suppeditari. Diutius latere non potuit effusa in veterem olim Mediolanensium Regem Ticini receptum Grimoaldi liberalitas, neque novi Hospitis nomen. Incredibiles civium atque exterorum concursationes ad ejus domum fieri cœptæ. Alii scilicet officii causa veterem Dominum salutaturi, plerique beneficiis a Patre aut Fratre ornati; nonnulli visendi studio; aliquot miseratione commoti; omnes demum in tam imprudentis consilii admiratione defixi, in utramque partem de illius exitu libere, ut assolet, disceptabant. Grimoaldo denunciabantur ab Aulicis hæc dicteria & hominum judicia, quæ emanabant in vulgus, & recepti Exulis invidiam crebris sermonibus apud Regem identidem onerabant. Hinc Regem subiit sensim facti pœnitentia; utque apud Tyrannos suspicionum plena sunt omnia, Rex fidei Bertarido datæ primum pertæsus,

atque beneficentiam, certe sibi gloriosam, imprudentiæ damnans, subeunte etiam Regni amittendi metu, facile in id consilii tandem est prolapsus, ut sacramenti & fidei datæ oblitus perdendum tollendumque de medio Bertaridum omnino constitueret.

Bertaridus per Aulici fidem Grimoaldi insidias eludit, & feliciter in Franciam evadit.

XII. Itaque deliberata æmuli Regis morte, ut vim inferendam dissimularet, Apicianam cœnam illi apparari, atque ministros suos largius vinum infundere Bertarido jubet, quò tutius mero madidus & somno sepultus *de sua nihil salute cogitaret*. Forte fortuna, qui Grimoaldi mandata exceperat, & totam machinationem Regis intellexerat, vetus Aulæ minister in obsequio Ariperti Regis fuerat, qui Bertarido regium ferculum deferebat. Is miseratus Filii conditionem & impendens ea nocte misero fatum; quum primam cœnaturo apponeret mensam, inclinato subter mensam capite, veluti salutationis ergo, clam proximum mortis periculum & Regis consilium aperit, monetque, vino abstineat. Bertaridus pincernam sibi fidissimum ad se ocyus evocat, atque argenteo, quo utebatur, poculo aquam semper loco vini infundi jubet. Paret mandato, qui poculum ministrabat; quumque accumberet mensæ, initio & sæpius in æstu convivii poculum poscit seque pleno haustu ingurgitat, ut scenæ serviret. Rogatus sæpius a Regis exploratoribus, ut Grimoaldo salutem propinaret, plenum calicem plenis faucibus hausit impiger, semper in speciem temulenti hilaris, & linguax blatero, & veluti æstuans gaudio. Remota secunda mensa, cœnatus lectum sibi sterni deposcit. Tum a Rege missi rem optime succedere rati ad Grimoaldum redeunt, cœnæ seriem pandunt, jacentem lecto, somno sopitum, vinoque madidum Bertaridum gestienti præ gaudio Regi denunciant. Illis abeuntibus Bertaridus mente sanior exploratoribus atque ipso Rege incœnato, obseratis cubiculi foribus, Hunulfum suum, & famulum, qui rem vestiariam administrabat,

ſtrabat, in conſilium advocat; & proditionem Regis ea nocte erupturam, ſibique a veteri Patris famulo expoſitam, enarrans, & temperantiam ſuam a vino ſobrius exponens, conſilium ex tempore capiendum rogat, inſtante jam vitæ periculo, quod deliberationi immorari non pateretur. Grimoaldi ſententiâ, ad eos converſus inquit, morte dignus ſum: ſuprema mihi iſta nox erit: temulentum me, ut putat, Tyrannus parat opprimere: ſobrius ſum: vivam veſtra in me fide, ut hactenus vixi: ſi mihi præſto eſtis in hoc rerum diſcrimine, ſalvus ſum. Bertaridi verbis & periculo corroborata ſervorum fide, in arena id conſilii ceperunt, ut loco Bertaridi Veſtiarius famulus in lecto decumberet poſtpoſito mortis metu, quæ Domino intentabatur. Hunulfus vero in ſe recepit, ut incolumem Dominum ex ea domo educeret. Is itaque induto in bajuli ſervi ſpeciem Bertarido, & centonibus involuto capite, ejusdem humeris culcitram & ſtragula lecti ſui impoſuit, atque injuriis & fuſte illum proſequens, ut e ſcalis prompte deſcenderet, & domo illa, imo ganea egrederetur, clamitans & culcitram verberans urgebat. At Bajulum, ubi ad oſtium advenit, circumſtetere armatæ excubiæ a Rege paulo ante præmiſſæ & circa muros habitationis illius diſpoſitæ. Ad eos converſus Hunulfus, plectendo, urgendo, & acrius clamando, hanc, ait, mihi culcitram & ſtragulum ſtraveram apud meum Dominum dormiturus; verum ebrioſi illius graveolentem & vinolentam crapulam ferre non poſſum, qui ſomno & vino ſepultus ebrius ſtertit in lecto: Superi illum ebrioſum & temulentum perdant: ego, ut ſomnum capiam, domum meam cum culcitra repeto. Cognita Hunulfi apud vigiles notiſſimi voce & querela, egredienti bajulo & Domino viam aperiunt. Qui per aliquot vicos errantes, demum ad urbis mœnia Ticino flumini propiora ambo deveniunt; ubi depoſitâ bajuli perſonâ Bertaridus per

paratum demissumque ab Hunulfo funem e mœnibus promptè dilabitur, atque alteri ex equis inibi forte pabulantibus quam celerrime insiliens salutem vitamque sibi citatissimo cursu eadem nocte intra Astensem sibique amicam, & adhuc (66) Grimoaldo rebellem, urbem receptus felicissime comparavit: unde postridie pari felicitate transgressus Alpes, Italiæ claustra, sive in Neustria, sive in Austrasia Francica usque ad annum DCLXX. securus latuit. Auspicatissimam noctem illam, quæ Februarii Nonas præcedebat, memoriæ posterorum postea consignavit Bertaridus, cum in Solium Langobardicum sexto post hanc fugam anno restitutus Templum *S. Agathæ* (67) cujus in ipsas Februarii Nonas incidit festum, grati animi monumentum dedicavit.

Grimoaldus Hunulfi Aulici, & alterius servi fidelitatem erga Dominum suum admiratus, utrumque regio animo absolutum, & cum pecunia, dimittit. Bertaridus interim in Francia tutè subsistit.

XIII. Interea Hunulfus servati Bertaridi apud Grimoaldum reus, ejusque iram veritus (68) in asylum etiam Regibus verendum, nimirum Ticinensem S. Michaelis Basilicam confugerat. Vestiariæ autem rei Præfectus quousque illucesceret, obserato ostio, futurum rei exitum insomnis exspectabat, ignarus, tragicusne, an comicus esset futurus. Hærebat animo anceps uterque: inde concepti feliciter doli eventus utrumque solabatur: hinc obversabatur menti irrisi furor Tyranni; donec illucescente postero die sollicitus de morte æmuli Regis Grimoaldus primo statim diluculo armatos in Bertaridi domum præmittit, imperans, ut ad se quantocius adducatur. Mandatum exsequuti milites ingrediuntur domum, & rectà ad cubiculum veniunt. Obstrepunt ostio firmiter clauso. Vestiarius famulus ominatus, quid rei esset, postibus occlusis clamat, sinant Bertaridum crapula adhuc gravatum in altam lucem quiescere. Nuntiatur Grimoaldo famuli responsum, quo irritatus re-

(66) Sic addunt *Pauli Diac.* Codd. Lindenbr. Ambrof., & Modoet. Vide L. 5. C. 2. not. 16.
(67) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 34. V. infra pag. 579. (68) Idem Lib. 5. cit. Cap. 3.

posuit, ut dormientem aut vigilem ad se adducant. Quare regressi milites, vi impulsis foribus & eversis cardinibus furenter ingressi, oculis Bertaridum undique inquirentes nullibi intuentur, totamque perlustrantes domum diligentissime, & nullibi reperto, ejus loco captivum famulum adducunt ad Regem, aut doli auctorem, aut fugæ Bertaridi futurum testem. Interritus iste Domini sui salutis obses per medios milites ante conspectum Regis ut stetit, tanquam læsæ Majestatis reus accusatur. Particeps consilii Hunulfus quæritur, ut in judicio sistatur. Ille, ut innuimus, quum in S. Michaelis Basilica versaretur, atque per vim extrahi nefas ac religio esset, oblata Regis fide & sacramento, vim ab eo omnem ac vitæ periculum absfuturum, alacer ad Aulam pergit. Proditionis apud Judices insimulatus causam suam & socii agit viriliter ac tuetur, & conversus ad Judices: inauditi prorsus criminis, ait, uterque accusamur: Dominum nostrum vitæ etiam periculo servavimus: de fide servorum nulla instituenda quæstio unquam fuit: uter nostrum melius & fortius fidelis fuerit, inter nos dumtaxat videtur inquirendum. Rex ipse admiratus Hunulfi constantiam, rei sententiam calculo suo confirmavit pronuncians, fidem servorum utique omnino criminis expertem esse. Imo invidens Hostis sui tam præclaros Aulicos nacti felicitati, ad suas utrumque partes conatus est allicere, ingentia præmia atque opes pollicitus, si eandem sibi, quam Bertarido præstiterant, fidelitatem obligarent. Utriusque responsum (69) majore adhuc admiratione perculit Grimoaldum, quum dicerent, malle se Bertaridum in exilio sequi, ejusque ærumnarum participes esse, quam ejurata Domini sui fide inter regias opes & munera gradu & dignitate fulgere. Porro tantæ fidei miraculo Rex obstupuit; neque eorum constantia vinci fidem suam passus, liberum

(69) Lib. 5. cit. Cap. 4.

utrumque dimittens atque omni abſolutum nota, omnia ad ſuſcipiendum iter commoda & opportuna ex ærario iis præberi animo vere Regio juſſit. Probe quidem eo temporis momento intellexit, quanto Tyrannus intervallo a Rege legitimo diſtaret; quoniam ille in Subditorum corpora, hic etiam in eorum animos dominatur. Bertaridus ubi primum (70) Auſtraſiæ aut Neuſtriæ Francicæ fines attigit, atque in tuto extra periculi aleam conſtitutus, Regis (ea tempeſtate, ſi Francicis Chronographis (71) fidem habemus, aut Auſtraſiæ Childerici II., aut Neuſtriæ Chlotharii III.; de utro autem Gallici Scriptores diſputent) patrocinium imploravit; quo tectus inter fortiſſimam nationem verſari cum dignitate & quiete poſſet, meliorum temporum ſpe ſuſtentatus. Vetus inter hos Reges vigebat affinitas, ut ſuperius (72) in regno Rotharis expeudimus, ubi Gundebergam Theudelindæ filiam in Solium reſtitutam a Marito narravimus ope legati Francorum, propter ipſorum Regis cum Bajoarica ſtirpe affinitatem. Iiſdem porro vinculis cohærebat cum utroque horum fratrum Regum, Chlodovei II. filiorum, Bertaridus eadem Bajoariorum ſtirpe progenitus, utpote nepos Gundoaldi Aſtenſium Ducis, ex quo progenitus fuerat Bertaridi pater Aripertus.

Spe ſua fruſtratus Grimoaldus Francos in Regni fines irruentes proſpero ſtratagemate opprimit.

XIV. Sub idem tempus poſtquam in Galliæ finibus verſabatur profugus Bertaridus, ſcribit (73) Paulus Diaconus, egreſſos e Francicæ Provinciæ finibus Francos cum copiis, & Alpes ingreſſos, in Taurinatem agrum populabundos proceſſiſſe. Utrùm id bellum ſubito, Rege Francorum imperante, fuerit accenſum, an ſponte a Provincialibus ſpe prædæ inflammatis ſuſceptum, Scriptor ille nos incertos relinquit. Quum tamen ex ordine (ſiquis in Paulo ordo eſt) deſcripta prolixè Bertaridi fuga, ſtatim hoc Provincialium

(70) Paul. Diac. Lib. 5. cit. Cap. 2. & 32. (71) Vide ad Paul. Diac. Cap. 32. cit. notam 132. (72) pag. 514. & 515. (73) Lib. 5. cit. Cap. 5. Muratot. ad ann. 665.

Francorum bellum subjungat, pendere animi lectorem ancipitem jubet, an hæc belli scintilla duraturi postmodum belli incendium denunciaret. Verum, quum reliquum Grimoaldi regnum expers discordiæ cum Francis fuerit, irruptionem hanc potius prædonum, quam belli denunciationem crediderim fuisse, ut ipse etiam exitus probavit. Etenim vix audita hostium per Alpes eruptione, Grimoaldus, ut erat manu promptus atque ad omnem vim repellendam æque ac inferendam impiger, & nusquam imparatus, quàm citissime collectis copiis & electis militibus hostilem impetum compressurus, Alpes versus movet exercitum, neque procul ab Astensi Urbe castra locat. Quô primùm infestam cum signis Francicorum aciem adventare videns, ocyus explicatis in ordinem turmis & ad prælium dispositis, jubet integrum illico agmen subsistere veluti ad pugnam ineundam paratum. Deinde vergente ad occasum sole, repente, simulato cum Suis metu, terga hostibus vertit: & desertis castris in apertam fugam totus exercitus in proximos pagos & montes dilabitur. Proinde caverat doli fabricator Grimoaldus, ut, antequam relinquerentur castra, esculentis omnibus, & præsertim ingenti optimi vini copiâ referta abundarent. Ubi demum Langobardi fugientes extra Francorum conspectum fuere; Franci primum ordine, mox invicem permixti in castra impetum faciunt: spe majorum commeatuum erecti in prædam propositam ocyus irruunt: ac prælii metu deposito, hostibus nusquam apparentibus, & ingruentibus jam tenebris, abundè cibis corpora non curant, sed distendunt, in multam noctem mero libere indulgent. Verum, postquam hostes largius se vino ingurgitassent, per tentoria dispersi, obrepente sensim ebrietate, ac somno sepulti, passim humi & in tabernaculis jacentes inermes placide conquiescebant. Sed pervigil id, quod erat, præsentiens Rex Grimoaldus insomnes secum milites, curatis

corporibus, in manipulos & cohortes redactos, & provectæ jam noctis silentio, reducit ad castra, in spem victoriæ erigens, si ordine cuncta agerentur. Ubi ventum ad aggeres castrorum, nulli vigiles, nullæ apparuere excubiæ. Occupato aditu, & primis, si qui erant, obtruncatis, obsessæ castramentationes omnes, & munitæ militibus viæ, nequis impune elaberetur ex hostibus. Dato sine strepitu, ut convenerat, signo, effusi per tentoria militum validi manipuli passim dormientes & crapula gravatos hostes mactant, transfodiunt, jugulant. Cæsim, punctim, ferro, acinace, securibus etiam res agitur. Hinc partim mutili, partim transfossi cadebant: alii saucii sanguinem mero mixtum vomebant: complures, dolorem vulnerum premente somno, plagis æque & crapula confecti antequam evigilarent. Plerique gemitu morientium excitati prius inhærens membris ferrum, quam armatos adesse sensere. Nonnulli inermes, seminudi præ mero, nutabundo gradu ad arma capienda aspirantes statim oppressi, aut mensis indormientes trucidati. Siqui demum repentino metu ad saniorem mentem revocati in fuga præsidium quæsiere, ii stationum hostium ad portas excubantium gladios incurrentes interempti ad unum omnes. Tam crudele spectaculum auctores cædis Langobardi illucescente die postero exhorruerunt. Ille, ubi nocturnum hoc prælium fuit commissum, locus *Rivus* appellabatur, haud longe ab Astensis urbis mœnibus distans, ut Paulus ipse testatur.

Exacto regni quinquennio pacifice vivens Grimoaldus paulatim ad meliorem frugem revertitur. De ejusd. Regis Ariana labe, ac ethnicis superstitionibus.

*An. DCLXVII

XV. * Memorando prælio prospere defunctus Grimoaldus, Ticinumque ovans reversus, firmato jamdudum cum Avarum Rege ab Orientali Regni plaga fœdere; ab Occidentali vero deletis recenter hostibus Francis, & domestico Bertaridi metu amoto, tutissime in utramque aurem & placide conquiescebat. Neque enim Constans Aug. Syracusis Siculæ congestæ prædæ inhians, & Bene-

venti occupandi ſpe jamdiu dejectus, futuri belli ſuſpicione Grimoaldi animum ſollicitabat. Itaque poſtremo ſe ipſum vincere, & ſenſim ad humaniora Rege digna conſilia reducere mentem aggreſſus eſt. Inſita ſanguini & origini Ariana labes naturam ceteroquin egregiam & puerilem ejus ætatem infecerat. Poſtmodum Beneventi Dux adoptionis gratia potius, quam jure nativitatis, electus, Ethnicorum ſuperſtitionibus Arianam fidem magis etiam dehoneſtaverat; uti & ejus filius ac ſucceſſor Romualdus, de quo id aperte legimus in Actis (74) S. Barbati tum Beneventani Epiſcopi, quorum auctor eam ditionem ab Arigiſi tempore hoc vitio maxime laboraſſe teſtatur. Porro Grimoaldus in Ariano dogmate natus atque educatus fuerat. Neque conſtat nativam hæreſim ejuraſſe dum Beneventanum Ducatum regeret, licet prædabundos & inhiantes (75) Montis Gargani prædæ Slavos viribus ſuis atque armis oppreſſerit, non religione ejus loci permotus, ſed ut damnum a Suis averteret. Nam, præterquamquod valde probabile eſt, ejus etiam fratres natu majores Taſonem & Cacconem, qui in paterna Forijulii ditione ſucceſſerant, Arianos fuiſſe, ut Maurini Chronographi (76) teſtantur; mihi viderer ſane magnam Chriſtiano nomini contumeliam imponere, ſi hominem tot ſcelerum immanitate conflatum crederem aliquando Chriſti nomen ejuſque Legem audiſſe, aut coluiſſe. Neque obſtat *Chriſtianiſſimi & pii* nomen a Paulo (77) ex ore Bertaridi veniam

---

(74) In his Actis apud Bolland. Tom. 3. Febr. ad diem xix. pag. 137. §. 5. ſic legitur: *Licet ſub Arichiſo Duce II.* (de quo ſup. pag. 551.) *quem diximus Catholicum fuiſſe, & S. Gregorio M. amicum, plerique* (Langob.) *Fidem viderentur amplexi; tamen adhuc ſuperſtitioſos quoſdam Gentilium ritus uſurpabant, non ſolum vulgus militum, ſed primarii quique, & ipſe quoque Princeps Romualdus Grimoaldi Regis filius. Nam & Viperæ aureum ſimulacrum colebant, & arbori cuidam profanos honores exhibebant, ſuſpenſo ad eam corio animali cuipiam detracto: in quod deinde, equis concitatis, ab arbore recedentes, ſagittas averſi contorquebant & avulſam ab eo particulam edebant.* (75) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 47. (ſeu melius 48. Vide ſup. not. (*) pag. 551.) Murator. ad ann. 650.

(76) *Art de vérif. les Dates* v. *Taſon* &c. (77) Lib. 5. Cap. 2. cit.

& aſylum deprecantis Grimoaldo datum. Vox enim hæc opportuna quidem ad miſericordiam excitandam, & digniſſima Catholico Bertarido fuit; ſed maxime aliena ab religione & ſævitia Grimoaldi, qui paulo poſt revera ne datæ quidem fidei memor (78) de medio tollere niſus eſt Eum, cui vitam & ſecuritatem juratus ſpoponderat. Nativa igitur ſecta & ſuperinductis erroribus vitiatam indolem quum ad juventutem attuliſſet, inde proclivem feciſſet ad bella atque feritatem regnandi libido; ad omne fas ac nefas pronum atque ad barbariem eò audacia projecerat, ut geminorum Regum & Fratrum hæreditatem invaderet, altero eorum ſua manu interempto, altero in fugam conjecto; ut demum communem utriuſque Sororem maritali thalamo ſociaret. Gemebat igitur in Aula paterna a Grimoaldo Ariano occupata Ariperti Filia, latronis, ut dicitur, beneficio vita & Regia dignitate utens; vitâ, inquam, a Tyranno ſervatâ infelix, ereptâ felicior futura; amiſſis fratribus infelicior; regalibus demum nuptiis infeliciſſima: quippe quæ maritum natura, indole, moribus, & religione penitus diſſimilem non diligere, ſed vereri cogeretur. Animo tamen invicta, ſe Reginæ Theudelindæ proneptem non oblita, animum Mariti expugnare tentavit, quo pacto ejus Amita magna Agilulfum ab Ariana avocatum ſecta Deo, Religioni, Virtutique conciliaverat.

Quibus gradibus ſenſim Regia Uxor (quam *Theodotam* appellamus) Grimoaldum ad Cathol. fidem amplectendam alliceret. Qui tandem comitia fieri ſinit pro Mauricilli Mediol. Antiſtitis Succeſſore eligendo.

XVI. Igitur animo repetens Regina *Theodota* (hoc enim Grimoaldi uxori nomen fuiſſe inferius ex *Rhythmo* noſtro, & *Theodotæ* Inſcriptione (79) probabimus) in Catholica Religione aſſerens totam honeſte vivendi rationem, veramque virtutem homine dignam plane conſiſtere, mollioribus verbis laudare primum inſtituta Chriſtianorum, Ethnicorum inſulſa, Arianorum impia dogmata

(78) Vide ſup. pag. 560.

(79) Vide infra pag. 582. & 584.

mata irridere per jocum ſapiens & religioſa Ariperti Filia ſine mariti offenſione cœpit. Mox aſſidua lateri, conſiliis ſuadere lenitatem, feritatem nativam emollire atque etiam illecebris delinire: fugienda Subditorum odia, conciliandum amorem: &, conquieſcentibus jam undique bellis, ad pacis & quietis ſtudia ac populorum felicitatem revocandas cogitationes; quum ſatis jam partum gloriæ, abunde ſanguinis fuſum: inimicos exinde lenitate vincendos. Effuſe demum laudare impertitam ſplendide Bertaridi famulis a Rege veniam: veram eam eſſe gloriam, quæ hoſtium meretur præconia: populorum favorem promerendum virtute: eamque nunquam interituram: beneficia potius numeranda, quam bella. Ad hæc Grimoaldus aliquoties aſſentiri, ſæpius refragari, aliqua improbare, probare nonnulla. Veruntamen, quum in ejus animo quædam apparerent lineamenta religionis, latentes virtutis igniculi prudentiſſimæ Uxoris verbis excitati eum adeo accenderunt, ut tandem rationibus convictus ſenſim ad Chriſtianæ Religionis cultum mentem appulerit. Interea prima in Grimoaldo inclinati & proni adverſus Dei cultum animi ſignificatio erupit anno DCLXVI., quo mitioribus conſiliis uſus ſuſpectas antea Cleri & Procerum coitiones & comitia ſivit congregari, quibus vacua per quinquennium & amplius Ambroſii Sedes Paſtore ſuffecto impleretur. Multa quidem initio regni objiciebantur impedimenta, quominus tam electio, quam inauguratio novi Antiſtitis fieret. Violenta primum Regni uſurpatio, mox crudelis novi Regis indoles metu ſuſpenſos tenebat Clerum atque Primores Urbis. Inopinatus Auguſti Conſtantis in Italiam adventus parem Romanis terrorem incuſſerat. Beneventi tentata obſidio, & Langobardorum ſollicitatum auxilium, imo Grimoaldi contendentis illuc cum copiis expeditio, omne Romanorum cum Langobardia commercium disjunxerant. Novum Forojulienſi agro

bellum ab Avarum Rege intentatum in Venetiam Regem nostrum avocaverat; quo feliciter confecto iterum arma fuerant sumenda adversus Francos. Quare alia ex aliis suborta identidem mala, nunc pravum Regis ingenium, nunc communia Regni damna, vagum ac dispersum Christi Ovile, semper pavidum sine Duce atque sollicitum hucusque tenuerant.

Post quinquennale circiter Interpontificiū Ampellius sufficitur. Pia hujus cum Regina officia. *Joannem* Bergom. Episc., & *Anastasium* Ticin. consecrat. Grimoaldus S. Ambr. Basilicam Ticini ædificat. Suus in Bergom. Eccl. favor. *Faram Autharis* Bergom. Episcopo adjudicat. Ejusd. Regis obitus.

XVII. Tandem ardore Schismatis refrigerato, tepescente Arianorum bello, imo Rege ipso ad Religionis catholicæ defensionem ac tutelam divinitus propenso, communibus populi votis expetitus, Clero & honoratis Viris suffragantibus, electus fuit Ampellius, virtute & sanctitate conspicuus; inauguratus demum post Julium (80) hujus anni DCLXVII. ac consecratus Vitaliani Pontificis anno XI.° Quum vero Uxoris Reginæ, catholicæ Religionis studiosissimæ, operâ impulsum ad ejusdem Fidei morem Grimoaldum dixi, nihil ideo detractum de nuper electi Pontificis nostri laudibus velim, quem regiæ Uxoris sollicitudinis incentorem præcipuum lubens fateor & probe cognosco. Fuit, puto, Ampellius Uxori Grimoaldi, qui Theudelindæ fuerat S. Gregorius Magnus. Quemadmodum enim sanctus hic Pontifex per monita & suavissima Reginæ consilia Agilulphum Romanis infensissimum, & Arianæ perfidiæ defensorem acerrimum ad pacem & catholicæ Ecclesiæ sinum revocaverat; pari item ratione Ampellius post domesticas Godeberti & Bertaridi Reginæ fratrum calamitates hanc Christiana constantia jamdiu armatam, deinde consiliis adjutam permoverit, ut Regis animum flexilem paulatim docilemque ac bene animatum in Christi Fidem haberet. Quo intellecto verosimillimum puto, Ampellium, miraculorum famâ, ut traditur (81) etiam dum viveret, præstantem, ad ipsam Aulam properasse, ubi veritate ac ratione

(80) Vide sup. pag. 524. (81) Lect. *Brev. Ambros.* ad diem 8. Julii.

adeo demum Regis animum expugnaverit, ut mitis ſuaviſſimo Chriſti jugo collum ſubderet, &, ut Remigii verbis (82) ad Chlodoveum utar, *quod incenderat, adoraret*; & *quod adoraverat, incenderet* (*). Erat quippe Regi atque Reginæ ſummopere venerandus tum religionis ſtudio, tum propter Paſtorales virtutes, quibus ille eminebat Epiſcopus. Neque ſolum dignitate Ambroſianam Sedem ac ſua ornavit ſanctitate Ampellius, verum etiam ſui ſimillimos in Provincia excitavit Antiſtites. Vidua Paſtore Bergomatium Eccleſia vix elapſo Ampellii Pontificatus circiter biennio quum novum Præſulem deſideraret, obtuliſſetque *Joannem* (83) cunctis Ordinibus probatiſſimum, Ampellius noſter a ſe inauguratum Sedi præfecit. Regia etiam Urbs Ticinenſis, tum Mediolanenſi Provinciæ ſubjecta, Epiſcopi ſui Anaſtaſii olim Ariani (84) & ſub Rege Ariperto (85) in ſinum orthodoxæ Eccleſiæ recepti gaudio

(82) In ejus Vita inſerta in *Act. SS.* 1. Octobr. pag. 147. n. 64.

(*) Non ignoro, narrationem hanc adverſari rationibus, quas pro *Joanne* Bergomenſi allegavit Cl. Canonicus Lupus (col. 244. & ſeq.) adverſus Saxium noſtrum, qui Joanni *Bono* Epiſcopo Mediolanenſi gloriam hanc converſi ad catholicam Fidem Regis Grimoaldi infeliciter conatus eſt attribuere. Fateor, non potuiſſe Joanni Mediolanenſi, qui ante regnum Grimoaldi deceſſit, id laudis deberi. Veruntamen falſo etiam Lupus hanc palmam *Joanni* ſuo (l. cit. & col. 295. verſ. fin.) adjudicavit. Quis enim antiquus certæ fidei Scriptor deſignavit unquam certo *Joannis* nomine eum Epiſcopum, qui ad Chriſti Ovile Grimoaldum adduxit? Primum hujus opinionis auctorem habemus Joſ. Ripamontium (Dec. 1. Lib. 8. pag. 547.) quem temere ſecutus eſt Saxius. Reor autem Hiſtoricos noſtrates id laudis *Joanni* Epiſcopo noſtro tribuiſſe deceptos ſcilicet auctoritate *Hymni* veteris ſuperius (p. 543. & ſeqq.) relati de S. Joanne *Bono*, cujus Auctor male ſupputavit ejus vitæ annos, teſtatus obiiſſe anno 669., quum revera tum in Ambroſii Cathedra ſederet *Ampellius*. Injecta igitur ab utroque *Joannis* noſtri mentione abuſus Cl. Lupus hanc laudem in *Joannem* ſuum tranſtulit. Andabatarum tamen more uterque incaſſum pugnare mihi videtur. Nam, ſi cujus Epiſcopi opera effectum eſt, ut Chriſto nomen daret Rex ille, primas cogimur *Ampellio* noſtro partes tribuere, qui in Ambroſii Cathedra ſedebat ſummâ ſanctitatis & virtutis famâ, in cujus jure continebantur Epiſcopi Ticinenſis & Bergomenſis. Diploma autem ab eo Rege (Ibid. col. 246.) collatum in favorem Eccleſiæ Bergomenſis non probat, per ea tempora Regem ad Fidem converſum, ſed ſupponit, jam fuiſſe Catholicum.

(83) Vide ſup. pag. 538.

(84) Vide ſup. pag. 523.

(85) Vide ſup. pag. 537.

triumphavit. Qui tam probatæ per integrum decennium resipiscentiæ, religionis, solidæque fidei indicia præbuit, ut Ampellius noster dignum censuerit, qui *Magno* catholico Antistiti decedenti anno DCLXXIII. rite sufficeretur. Is virtutum deinde omnium & sanctitatis exemplar dignus etiam fuit, ut Sanctorum numero accenseretur. Mox ejusdem ad Christum conversi Regis religionem ac munificentiam sensit Ticinensis Ecclesia, quum hic S. Ambrosio communi patrono, & acerrimo a se repudiatæ hæresis hosti, Basilicam ibidem excitandam curaverit eamque regio splendore, ut par erat, dotatam ad sacra a Clero obeunda adeo accomodaverit, ut suæ sepulturæ delegerit locum. Hæc præclara suæ religionis monumenta mihi videtur Grimoaldus in oculis omnium defixisse post regni sui primordia turbulentissima, & post Bertaridi fugam secundam apud Francos, & saltem quadriennio ante obitum suum, vix postquam scilicet Ampellius ad Sedem Ambrosii evectus fuit. Quum enim Paulus (86) de hujus Regis morte disserens jam *dudum* a se ædificatam eam Basilicam testetur, certe aliquot ante obitum annos designat. Probabiliter itaque Catholicus jam fuit Grimoaldus vix post Ampellii electionem, quo tempore *Joannes* nondum erat Bergomensis Episcopus. Regia item munificentia jam prope suæ vitæ exitum, ut Cl. Lupus (87) demonstravit, in Ecclesiam Bergomatem eluxit; quum eam nobili (88) Diplomate, Cuniberti deinde Regis, postea trium Augustorum Carolingorum auctoritate confirmato, illustraverit & auxerit, quo *Fara Autharis* sive *Authareni* in perpetuum possidenda eidem adjudicaretur. Nacta igitur Grimoaldum Religionis catholicæ prius hostem, deinde acerrimum defensorem triumphali gaudio Bergomensis æque ac Mediolanensis exsultavit Ecclesia:

(86) Lib. 5. Cap. 33. (87) col. 295. in fine. (88) Diploma Caroli III. Imp. apud eund. Lupum col. 246. & 937.

atque hæc quidem metu ac periculis hostium liberata, illa autem patrimonio aucta, quod centum fere annis antea Rex *Autharis* Arianis attribuerat, ut Lupus ipse Bergomatis Ecclesiæ monumentis egregie (89) probavit. Depulit scilicet, Rege Grimoaldo, SS.us hujus Ecclesiæ Antistes *Joannes* infixam alte atque visceribus suæ Diœceseos hærentem Arianorum pestem, quos a veteri *Farensi* possessione penitus antea exturbaverat, ipso Rege olim Ariano, nunc auctoritatem interponente & patrono usus felicissime. Veruntamen ferme gestientis præ gaudio Italicæ Provinciæ acclamationes ac plausus haud prorsus opportuna mors repente obruit atque intercepit *. Insequente enim anno Langobardico Regno egregium hunc Moderatorem, Legumque (90) latorem eripuit: ipsiusque corpus in ædificatam (91) a se Ticini & Sancto Ambrosio nostro dedicatam Basilicam fuit illatum. Eundem Regem quum advenisset Langobardica Natio universa horruerat, morientem flevit. Sed cito lacrymas absterfit, imo Subditorum omnium animos abundantiore lætitia persudit inopinata optimi Bertaridi Regis in paternum Solium restitutio; cujus res gestas retexendas in subsequens Caput rejicimus.

*An. DCLXXI.

CAPUT SEPTIMUM.

Sed antequam Bertaridi regni initia statuamus, insistendum prius illius vestigiis reor, dum in Gallia exul & transfuga versaretur. Priusquam illuc iter susciperet, turbata erant ibidem omnia, diviso bifariam jamdiu in Neustriam atque Austrasiam Regno. Quo tempore in eam regionem advenit Bertaridus, anno scilicet DCLXV.,

Bertaridus in Francia exul Britanniâ transfugere meditans, ad paternum Regnum revocatur summo Langob. gaudio. Puerulum *Garibaldum* Sororis filium Beneventum mittit.

(89) col. 937. (90) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 33. cit. (91) V. pag. præced.

regnabat, ut (1) diximus, in Neuſtria Chlotharius III., in Auſtraſia autem Childericus II., qui, in Hiberniam Dagoberto II. octenni (2) per ſummum nefas exacto per Majorem Domus Grimoaldum tutorem ab ejus Patre datum, opera Batildis Matris in Auſtraſiæ Regem fuerat ſubſtitutus. Itaque ab alterutro horum Regum perfugium nactus, tranquillo admodum & quieto animo apud Francos uſque ad annum DCLXX. conquieſcebat. Forte contigit, ut eodem anno Dagobertus ab Hibernia feliciter redux atque ad Francos reverſus patrium Regnum Regnique jura vindicare niteretur. Hiſce Childerici Regis Auſtraſiæ, in qua vivebat, vicibus perculſus Bertaridus exilium alibi permutare ſtatuit, quod clare indicat (3) Paulus Diaconus aſſerens, Dagoberti jura ſua repetentis reditum in cauſa fuiſſe, ut in Britanniam transfugere curaret. Alia etiam ſuberat cauſa, Dagoberti nimirum firmiſſima pax inita cum Rege Grimoaldo, quam teſtatiſſimam ibidem Paulus pronunciat. Inter hoſce Francorum Regum motus & futurarum de Regno concertationum metum, invitatus etiam fortaſſe ab Angloſaxonum Rege, (ideo enim fœdus aliquod interceſſiſſe crediderim cum aliquo eorum Principum, ex quorum genere Hermelindam nomine (4) ſibi nurum elegit Bertaridus, quam Cuniberto filio Rex factus uxorem dedit) in Britannia ſecurioris ſibi ſedis eligendæ conſilium iniit. Is igitur ſive Francici Regni perturbatione, ſive periculi metu, illinc proficiſcens, ad Neuſtriæ fines ubi conſtitit, navim conductitiam (5) illuc per Britannicum ſinum tranſgreſſurus quum primum conſcendiſſet, atque in altum proveheretur; audita repente veluti e litore vox inclamantis poſcentiſque nautas, num in ea

(1) Vide ſup. pag. 564. (2) Vide Enſchen. *Tab. Genealog.* in *AEir SS.* Tom. 3. Mart. pag. XIII., & *Obſerv.* pag. XVIII., Mabill. & al. (3) Lib. 5. Cap. 32. (4) Id. Lib. 5. cit. Cap. 37. (5) Lib. 5. Cap. 33. citt.

Bertaridus duceretur; quumque ibi adesse fuisset responsum, eadem vox iterato indidem insonuit in hæc verba: *Dicite illi, revertatur in patriam suam, quia tertia dies est hodie, quod Grimoaldus ab hac subtractus est luce*. Hisce intellectis Bertaridus jubet ocyus proram obverti, & in vicinum litus remis contendi. Oram consequutus & navi descendens oculis intentis sollicitus inquirit in eam partem, unde vox venerat, at nusquam apparere vidit in vasta & patenti glarea hominem, neque humanum vestigium. Anceps animi primum hæret, atque tridui iter cum longitudine viarum comparans, etsi de rei veritate dubitare cogitur; tamen interprete semper in meliora spe, illam veluti demissam cælitus vocem alacri animo accepit; seque divinitus ad Regnum revocari arbitratus, emensusque totas Italiam versus Gallias citatissimo itinere ubì ad Alpium claustra tandem pervenit, illic se Deo ducente constitisse apertissime intellexit. Neque enim præmissis legatis opus fuit Langobardorum mentes explorare, aut emendicare populi suffragia; quum imo obvios in Langobardiæ limine nationis suæ Primores ultro Regnum deferentes habuerit, Illiusque adventum, quasi divino Numine præmonitos, cum regiis insignibus atque omni Regni apparatu exspectantes. Ticinum itaque communi omnium lætitia atque nationis universæ, ut ita dicam, humeris reportatum, & felicissimo omine in regiam Sedem, a qua novennio jam exulaverat, reductum, solemni pompa tribus post Grimoaldi mortem mensibus Regem inaugurarunt. Ubì primum Aulæ limen attigit, in obviæ sibi Sororis amplexus protinus ruit, quacum fluentibus utrinque præ gaudio lacrymis, hac de recepto fratre, illo de Tyranni manibus Sorore redempta gratulantibus, mutuas uterque vices inter se conferentes, remotis arbitris, protractis in seram noctem lætis confabulationibus, veteris vulneris dolorem, obducta repente cica-

trice, penitus absterſere. Unus utriusque hærebat infixus cordi dolor de Grimoaldi ex Bertaridi Sorore suſcepto parvulo filio *Garibaldo*, & hærede Regni (6) relicto, quem Natio universa repudiaverat, quum Bertarido regia insignia deferret. De hujus filii salute tuendæ quum ambo laborarent, optimum incidit consilium, ut Beneventum ad Ducem Romualdum ipsius Grimoaldi ex *Itta* Conjuge filium remitteretur incolumis; sed veluti pignus atque obses remittendæ in Ticinensem Aulam Rodelindæ uxoris & Cuniberti filii, quos Mediolani inventos atque a Marito ac Patre præ fugæ festinatione (7) desertos invasor Regni Grimoaldus Beneventum itidem ablegaverat. Quibus receptis Bertaridus puerulum *Garibaldum* nepotem illuc transmisit, *Regno exturbatum*, ut Paulus duriore fortasse vocabulo narrat, seu jure Regni privatum a Langobardis, qui legitimo Regi, Ariperti filio, injuste detruso regiam dignitatem reddiderant; ipsa præsertim Matre non invita, quæ fraternum jus hæreditarium a Patre derivatum juri per tyrannidem a Grimoaldo armis acquisito lubens ac volens præoptabat. Revera neque Beneventanus Dux ullam sibi impositam injuriam censuit fratremque receptum inultum semper reliquit; neque de novi Regis jure ullam unquam quæstionem legimus institutam.

S. Ampellii obitus. Ad hujus Sancti sepulcrum crebræ ægrotantiū concursationes. Succedit S. Mansuetus. Hujus Pastoralis sollicitudo. Mirifica inter Constantinum *Pogonatem* Aug., & Bertaridum Regem pro Fide tuenda consensio.

*An. DCLXXII

II. * Eo ipso tempore, quo Regnum universum suo beabat aspectu Aulæ paternæ redditus Bertaridus, Ambrosianam Sedem S. Ampellii mors funestavit, qui anno DCLXXII. postridie Nonas Quinctiles caducam vitam cum beata gloria commutaverat. Etsi enim mortis diem non designet (8) *Catalogus* noster, indicat tamen nostræ

(6) Paul. Diac. l. cit., & Andreas Presb. *Chron.* cit. ap. Murat. *Antiq.* Tom. 1. col. 42. C.

(7) V. sup. pag. 552.

(8) In *Catal.* sic: *Ampelius sed. ann. V. sep. est ad sanct. Simplicianum.* Attamen Bosca in *Martyrol. Ambr.* asserit obiisse die 8. Febr., qua die olim S. Honorati memoria celebrabatur, ideoque ad diem 8. Jul. fuisse translatum illius cultum.

nostræ Ecclesiæ ritus, quæ sacrum ejus natalem quotannis ea recurrente luce colit ac celebrat. Hujus Sancti mortales exuviæ in Basilicam a S. Simpliciano Prædecessore suo erectam collocatæ fuerunt, bonis omnibus illacrymantibus, & de futuri Successoris exspectatione suspensis. Fama est etiam ad Ejus Sepulcrum assiduam populorum factam fuisse concursationem, & ægrotantium præsertim, ob vim salutiferam, quæ exinde (9) manabat. *Divina vero Misericordia* (10), *quæ cito flectitur Matris viduæ lamentatione, ejus præcipue, quæ unici filii morte frangitur; & solam flere non patitur Ecclesiam, sed compatitur dilectæ suæ*, in tam ancipiti rerum conditione duplicem Eliæ spiritum renovavit in Eliseo. Quemadmodum enim paulo antea reducis Bertaridi lætitia in Mediolanensi populo Grimoaldi memoriam ferme obliteraverat; ita nunc multò justius conceptum ex S. Ampellii obitu dolorem suffecti supra omnium vota, & communi gaudio, Successoris electio penitus abstersit. Ex nostro Clero Mansuetus adfuit, quem nescio qua de causa nostrates Scriptores Romanum patriâ faciant, nisi eâ fortasse, ut nobilissimarum Familiarum genus ac stirpem illustrent. Veteres enim Episcoporum nomenclaturæ (11) ante millesimum Æræ Christianæ annum vix ægrè cujuspiam Episcopi familiam, aut genus commemorant. Neque video, cur sub piissimo Rege olim Mediolani regnante, atque in Clero ex optima & semper hoc ævo fæcunda SS. Antistitum schola non occurreret Ampellii Successor, nisi Româ accersitus. Romæ quidem inauguratum a Pontifice summo libentius concederem, abolito jamdiu Consecrationis per Aquilejensem

(9) Vide Lection. in *Brev. Ambr.* ad diem 8. Jul.

(10) Sic ait S. Ambr. *Expos. in Luc.* Lib. 5. n. 89. & *De Pœnit.* Lib. 2. Cap. 7. n. 57.

(11) Vide sup. pag. 91. nota (12) Consule & pag. 554. not. (*b*).

more: præsertim quum regnante Bertarido nulla bella, nullæ dissensiones cum Romanis vigerent, unde cum illis consuetudo dirimeretur, uti Rotharis & Grimoaldi ætate fervebant. Profecto in Ambrosiana Cathedra sedens Mansuetus, feliciora, quam Ampellius, nactus tempora, quum dissipata Ariana lue Ovile congregatum in unum invenisset, apta gregi suo pascua suppeditabat Dei verbo; conjunctisque cum optimo Rege studiis, impios etiam errores, qui ab Oriente Heraclii & Constantis Augustorum Edictis confirmati in Occidentem afflabant, stirpitus evellere conabatur. Opportune admodum ferme quadriennio ante ciderat Constantii cædes (12) in balneo a Syracusano per vim interfecti. Constantinus autem (13) ejus filius in prima juventute vix lanugine in mento respersus, audita patris morte, Byzantio in Siciliam festinanter transgressus, diuturno distentus bello contra Mecetium Tyrannum suscepto, qui Augustus a militibus acclamatus Imperium inibi occupaverat, eo tandem devicto occisoque Constantinopolim victor redierat barbatus, ex quo *Pogonati* nomen accepit. Declaratus Augustus, proavi Heraclii *Ecthesim*, & Patris *Typum* aversatus, Catholicorum ad se animos convertit statim, signumque ad bene sperandum sustulit. Hinc Occidentis Ecclesiæ recreari cœperant metu, ne Orientalium Monothelitarum labe inficerentur. Hac ratione Græci Augusti, Langobardorum Regis, & Mansueti Antistitis nostri studia feliciter admodum in Catholicæ Fidei incrementum optimis undique auspiciis conspirabant.

Bertaridus vix redux ad Regnum S. *Agathæ* Templum cum *Monasterio Novo* Ticini ædificat. Præclara huj. Regis gesta ex *Rhythmo*. Quare illud Templum ac Monast. exstruxerit. Num hoc olim unum idemque cum *Theodotæ* Cœnobio fuerit, tum ex *Rhythmo*, tum ex *Theodotæ Epitaphio* hic recitato disquiritur.

III. Sed gestit animus ad Bertaridum nostrum reverti, cujus religio non solum Augusti conatus egregios æmulabatur, verum etiam longo intervallo superabat. Ille enim primùm ad regiam dignitatem, bonis omnibus plaudentibus, divinitus revocatus, ut

(12) V. sup. pag. 555. (13) Vide infra Cap. VIII. Sect. II.

erat naturâ ad pietatem factus, & diuturno exilio ac servitute ad optime regnandum eruditus, sumptis e religione auspiciis, Templum cum Cœnobio eo ipso in loco, ubi fune per mœnia dilapsus Grimoaldi insidias effugerat, regio sumptu exstrui, & *S. Agathæ* dedicari jussit; destinata enim insidiis & fugæ ea nox fuerat, quæ festum hujus sanctæ Martyris diem antecedebat, ut Ticinenses Scriptores affirmant. Probe scilicet noverat primùm omnium Servatori suo gratiam esse referendam, ut de fratre Satyro testabatur (14) Ambrosius. Divinitus itaque tanto periculo ereptus Deo Templum Servatori consecravit, & ejus Virginis titulum adjecit, quo dies & tempus accepti beneficii in memoriam hominum revocaretur. Hæc omnia exponens Paulus Diaconus videtur tenebras legentibus offundere, quum meo judicio Monasterium *S. Agathæ* a Monasterio *Theodotæ*, de quo alibi loquitur, sejungere videatur. Ecce Pauli verba (15) de *S. Agathæ* Cœnobio: *Monasterium, quod* Novum *appellatur, Domino ac Liberatori suo in honorem sanctæ Virginis & Martyris* Agathæ *construxit. In quo multas virgines aggregavit, rebusque diversis, pariterque ornamentis eundem locum ditavit*. En vero ut loquitur (16) de *Theodotæ* Gynæceo: *Quam* (scilicet *Theodotam* a Cuniberto corruptam) *tamen postea in Monasterium, quod de illius nomine intra Ticinum appellatum est, misit*. Comparo mox Pauli verba cum *Rhythmo* nostro ea ætate (17) Langobardicis litteris exarato. Ibi post *stropham* jam relatam de Ariperti Regno prosequitur narrationem suam Monachus Bobiensis, sive quisquis sit auctor, sequentibus verbis (18) *Subolis* (a) *item bertharith in solium regni suffectus, imitatus protinus exempla*

(a) *Subolis*. i. e. *Sobóles*, scilicet filii Cuniberti Bertaridus.

(14) Opp. Tom. 2. col. 1126. n. 46. (15) Lib. 5. Cap. 34. Vide sup. p. 5/2. & infra 583. (16) Ibid. Cap. 37. (17) Vide sup. pag. 535. (18) Ex Cod. MS. C. 105. Part. Inf. Vide appositam Tab. sup. 536.

patris ad fidem convertere judeos fecit, baptizandos credere, qui rennuerint, gladio (b) *peremere* + *Tutor & rector, amator ecclesiæ, a fundamentis constructor coenobii, ubi & Christi conlocavit famolas, sua praefecit* (19) *germana egregia, ipsas materno amore ut regeret* + Consulo item pretiosissimum hujus temporis monumentum, Titulum scilicet sepulcralem ab juniore *Theodota* alteri ætate majori *Theodotæ* positum; cujus singuli versus (sicut & in *Epitaphiis*, quæ infra (20) proferemus, *Cuniberti* Regis, ejusque filiæ *Cunipergæ*, ac *Thomæ* Ticinensis) ad instar rudis omnino pro ea ætate & incompositi (21) hexametri carminis desinunt. Hic adhuc Ticini servatur in hujus nominis Monasterio, nunc *Sanctæ Mariæ della Pusterla*. Jacebat primùm Epigraphes, candido & polito marmore insculpta, rudibus characteribus bifariam in geminas, ut ajunt, columnas distinctis, in antiquo *Sanctæ Mariæ* delubro intra septa ipsius Monasterii *Theodotæ* sito. Fato nescio quo accidit, ut oculos subterfugerit accuratissimi illius rei lapidariæ Christianæ Collectoris, qui in Codicem Palatinum, a Grutero (22) exscriptum, plura alia Ticinensium vetustissima monumenta transtulit. Gratiæ tamen habendæ cuipiam patriæ antiquitatis amatori, qui primus hunc Titulum schedæ alicui commisit fidelissime exaratum, ut justa litterarum collocatio adhuc exstantium & linearum ordo testantur. Veruntamen, quum Marmor fortasse primitus alto emineret loco, imo esset aliqua ex parte diffractum vel vetustate consumptum, adeo exscribentis diligentiam fefellit, ut primum columnæ utriusque versum aut lectu difficilem, aut calce obductum, atque alia interjecta prætererit, alia interpolaverit. Hanc eandem sche-

(b) i. e. per-imere.

(19) Vide infra Sect. X. init. (20) Huj. Cap. Sect. ult. & Cap. X. Sect. V. & VIII.
(21) Vide Murat. *Antiq. Med. Ævi*, *Diss.* 40. Tom. 3. col. 678. in fine.
(22) *Inscript.* Tom. 2. Append.

dam detritam ac mutilam forte præ oculis habens Pater Romualdus a S. Maria, primus, quod sciam, superiore Sæculo publici juris fecit in sua (23) *Flavia Papia Sacra*; deinde Horatius Blancus in suis (24) ad *Paulum Diaconum* Notis; & postremo Muratorius (25) in *Italiæ Annalibus*. Sed majori infortunio obnoxius fuit hic Lapis, quum depresso interioris *S. Mariæ* Sacelli pavimento peristylum (26) proxime adhærens Sæculo circiter, ut architectonice & figuræ circumpictæ docent, XV.° erigeretur. Tunc enim obtigisse suspicor, ut translatum inde, ubi primitus affixus erat, ac sinistrorsum fabrorum inscitiâ decurtatum subtus januæ gradum, quâ in Delubrum aditus, loco pavimenti sternerent. Quapropter huic superincumbente hinc & inde januæ stipite, quæ reliqua erat post decurtationem Inscriptio partim legentium oculis subtracta delitescebat, partim vero jamdudum ultro citroque commeantium pedibus adeo fuit protrita, ut in extremis quibusque prioris columnæ lineis, & initiis alterius ne verborum quidem vestigium amplius appareat. Tot tandem vicibus subjectum hoc Monumentum omnino deperisset, nisi J. C. D. Joseph Bertolasius Nobilis Ticinensis tunc Canonicus, postmodum Archipresbyter de Ordine illius Cathedralis Ecclesiæ renuntiatus, patriarum rerum indagator diligentissimus, sed quum hæc scriberem immatura heu! morte ereptus, mihi de hac re eum consulenti rem gratam facturus, pene consepultam hanc Inscriptionem anno MDCCXCI. die II. Sept. e latibulo illo extrahendam, & intra aditum ipsius Monasterii collocandam curasset parieti infixam, ut e limine sinistrorsum cuique legenti pateat. Nos quidem hujus Viri labori ac solertiæ plurimum debemus, quòd primus utriusque columnæ versus

(23) Part. 1. pag. 131. (24) Ad Lib. 5. Cap. 37. Nota 157. (25) Ad ann. 700. Vide eund. *Diss.* 40. Tom. 3. cit. col. 681. init. (26) Vide infra pag. 587. & seq.

aliqua saltem ex parte in lucem emerserit, unde Epigrahis sensus maxime illustratur, quòdque alicubi etiam P. Romualdi exemplar & nonnullorum pravè detortas interpretationes in obscuris locis emendaverit. Nos itaque Romualdo ac Bertolasio suppetias ferentibus conabimur aliquid clarius & uberius ex hoc *Epitaphio* exsculpere, quod in *Tabula* hic apposita exhibemus.

Ex utroque monumento simul collato constat, geminas fuisse *Theodotas*, quarum primaSororBertaridi fuit, qui ipsam *S. Agathæ* Cœnobio, *Theodotæ* deinde nuncupato, præfecit. Quare asseritur unum idemque olim fuisse Monast. a Bertarido institutum.

IV. Ex hac Inscriptione manifeste nimium eruitur, geminas fuisse eo in Monasterio *Theodotas*, quarum superstes una alteram defunctam deflet, eique Monumentum dedicat; ipsamque colloquens primò test atur se non posse retexere *Theodotæ* progeniem, dum vixit in Sæculo; transit itaque ad filias, quas *Mater Virginum* (27) *per annos nimium plures* veluti Christo genuit, ut *oviculas pascens*. Mox enarrat caritatis erga eas officia, in ipsis regendis diligentiam, ne *Invidus*, seu Satan ullam ex suis ovibus raperet, severitatem cum lenitate conjunctam, erga pauperes liberalitatem, in delinquentes patientiam, ac magnanimitatem. Quorum virtutum enumerationem emphatice concludit asserens, ingenitas illi quodammodo atque insitas a natura hasce virtutes, *cum tali denique ex Stirpe veniret*, Bajoarica scilicet ac *Regali* (28) unde Theudelinda ac Gundeberga fluxerant; ex quo *nobili Fonte*, propriis aucta dotibus, veluti in *fluvium excreverat*, & Progenitorum suorum decora militaria superaverat. Alteram Tituli partem complectuntur insignia Ejus in Monasterium, cui præsidebat, collocata beneficia, nimirum additum eidem (29) *pulchrum Virginis Delubrum*; Monasterium ipsum, ab Eadem in meliorem formam redactum ac lautiori ædificio auctum, ut vix Regiis palatiis concederet. In hoc Cœnobio degens *Theodota* Junior, postquam Senior naturæ debitum exsolvit,

(27) Vide infra Sect. X. & Cap. XI. Sect. V. (28) Vide infra Sect. IX. sub fin.
(29) Infra Sect. V.

jus alumna inscriptum *

ALILINEASPLENDET
SENTISSTVDIASÆCLI
SVNTQVEPOSSOMVSDICI
SCITPVLCRVMDILVBRVM
INSTAVRASVILIACVNCTA
SITACAENVBIORIDVNT
ECELLENTESMoENIAPRISCA
PRÆTERPALATIAREGVM
EVIBRANTFVNDAMINECLARO
IACVNCTISCOLVNTVR
VNIS " TVATEODOTAE
DIGNITATEMCATHETRAM
AFLICTOPECTOREDOMNA
ORNANSEXCOLVIPVLCRIS
MENSIS APRIL· IND· TERTIA

ri *Theodota* ad amussim convenit, utpote Bertaridi So-
oque ex genere *Bojorum* seu *Bojariorum* in Vindelicia
Cluverio (*Germ. Antiq.* Lib. 3. Cap. 30. pag. 614. init.)
men dederant, idem retinuere quum in Vindeliciam de-
& *Nor.* Cap. 3. pag. 723.) Unde Poeta noster encomiastes
ocabulum pro *Romano*, sic *Bajoarium* mutaverit in *Bojo-*
culptoris, vel Romualdi vitio vox *Bojoleo* pro *Bojoreo*,
l Novill, idest *nobili*. Usitatissima apud Langobard.
utatio. Lege sis *Rhythmum*, quem infra exhibebimus
initio postremæ lineæ desunt aliqua etiam apud Ro-
esset Marmoris frustulum, vel vetustate exesum. Idem
nentum militare belli index, ut toga pacis. *Sagū* sic
cet pro *Sagum*, quæ vox femin. generis ejusdem omnino
n Ex hoc hemistichio satis evincitur Regalis *Theo-*
. 588. 596. & 597. *o* Vide infra pag. 587. & 588.
dest *visitur*. *q* Vide infra pag. 505. *r* Murat.
Et piis exequantur (forte pro *exæquantur*.) O. N. I.
verborum sensus, qui etiam Muratorium excruciavit,
Postremæ vero tres litteræ sic hodie aperte leguntur,
s Alumnis, i. e. *alumna*, ut supra *magnanimis* pro
. *u* Rom. legit *suae*. Murat. habet *sua*.
y Hor. Blancus in notis citt. *sarcophagorum*. Murat.
596. & 572.

quum ſucceſſiſſet hæres (30) *nominis*, *dignitatis*, & *Cathedræ*, non ſine lacrymis Monumentum ponendum curavit nobili *Sarcophago* erecto in Deiparæ Sacello ab eadem (31) exſtructo. Coronidis loco memoriæ poſterorum commendat annum ac diem ejus mortis, quotque annos ſeu Cœnobiticæ diſciplinæ, ſeu potius totius vitæ (32) exegerit. Video ex dictis intento quaſi digito eam mihi deſignari, quæ in *Rhythmo* ſuperius expoſito dicitur Bertaridi Soror, quæque prius per novennium nupta Grimoaldo Regi fuerat. Eandem itaque hujus *Epitaphii* ſimul & *Rhythmi* teſtimonio fulti appellatam fuiſſe *Theodotam* (33) fidenter aſſeruimus. Venio jam ad Scriptores rerum Ticinenſium, apud quos Monaſterium *S. Agathæ* lego utique tanquam Bertaridi operâ conſtructum; ſed omnino a *Theodotæ* Gynæceo diverſum. Iſti quidem Auctores, fusè in *Flavia Papia Sacra* citati, recte ſane nobiſcum Paulo Diacono aſſentiuntur affirmanti, Monaſterium a Bertarido ædificatum ſacrum fuiſſe eidem Martyri; ſed quum iſtud ab altero *Theodotæ* ſejungant, ejuſque erectionem alii (34) cuidam presbytero *Gregorio*, alii Cuniberto in favorem *Theodotæ* junioris attribuant, toto cælo diſſentiunt a *Rhythmo* noſtro, ſimulque ſepulcrali *Theodotæ* Lapide. Ex quibus rite collatis liquidò ſatis conſtabit, unum idemque fuiſſe Monaſterium; quo gemino lumine deſtituti inter Cimmerias tenebras verſaremur. Nam aut fallitur Paulus Diaconus, qui primo aſſerens (35) Bertaridum *S. Agathæ* Cœnobium erexiſſe, deinde Monaſterium commemorans, *Theodotæ* appellatum, videtur ex uno geminum efficere, hujuſque fundationem tanquam ab altero diverſi, ad Cuniberti (*) tempora referre (in quem errorem apprime indu-

(30) Vide infra Sect. V. cit. (31) Ibid. (32) Vide infra Sect. X. & Cap. XI. Sect. V. (33) Vide p. 568. & 584. (34) Romuald. Part. 1. pag. 172. col. 1. (35) Vide ſup. p. 579.

(*) Muratorius, qui in ſuis *Antiquit.*, *Diff. 66. de Monaſteriis Monial.* Tom. 5. col. 497. fidenter aſſeruerat, hoc nobile *Theodotæ* Monaſt. a Cuniberto fuiſſe excitatum, erro-

xerat etiam Muratorium; quum tamen nusquam id manifeste apud Paulum nostrum de Cuniberto legatur, si de Puellarum Monasterio loquamur; neque in *Rhythmo* nostro, qui ceterùm omnes singillatim ejusdem Cuniberti laudes complectitur) aut *Rhythmus* noster falso asseverat, Bertaridum Monasterio *S. Agathæ* a se condito Sororem suam præfecisse. Cui si omnia ad amussim conveniunt, quæ de Seniore *Theodota* describuntur in ejus *Epitaphio* in cognomine Monasterio sepultæ, plane consequitur, *Theodotam*, ut (36) diximus, non aliam fuisse quàm Bertaridi Sororem, ac proinde unum olim idemque fuisse *S. Agathæ*, ac *Theodotæ* Monasterium. Sed cui majorem nos habebimus fidem, num Langobardico illi Scriptori, qui centum

---

rem suum postea emendavit in *Ital. Annal.* ad an. 700. p. 199., aperte confessus saltem jam ante hunc Regem exstitisse; licet penitus ignoraret, unum idemque fuisse cum *S. Agathæ* Cœnobio. Quod quidem nec suspicatus est Romualdus similia testatus (Op. cit. Part. 1. pag. 132. col. 2. initio) ad hoc dumtaxat, ut illorum opinionem refelleret, qui *Fundatorem* faciunt quemdam *Gregorium Virum religiosum* (imo *Presbyterum*, ut in Bulla Eugenii III. apud eund. Romuald. Part. 1. pag. 132. col. 2. post med.) *filium Bertarenæ, magnæ apud Luitprandum æstimationis*. Hic enim tantum ampliator dicendus est ex plurium donatione prædiorum facta huic Cœnobio anno 713., ut ait Boss. ap. eund. Romuald. Quam donationem sub *Gregorii Fundatoris* nomine descriptam habemus in 4. tantum Diplomatis a fundationis illius Monasterii ævo longe distantibus, duobus scilicet (ap. Murator. Op. cit. Tom. 5. col. 601. & 603.) Berengarii I. Italiæ Regis, ann. 898. & 899., quæ tamen spuria esse dubitat Muratorius; tertio Hugonis & Lotharii Regum, anno 932. (Ib. Tom. 2. col. 57.) postremo Ottonis I. anno 964. (Ib. Tom. 3. col. 72.) in quibus singulis eadem semper formula usurpatur: *Insuper etiam confirmamus omnes res, quascumque idem Monasterium longo tempore dignoscitur possedisse a* Gregorio *ipsius Monasterii* Fundatore. Sed nulla amplius *Gregorii* mentio neque in præcedentium Augustorum aut Regum a Lothario I. usque ad Arnulfum, neque in subsequentium Diplomatis ad hoc insigne Monasterium spectantibus. Placeat itaque cum Dufresnio, seu Maurinis PP. in Additam. ad ejusd. *Glossar. Med. & Inf. Lat. v. fundare*, animadvertere, *non eos solum Ecclesiæ vel Monasterii dici* fundatores, *qui primùm Ecclesiam aut Monasterium exstruunt, dotantve ex proprio fundo, sed etiam illos, qui instaurant, vel augent maxime. Cujus rei plura suppetunt in veteribus tabulis argumenta*. Potuit igitur *Theodotæ* Monasterium non condere Gregorius, sed prædiis ac reditibus augere & amplificare; ex quo *Fundatoris* nomen facile acceperit. Nobilissimi igitur illius Cœnobii dignitatem imminuit, qui Regis Bertaridi, simulque ejus Sororis *Theodotæ* Langobardorum sub Grimoaldo Reginæ, in eo ædificando, & ditando sumptum ac liberalitatem supprimit, & gloriam ac laudem in obscuri nominis *Gregorium* transfert. (36) Sup. pag. 568. & 583.

tum circiter post annis ex aliorum dictis aut scriptis suam consarcinavit Historiam, an potius *Theodotæ* Lapidi, quinquennio tantum post Cuniberti mortem exarato, tum *Rhythmo* nostro Cuniberto ipso adhuc vivente conscripto?

Sex inde statuuntur. I. a Bertarido unicum conditum fuisse Parthenonem, a Cuniberto nullum. II. Ejusd. amplitudo. III. Junior *Theodota* quænam fuerit. IV. Utra ex *Theodotis* Cœnobio nomen indiderit. V. Seniorem *Theodotam* Deiparæ Sacellum intra Cœnobii septa ædificasse. VI. Demum hoc Monast. bifariam fuisse divisum.

V. Itaque mecum hæc omnia reputans, & conatus veritatem aliquam ex hisce singulis invicem comparatis elicere, I.um hoc statuo, a Rege Cuniberto nullum Feminarum ædificatum fuisse Monasterium, unicum autem a Bertarido, de quo utique tam Paulus, quam *Rhythmus* noster intelligendus est; unum idemque proinde fuisse ab initio *S. Agathæ* & *Theodotæ* Monasterium a Bertarido conditum, idque abs *Theodota* ejus Sorore in meliorem formam redactum, & amplificatum. II.° tam amplam atque immanem illius Parthenonis ædificationem fuisse, ut ab exteriore *Theodotæ* Monasterii facie usque ad Templum *S. Agathæ* juxta antiquiorem Urbis ambitum porrigeretur. Quam quidem fabricæ instaurationem testatur *Theodotæ* Epitaphium iis verbis:

Auferens vetusta, instaurans vilia cuncta;
Namque domicilia sita Cœnobio rident,
Vultu intuentium præcellentes mœnia prisca;
Nec sunt in Orbe tales præter Palatia Regum &c.

Neque hoc absonum a fide videatur, quum in Ichnographica hujus urbis delineatione (37) finitimum utriusque Monasterii intermedium spatium etiamnum passus amplius CL. non (*) excedat. III.° ge-

(37) Tab. ære incisa Mediol. 1653. & 1654. in calce Op. J. C. Petri Pessani, cui tit. *De Palazzi Reali, che sono stati nella Città, e Territ. di Pavia*. Edit. Ticini 1771. in 4.

(*) Censuit P. Romualdus (Part. 1. pag. 133.) *Theodotæ* Gynæcei partem fuisse Palatium Regale Liutprandi, permotus auctoritate, ut ipse ait, Tristani Calchi, sed verius Paul. Diaconi (Lib. 6. Cap. 58.) qui affirmavit quidem, Liutprandum in suo Palatio ædificasse *Oraculum Domini Salvatoris;* veruntamen subterraneum angustum Sacellum in hoc Monaste-

minas in eo vixisse Moderatrices Cœnobii, quarum utraque *Theodotæ* nomine claruit. Harum autem prima, ut ex *Rhythmo* nostro jam (38) observavimus, soror fuit Bertaridi Regis; altera autem ea virgo, quæ a Cuniberto præ vehementi amore, ut Paulus (39) narrat, corrupta, postmodum in hoc Monasterium se recipiens, sanctèque ibidem vivens sub alterius disciplina, in illius statim Cathedram post Senioris obitum successit: quæ, ut ex *Epitaphio*, huic *dignitatem*, & *cathedram reliquerat* jure quodam Patronatus, quod iis competebat, qui Monasteria condiderant, sicuti pluribus exemplis probatur (40) apud Muratorium. IV.° Monasterium illud, licet unicum, fuisse primùm *S. Agathæ in Monte* nuncupatum, quòd in editiore & præcipiti urbis loco Bertaridus construxerit; postmodum etiam *Theodotæ* appellationem fuisse sortitum ex quo *Theodota* Senior illius Regis Soror illud ingressa est, & ex altera parte, planiore urbis loco, aliud Templum *B. M. Virgini* utique intra septa ejusdem Monasterii excitavit. Quum enim jam ante eximiæ hujus Virginum Matris obitum præclaræ illius virtutes & dignitas maximum Parthenoni decus ac splendorem addiderint; hinc ex quo tempore recens vigebat tantæ Feminæ fama, existimarem statim huic *Monasterio Novo S. Agathæ* additum etiam *Theodotæ*, seu *Reginæ Theodotæ* vocabulum, & jure quidem optimo, si fuit (41) Grimoaldi Regis uxor; quæ promiscuæ appellationes apud posteros subinde inoleverunt. Nemo autem Pauli mihi auctoritatem objiciat, qui ex *Theodota* (42) puella

---

rio adhuc exstans aliud fuisse ab angustiore eo, & ad sacra Sacerdotibus & Clericis obeunda accommodato, quod in suo Palatio ædificaverat Liutprandus, plane ostenditur ex ipsius Palatii loco, quod Pessanus (Op. cit. Cap. 1.) in diversa & dissita admodum Papiensis urbis regione designat, & ex rationibus a Pessano ipso allatis contra Romualdum Cap. 4. §. 6.

(38) sup. pag. 583. 584. (39) Lib. 5. Cap. 37. Vide infra pag. 598. & Cap. IX. Sect. IV. (40) *Antiq. Med. Ævi*. (41) Vide infra pag. 595.
(42) Vide infra pag. 598. cit. & Cap. IX. Sect. IV, & XI.

a Cuniberto vitiata sic nuncupatum innuere videtur. Cur enim criminis sui æternam consecraret memoriam Cunibertus indito hujus violatæ virginis nomine, non autem sanctissimæ primæ Moderatricis & Amitæ suæ religionem & munificentiam in omnem posteritatem propagaret? Præterquamquod ille Historicus *Theodotæ* Senioris Grimoaldo nuptæ nomen penitus (*) ignorabat; neque fortasse unquam ob oculos habuit ejus *Epitaphium*: quare hujus postremæ a se cognitæ vocabulo facile decipi potuerat. Hinc pari errore fortasse *Theodotæ* appellatione Juniorem hanc designavit antequam vitiaretur; quum id postmodum ex quo Deo se in illo Monasterio devovit, obtinuisse videatur, si inscripto Lapidi fides, qui, præter *dignitatem & cathedram*, etiam *nomen* ei relictum a Seniore testatur. Affirmans scilicet Paulus, Romani generis fuisse puellam ab Hermelinda Regina in balneo visam, facile præcoce vocabulo, seu, ut Grammatici ajunt, *prolepsi* usus est, cum illam *Theodotam* appellavit: quod nominis quum Græcæ potius, quam Latinæ originis sit, libentius credam, Langobardos (**) a Græcis, quum sub iis stipendia Narsete duce facerent, mutuari potuisse. V.° Seniorem vero *Theodotam* in Epitaphio descriptam statuo ipsam esse *Reginam Theodotam* muro ejusdem Monasterii depictam, quæ *Deiparæ* Sacellum ædificavit, ut etiam testatur Monialium traditio. Inter varias enim picturas, quæ etiamnum videntur superpositæ arcubus

---

(*) Id ipsum Langobardico Scriptori vitio vertit Hor. Blancus in Nota 76. ad Lib. 6. Cap. 17. pag. 497. col. 1., quod paucas admodum Langobardorum Reginas nominibus propriis designaverit; uti Adaloaldi, Arioaldi, Rotharis, Ariperti I., Liutberti, & Ariperti II.

(**) Pari modo etiam Gothi, multo ante Græcorum stipendiarii, Regem habuere nomine *Theodatum*, Gothica dialecto *Theodahadum*; quum ex adverso Latino sermone utentes Romani *Adeodatum* per hæc tempora Summum Pontificem; itemque Afri & Mediolanenses & Papienses ipsi eodem sensu *Deusdedit* suos Episcopos aliosque nominaverint. Recole, si lubet, quæ superius adnotavimus ad annum 523. sub Theuderico Gothorum Rege, pag. 267., quandam exstitisse *Theodotam* Mediolanensem Agapii conjugem, quorum filius erat *Gregentius* Homeritarum Episcopus.

cujusdam porticus ipsius *Deiparæ* (43) Sacello adhærentis, quasque laudatus Bertolasius censuit esse XV. circiter Sæculi, exstat quoque *Theodotæ* imago stantis, regiis insignibus conspicuæ, dextera manu Templum, læva librum tenentis, lemmate ipsam circumvolante sic inscripto: *Sacellum hoc facultatibus meis erectum vivens colui, moriens non dimisi*: in duabus vero tabulis altera dextero, altera sinistro latere depictis sic aperte legitur = *Regina* = *Theodota* = Quod *Theodotæ* nomen marte suo Romualdus (44) pro *Theuderada* Ansprandi conjuge interpretari voluit. Quamvis libenti animo huic Scriptori hac in parte assentirer, *Theuderadam* videlicet (45) in sacrum hoc asylum probabiliter sibi perfugium quæsiisse postquam ab Ariperto II.° fuerat crudeliter deformata, ibique diem extremum obiisse. Alia suppetit recentior Inscriptio in fronte exterioris Ecclesiæ hujus Monasterii apposita anno, quo novissime, ut credo, fuit ædificata, scilicet: *Virgini. Matri. Studio. Theodotae. Sacrum. MDCIIII.* Quæ tandem utraque brevicula epigraphes egregie consentit cum ejusdem *Reginæ Theodotæ* Epitaphio, ubi sic aperte legitur:

Per te semper Virginis nitescit pulchrum Delubrum.

Quod porro Delubrum, veteri *Deiparæ* titulo nuncupatum, unde nuper extracta hæc Inscriptio, adhuc religiose colitur in Claustro Monialium. Ultimò conjicere licet, post CL. circiter annos bifariam *divisum* fuisse nobile illud Monasterium a Bertarido conditum; atque alteram *Teutbergæ* Antistitæ *Monasterii Novi S. Agathæ* attributam partem; reliquam vero, quæ Delubrum a *Theodota* Seniore *Deiparæ* dedicatum adhuc continet, *Asiæ* hujus Cœnobii Abbatissæ concessam.

---

(43) Vide sup. pag. 580. (44) Op. cit. Part. 1. pag. 132. (45) Vide infra Cap. XI. Sect. III.

De Commutatione rerum facta ante an. 833. inter utriusque Monast. Antistitas, & a Lothario I. Aug. confirmata anno 839. Nullum pene discrimen inter Commutationem, & *Divisionem*. Ergo per hæc tempora primum hujus *divisionis* indicium.

VI. Utinam adhuc exstaret Charta illa aut latens, aut deperdita Commutationis rerum inter *Asiam* Monasterii (*) *Theodotæ*, & *Teutbergam* *S. Agathæ* Antistitas jam antea (**) Lotharii I. Aug. auctoritate divisarum; quam commutationem, sive *divisionem* ipsa *Asia* ejusdem Augusti Præcepto (46) confirmari postulavit anno DCCCXXXIX. Ex eo porro documento Monasterii *divisionis* originem & causas haberemus. Non deerunt fortasse, qui objiciant, *divisionem* hanc non posse intelligi, ex eo, quòd dicatur in Diplomate, bona fuisse permutata inter *Teutbergam* & *Asiam* Abbatissas. Sed nullum video inter *permutationem* & *divisionem* interesse discrimen. Etenim etiam in divisione bonorum permutantur jura dividentium; &, quod antea erat in jure Monasterii *S. Agathæ*, per divisionem Monasterii factam ea pars bonorum & ædificiorum, quæ Monialibus divisis cesserat, in jura Monasterii *Theodotæ*, tunc primum juxta leges *S. Benedicti* (47) erecti, non amplius repetenda transferebatur, atque ideo sanciri eam *divisionem* Imperatorio Diplomate Asia postulabat, ne unquam repeti posset. Simplices siquidem & voluntariæ bonorum commutationes non ulla regia interposita auctoritate indigebant; sed unica niti poterant Notarii seu a Rege missi stipulatione, ut sexcentis constat exemplis inter veteres Chartas obviis, & Regii Judicis subscriptione dumtaxat roboratis, prævia semper celebri illa formula:

(*) In *Diplom.* Lotharii I. an. 833. ap. Murat. Tom. 5. col. 531. legitur *Dodosi*. In *Dipl.* ejusd. Loth. an. 839. Tom. 1. col. 917. *Deodo*. In *Diplom.* Berengarii I. anno 912. Tom. 2. col. 467. & ann. 920. Tom. 1. col. 967. *Deodotæ*, partim vulgo, partim Amanuensium oscitantia corrupta vocabula pro *Theodotæ*.

(**) Ante annum scilicet 833. Exstat enim *Privilegium* (Tom. 5. col. 531. cit.) hujus anni eidem *Asiæ* ab ipso Lothario concessum, quo Monasterii *Dodosi* jam tunc divisi bona & possessiones in suam fidem recipit. Nullum autem isto antiquius Documentum servatur hodie in Tabulario ejusdem Cœnobii.

(46) Apud Murat. *Antiq. Med. Ævi* Tom. 1. col. 917. (47) Vide infra pag. 594.

Commutatio bonæ fidei noscitur esse contractus, ut ad vicem emptionis obtineat firmitatem, & mutuo nexu obligat Contrahentes. Præsto est simile exemplum (48) permutationis bonorum inter Anselpertam Abbatissam Monasterii S. Salvatoris, & S. Juliæ Brixiensis, & Nataliam conjugem Alechis, & Pelagiam Abbatissam Monasterii Laudensis S. Joannis, anno DCCLXI. Igitur & bona, quæ per consensum *Teutbergæ* & *Asiæ* in jura Monasterii *Theodotæ* cesserant, non simpliciter permutabantur, sed concedebantur; atque ideo ea concessio fuit Lotharii Diplomate confirmanda & roboranda. Hujus ergo Imperatoris tempore certum habemus hujusmodi *divisionis* indicium. Quomodo enim conqueri apud Augustum potuisset *Asia* Antistita Monasterii *Theodotæ* de partis sibi destinatæ angustiis, ex quibus preces Lothario admovet, ut ampliores sibi fines assignet *ad augmentum utilitatis ejusdem sancti loci, & supplementum necessitatum ibidem Deo famulantium*; nisi quòd in ea permutatione, aut divisione pars, quæ sibi obtigerat, *Monasterii Novi*, *Theodotæ* Delubro adnexa, muneribus obeundis satis non fuisset? Certe de *Theodotæ* Monasterio antequam divideretur dici non poterat, non fuisse abunde Virginum necessitati consultum, cujus ampla ædificia, ut Inscriptio testatur, unice *Palatiis Regum* concedebant; nisi magna ejusdem pars divulsa esset, reliqua scilicet, quæ usque ad *S. Agathæ* Templum extendebatur. Hinc legimus, a Lothario provisum exinde angustiis Monasterii *Theodotæ*, a *Monasterio Novo S. Agathæ* divisi, spatio pedum in via publica longitudinis LXXXVII., latitudinis XXIX.

---

(48) Apud Murator. ibid. Tom. 5. col. 499. B. ad an. 761. It. apud Puricell. *Monum. Ambros.* n. 145. ad an. 887. It. apud Murat. cit. Tom. 1. col. 305. A. an. 989. Tóm. 5. col. 435. A. an. 1029. Tom. 2. col. 271. B. an. 1034. Tom. 5. col. 437. A. an. 1034.

Hujus *Divisionis* causa ex Instituti permutatione videtur repetenda. Simile hujusmodi *divisionis* in Urbe Mediol. exemplum. De SS. *Columbani*, ac *Benedicti* Institutis in Gallia.

VII. Quod si cum aliqua ratione conjectando prosequi liceat, subolere mihi videtur causa aliqua hujusmodi divisionis *Monasterii Novi* ad Lotharii I. tempora referendæ. Promiscue scilicet tam *Theodotæ* Senioris Delubrum, quam *S. Agathæ*, mihi videntur Langobardorum Regum ætate ad *Monasterium Novum* pertinuisse, cum video Seniorem *Theodotam* in Deiparæ Templo a se condito sepultam, licet prima foret *Monasterii Novi* Abbatissa Virginibus ab ipso Bertarido præfecta; & postea *Cunipergam* filii sui Cuniberti filiam ex adverso in *S. Agathæ* Templo (49) tumulatam, ut ex utriusque sepulcralibus Lapidibus adhuc utrobique exstantibus liquet. Causa igitur aliqua exinde oborta ex uno Monasterio geminum effecit. Hanc si attentius rimari velimus, fortasse in primævi Instituti mutatione ab aliquot Virginibus exoptata sitam esse reperiemus. Neque nova, aut inusitata dividendorum Parthenonum causa videbitur historiæ Monasticæ peritis. Unum profero domesticum in Urbe nostra exemplum, de Monasterio scilicet sub titulo & Regula *S. Augustini*, olim *de Vedano* nuncupato. Quum enim nonnullæ ex ejus Monialibus, post S. Bernardini Senensis in Urbem nostram adventum, *S. Francisci* Regulam profiteri maluissent, ceteræ vero a primæva *S. Augustini* discedere recusarent; caute consultum fuit, ut Monasterii septum bifariam dispertiretur, cujus pars altera sub titulo *S. Claræ* nuper exstabat, altera antiquam *S. Augustini* Regulam & nomen adhuc retinet. Quod igitur etiam ad Ticinense Gynæceum spectat, de quo agimus, conjectura expendamus, quoniam monumentis veritas nondum hactenus patet. Ex Monasticarum rerum scientissimis (50) Enschenio & Cointio didici, non nisi Sæculo IX. inductam in Gallias perfectam

(49) Vide infra ejus *Epitaph.* Sect. X. in fine.

(50) Ap. Mabill. *Præfat. ad Sæcul. II. Benedict.* n. 13. Edit. Paris. 1669.

& unicam S. Benedicti Regulam, *& plurima hac de causa sub Ludovico Pio Imperatore anno DCCCXVIII. in Concilio Abbatum Aquisgrani collecto fuisse peracta. S. Benedictum Anianæ Abbatem huic negotio adhibitum, ob idque concordiam scripsisse Regularum, ut ad amplectendam Benedicti Regulam animi omnium magis benevoli redderentur*. Item Mabillonium, utriusque licet adversarium, confitentem habemus, quod primus omnium (51) S. Donatus anno circiter DCLI. *a Matre Flavia & Virginibus Jussani Cænobii interpellatus Regulam Sanctimonialibus aptavit tum ex S. Cæsarii Regula, tum maxime ex SS. Benedicti & Columbani institutis defloratam, eamque* iis Virginibus nuncupavit, eò quòd sibi objecissent, *Regulas prædictorum Patrum sibi minime convenire, cum easdem viris potius, & nequaquam feminis edidissent*. Quam quidem Regulam idem Episcopus (52) postea ex *SS. Benedicti & Columbani* Institutis earum Virginum usibus accommodatam concinnavit. Idem Scriptor (53) profert Privilegium a Bertefrido Ambianorum Episcopo Monasterio Corbejensi concessum anno juxta Sirmondum (54) Chlotharii III.[i] Regis quarto, scilicet DCLXIV., *ut ipsi Monachi sub Regula S. Benedicti, vel S. Columbani conversari & vivere debeant*; quin plura alia efferam testimonia, in quibus fit mentio apud Gallos Regularum *S. Benedicti & S. Columbani*. Quin imo Historicus ipse animadvertit (55) *unam S. Benedicti Regulam* (nonnisi) *Sæculo VIII. in Gallia viguisse, idque potissimum perfecisse Benedictum Abbatem Anianensem*, sub Ludovico scilicet Pio, Sæculo IX.[o] Notissima igitur apud Francos, imo & inducta *Columbani* Instituta vigebant.

VIII.

(51) In *Vita* ejusdem apud Mabill. ibid. n. 4. pag. 335. (52) Ibidem n. 5. & *Præfat.* cit. n. 10. (53) *Præf.* cit. n. 11. (54) *Concilia Antiq. Galliæ* Tom. 1. col. 502. (55) *Præf.* cit. n. 13. in fine, & n. 18.

Ante Carolingos unicè *Columbani* Regula in Liguria vigebat. *Benedictina* in usu esse cœpit post Carolum M. Ex diverso partium studio pro alterutro ex hisce Institutis oborta creditur Monialium *Theodotæ* & S. *Agathæ* divisio. Illæ primævam S. *Columbani*, illæ S. *Benedicti* Regulam profitentur. S. *Agathæ* Cœnobii vices.

VIII. De Liguria autem nostra vix dubitandum, unicè *Columbani* Regulam in usu fuisse; & (56) multo serius, Imperatorum videlicet post Carolum Magnum favore & Privilegiis, *S. Benedicti* Institutum in Ligurum Monasteria invectum. Florebat scilicet in hac Provincia, ac semper usque ad Sæculum IX. viguit *Columbani* sanctitatis fama plurimis admirandis signis, & Monachorum suorum eximia virtute celebrata. Hinc apud Muratorium observo (57) nullam Regulæ *S. Benedicti* commemorationem fieri in Diplomatis omnibus, quæ habemus Sæculi VIII.[i] Langobardorum Regum tempore, ad Monasteriorum erectionem pertinentibus; & licet Abbatum, sive Abbatissarum in iis sæpe fiat mentio, supprimi tamen nomen Instituti. Porro sub iis Regibus vigebat unice *S. Columbani* Regula, ex qua, & ex *SS. Cæsarii* ac *Benedicti*, flosculos decerpentes Franci novam Regulam Virginibus Deo dicatis accommodavere. Quod *Columbani* Institutum usque ad Sæculi IX.[i] finem perdurasse videtur (58) in Monasterio S. Xysti Placentiæ, cujus ager Bobiensi conterminus. Obsoleverat etiam eâ Langobardorum ætate de *S. Benedicti* Regula apud Italos memoria. Scimus enim, cum Monasterio Cassinensi initio Regni Langobardici funditus (59) exciso ejus Fundatoris Instituta defloruisse admodum, ne dicam intercidisse. Imo legimus, per Regis Cuniberti tempora (60) violatum ejusdem Sancti Sepulcrum a Monachis Gallicis, qui Floriacum atque Aurelianum sacra Benedicti & Scholasticæ Sororis ossa per dolum asportavere; quum simularent, se ad ejus sacros Cineres pernoctare

(56) Recole quæ diximus de Bobiensi Monast. sup. pag. 497. & seqq. Consule & *Epitaph. Theodotæ* in nota *b*. (57) Vide Tom. 5. col. 529. ad ann. 744. It. col. 497. ad ann. 759. It. Tom. 1. col. 667. ad ann. 760. It. Tom. 5. col. 499. ad ann. 761. It. Tom. 1. col. 525. ad ann. 709. It. col. 151. ad ann. 772. (58) Vide Placitum Irmengardæ anni 890., productum anno 903. Ap. Murat. Tom. 1. col. 367. (59) Paul. Diac. Lib. 4. c. 18.
(60) Paul. Diac. Lib. 6. c. 2. Vide infra Cap. X. Sect. I.

ob devotionem velle inter vepreta & diruti Monasterii caprificos sub dio expositos. Quare nonnisi post restitutam Caroli Magni tempore *S. Benedicti* Regulam potuit torquere Moniales, austeræ *S. Columbani* institutionis pertæsas, desiderium ejusdem mutandæ. Par desiderium suspicor etiam *Monasterii Novi S. Agathæ*, sive *Theodotæ*, Moniales nonnullas incessisse adeo, ut partim cum primævo *S. Agathæ* titulo primævam *S. Columbani* Regulam retinerent; partim vero *Theodotæ* vocabulo distinctæ novam *Benedictinam* amplecterentur. Etenim Diplomata *Theodotæ* Parthenonis tunc divisi omnia video nonnisi a Lotharii I. Aug. temporibus initium habere. Tum legitur sub eo Imperatore gemina Monasteriorum divisorum Moderatrix, *Teutberga* scilicet *S. Agathæ*, *Asia* autem *Theodotæ*. Tum inita ipsius Lotharii auctoritate rerum commutatio, quam deinceps anno DCCCXXXIX. *Asia* ab eodem petit confirmari; ex qua commutatione, sive potius *divisione*, dolent *Theodotæ* Virgines angustiorem sibi locum ad necessitates Monasterii obvenisse. Tum, ut exactius observaretur a Monasterii *Theodotæ* ab altero sejuncti Monialibus nova *S. Benedicti* Regula, datus *Inspector* ab Aug. Lothario Abbas quidam *Meramnus*, ut in Diplomate supra memorato anni DCCCXXXIII. Habemus item anno DCCCLXXVII. Carolomanni Italiæ Regis (61) Privilegium, quo præcipitur, *ut liceat eidem Cœnobio secundùm Regulam* S. Benedicti *de propria Congregatione Abbatissam eligere*. Veruntamen infeliciter admodum cessit Monialibus *S. Agathæ* propriè dictis *divisionis* consilium. Ab his nempe retenta *S. Columbani* Regula, & simul invalescente *Benedictini* Instituti propagatione per Augustos deinde facta, sensim consenuit Instituti & Monasterii illius dignitas. Post ferme enim VI. Sæcula, ob veterum Monialium paucitatem, *S. Agathæ* Gynæceum *Cla-*

(61) Apud Murat. Tom. 5. col. 945.

rissis sub Innocentio IV.° anno circiter MCCLII. (62) fuit adjudicatum; donec proxime superioribus annis jussum est profanis usibus inservire: ex adverso *Theodotæ* Monasterium viguit semper ac etiamnum viget. Quæ omnia conjectandi animo, nec temere dicta velim, donec per eruditos Ticinenses nova aliqua, & Lotharium antecedentia Documenta emergant. Neque enim ad rem facit commemoratum in *Privilegio* Guidonis Imperatoris (63) ad annum DCCCXCI. vel DCCCXCII. *Regis Chuinipert* (idest Cuniberti) *Præceptum* in favorem Monasterii *Theodotæ*. In eo enim *Præcepto* continebantur, seu confirmabantur bona & possessio rerum a Cuniberto reapse concessarum Monasterio *S. Agathæ*, sive *Novo*, quando integrum fuerat; quæ deinde res & bona in Monasterii divisione *Theodotæ* Parthenoni obtigerant.

Regi Bertarido unicam fuisse Sororem probatur. Hæc ergo ipsa fuit, quæ Grimoaldo vidua Virginibus præfuit, & *Regina Theodota* appellabatur.

IX. Hisce constitutis atque firmatis, quum satis constent ex allatis monumentis, retexenda jam est Bertaridi hoc Monasterium regio sumptu ædificantis historia, atque ad legentium memoriam revocanda, quæ superius (64) attigimus de Godeberti pactionibus cum Grimoaldo tum Beneventi Duce initis, ut ab hoc copiarum auxilium contra Bertaridum deprecaretur. Convenerat (65) enim inter eos, ut præmium dandi auxilii forent ineundæ cum Grimoaldo Sororis nuptiæ. Ferales hasce nuptias celebratas (66) deinde vidimus, regia Ticinensi Aula adhuc Godeberti a Grimoaldo interfecti sanguine respersa, Regni insuper usurpati dote adjecta. Itaque misera Virgo acerbissimo cædis fraternæ casu & Bertaridi

(62) Romuald. Part. 1. pag. 95. col. 2. Sed erravit is, vel typographus in nota anni 1242., quo nondum Innocentius IV. Cathedram Romanam ascenderat. Certe anno Pontificatus sui XI. Bullam evulgavit Approbationis Regulæ a B. Francisco traditæ S. Claræ, in favorem Sororum Monasterii S. Damiani Assisinatis (*Bullar. Magn.* Tom. 1. pag. 95. n. XII.)

(63) Apud Murat. Tom. 3. col. 43. (64) Sup. pag. 550. (65) Ibidem.

(66) Vide sup. pag. 552.

fuga perculsa atque inter Tyranni manus constituta, reluctante licet animo, assensa fœderi nuptiali, supra votum a Grimoaldo semper in honore habita, Regiæ Uxoris & dignitatem & cultum retinuit. Marito post novennium extincto (67) & Bertarido in Regem a Langobardis electo & revocato, quis dubitet, eam in Fratris contubernio vivere maluisse, neque alibi apud Mariti consanguineos domicilium præoptasse? Nec mihi temere opponi posse arbitror, eam Grimoaldi viduam uxorem, Godeberti & Bertaridi germanam, haud eandem fuisse, quam ipse Bertaridus Monasterio præfecit, ut ex *Rhythmo* habemus. Omnes siquidem Historici, & Chronographi etiam Maurini (68) consentiunt, duos mares & unam filiam ab Ariperto Rege communi Patre relictos: imo & Paulus ipse (69) asserens, Godebertum *Regis filiam*, *suam germanam*, Grimoaldo promisisse, nec semel, sed iterum ac tertiò *Ariperti Regis filiam* appellans, non unam ex filiabus, unicam fuisse testatur. Aut igitur alia ex monumentis producenda est Ariperti filia, aut, si unica fuit, ea ipsa est, quæ vidua Regis Grimoaldi fuit; ea, inquam, ipsa, quam ex *Rhythmo* rescimus Monasterio præfectam, &, ex Epitaphio, *Theodotam* appellatam. Sed, nequa unquam dubitatio subrepat, *Theodotam* hanc fuisse ipsam Bertaridi Sororem & Grimoaldi conjugem, facit (præter *Reginæ* titulum, quo ornatam vidimus in Imagine supra (70) descripta) magnificum illud epiphonema, quod illico post enumeratas regiæ Antistitæ virtutes additur:

Decebat sic denique, tali cum ex Stirpe veniret,
Boioleo ex nobili crescens ut fluvius Fonte
.... *extra saga Genitorum extitit magna*

Peropportune item ad rem nostram facit monostichi sequentis sen-

(67) Vide sup. pag. 575. (68) *Art de verif. les Dates v. Aribert I.* (69) Lib. 4. c. 53. cit. Lib. 5. c. 1. cit. & c. 33. (70) pag. 588.

tentia a Romualdo, uti jam (71) diximus, prætermiſſi

.... REGALI LINEA SPLENDET.

Quorſum hæc, niſi ad intento veluti digito demonſtrandam nobiliſſimam Regum Langobardorum ſeriem, qui *Theodotæ* proſapiam illuſtrant, Theudelindam ſcilicet proamitam, Aripertum I. patrem, Bertaridum & Godebertum fratres, Grimoaldum maritum, Cunibertum & Ragimbertum nepotes, Liutbertum demum & Aripertum II. pronepotes, qui omnes in Regno floruerunt antequam ipſa moreretur?

In Sororis gratiam Bertaridus Monaſt. condit, eique præficit. Egregiæ ejuſd. Antiſtitæ dotes ex *Epitaphio*. De puella *Theodota* a Cuniberto corrupta. De *Theodotæ* Senioris ætate, & anno obitus.

X. Ea porro Regina humanarum pertæſa calamitatum & fortunæ viciſſitudinum, quibus in Regalibus nuptiis fuerat obnoxia, quum cæleſti nubere Sponſo decreviſſet; approbavit Rex frater ejus voluntatem, & Monaſterium pro Sororis voto (72) exſtruendum curavit, quod Regiæ Ticinenſi, ubi cum Grimoaldo eatenus Regina vixerat, nulla ex parte invideret, atque ipſamet Chriſto devota adminiſtraret ac moderaretur. Ædificati igitur prope *S. Agathæ* Templum Monaſterii regimine a *Theodota* ſuſcepto, mirum, qua virtutum contentione ad ſupernum Regnum inclyta Femina aſpiraverit. Partem earum nobis indicat ſepulcro affixum *Epitaphium*:

In grege Dominico (73) paſcens oviculas Chriſti,
Quas fovens docuit, arguit, correxit, amavit,
Invidus ne perderet ejus ex ovibus quenquam.
Frontem rugatam tenens, erat quibus pectore pura,
Cujus abſtinebant a flagellis placidæ manus.
In tribuendo dapes egenis dapſiles erant.
Moribus ornata prodiens, fautrix, atque honeſta,
Patiens, magnanimis corde, dextraque pia.

Tota igitur fuit in Virginibus ſancte inſtituendis; præſertim vero in imbuenda optimis moribus atque ad ſui imaginem formanda

(71) Sup. pag. 580 (72) Vide *Rhythmum* ſup. pag. 580. cit. (73) Vide ſup. pag. 582.

Romani nobilissimi generis Femina, nomine item *Theodota*, in cujus amorem per imprudentis uxoris de illa laudes nimium nepos Cunibertus exarserat, ut satis fuse Paulus Diaconus (74) narrat. Hæc ab ipso Cuniberto in Monasterium missa fuerat sub Amitæ disciplina sanctè pièque erudienda: & postea illius Senioris *Theodotæ* virtutibus instituta profecit adeo, ut post ejusdem obitum magisterio virtutis præcellentior ceteris habita in supremam Cœnobii administrationem a moriente Antistita sufficeretur. Hoc ipsamet in *Epitaphio*, suo nomine *Theodotæ* Reginæ apposito, in hæc verba testatur:

Hoc ergo Theodota alumnis tua Teodotae,
Cui reliquisti (75) *nomen, dignitatem, cathedram,*
Nimis cum lacrimis afflicto pectore Domna
Lapidibus Sarcophago ornans excolui pulcris.

Alumnis hoc loco ponitur pro *alumna*; quemadmodum paulo ante *magnanimis* legitur pro *magnanima*. Ex sequentibus vero marmoreæ Tabulæ verbis, quæ in postrema utriusque columnæ linea continenter legenda sunt...... *Denos duosque circiter annos degens.... egregia vitæ spiracula clausit. D. P. S. II. D. mensis April. Ind. Tertia* = liceat primùm conjectando assequi, quot annos *Theodota* Senior vel inter mortales vixerit, vel in hoc Parthenone exegerit; deinde etiam certum ejus mortis annum eliciemus. Quod ad primum attinet, quum fortasse jamdiu vel diffractus, vel vetustate exesus esset in extremo angulo lapis, valde suspicor excidisse notam aliam numeralem ante *Denos duosque*; scilicet vel *Sexies*, ita ut intelligendum sit, *Sexies denos duosque* circiter annos vitæ suæ explevisse; vel, si placet, *Ter*, adeo ut legendum esset *Terdenos duosque circiter annos* in Monastica disciplina & regimine exegisse. Quod utrumque maxime historiæ veritati consonat, quum probabi-

(74) Vide sup. pag. 586. & infra Cap. IX. Sect. IV. & XI. (75) V. sup. pag. 587.

liter (de quo alibi (76) recurret sermo) tunc sexagesimum secundum ætatis annum ageret; itemque ab anno DCLXXII., vel sequenti, quo Cœnobio præesse cœpit, usque ad Ind. III. anni DCCV., quo obiisse secundo loco probabimus, vere XXXII. circiter anni effluxerint. Siquidem Indictio III. sumenda est post ingressum in illud Monasterium *Theodotæ* junioris, qui *Epitaphium* Seniori inscripsit. Primùm vero arguo cum (77) Paulo Diacono, huic Virgini illatum a Cuniberto stuprum, ex quo jam solus post Patrem regnaret, ideoque non nisi post annum DCLXXXVI. Pronum autem est credere, nonnisi confecto Alachiano bello, anno scilicet DCXCI. (78) eam Monasterio inclusisse. Porro Indictio III. vel spectat ad annum DCXC., vel ad DCCV. At Senioris mors quomodo in priorem ex relatis Indictionibus incidisse poterat? neque enim Junior *Theodota* adhuc tirocinium in illo Gynæceo posuerat anno DCXC., ac multò minus Seniori succedere in dignitate debuisset; neque de Seniore ipsa verè dictum esset in *Epitaphio*:

Mater vixit Virginum per annos (79) *nimium plures*.

quum inter annum DCLXXII., & DCXC. anni tantum duodeviginti circiter elapsi essent. Reliquum igitur est ut differatur ejus obitus ad annum DCCV. Ad complementum hujus Capitis, & amplificandum Regii vere illius Monasterii decus addi coronidis loco potest, quod præter *Theodotam* primam, Bertaridi Sororem, & secundam *ex nobilissimo Romanorum genere ortam*, a Rege Cuniberto nimium dilectam, tertia statim numeratur perillustris hujus Parthenonis Moderatrix *Cuniperga* postremi hujus Regis filia, quam profero ex ejusdem Ellogio in ædium quondam Monasterii *S. Agathæ* limine sinistrorsum adhuc exstante, quod hìc versa pagina ex laudati

(76) Vide infra Cap. VIII. Sect. ult. & Cap. XI. Sect. V. (77) Lib. 5. Cap. 37. Vide infra Cap. IX. Sect. IV. (78) V. infra Cap. X. Sect. ult. (79) Vide infra Cap. XI. Sect. V. cit.

Bertolasii diligentia in geminas columnas divisum apte distincteque legimus; licet perperam, imo etiam mendose alicubi Romualdus (80) & Horatius Blancus (81) continenti utriusque columnæ lectione ejus sensum omnino perturbaverint. Egregiæ hujus Ancillarum Matris virtutes satis emicant nobis primo obtutu ex pretioso hujus Marmoris fragmento. Pulcherrimam speciem cum pudicitia mirifice copulavit. Morum suavitate, vultus hilaritate, sine fuco, mellifluo sermone, erga Viduas ac pupillos beneficentia, vere Cuniberto optimo Patre dignam se præstitit; cujus imaginem non tam animo, quam corpore simillimam in se effinxit.

CUNIPERGÆ
CUNIBERTI REGIS FILIÆ
S. Agathæ Monast. Ticin. Antistitae.

EPITAPHIUM.

† DISCEQVIVELLISNOSSEQVIDTEGITTOMVLVSISTE •	ACVERNA
QVALISETIMAGOPRÆTIOSOCLAVDITVRSAXO •	ERGAQVOSIM
HICADINSTARNIVISMEMBRASOLVVNTVRHONESTA •	QVIQVEEIVS
CVNICPERGAEMATRISDEIANCILLARSVAVIS •	ISTAFVIT
HÆCFVITSPECIEPVLCRASINTERFEMINASPVLCRA •	VIDVISPVP
FACIESERENAOCVLISVERNANTIBVSQVIDEM •	HVIVSLVCIS
FRONTENVBISINSCIALABIISFLVENTIBVSMELLA •	PRÆFVITVIR
VEREPATRISNATACVNICPERTIOPTIMIREGIS •	HVNCHVIC
CVIVSINSETOTVMGESTAVITFILIAVVLTVM •	QVAEABH
ETINQVAPATERNAEDVLCEDOVIGVITMENTIS •	ETDICAT
QUODTESTATURMODOVIRGINUMCOLLEGIUMSACRUM •	XPOSVF

(80) Part. I. pag. 95. col. 1. (81) Nota 144. ad Lib. 5. c. 34.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Bertaridus Judæorum Sectam injecto motu potius, quam immanitate persequitur. Wigilindam ejus filiam cum *Grimoaldo*, Grimoaldi Regis nepote, connubio jungit.

HActenus ad augendam Religionis Catholicæ venustatem *Theodota* cum Fratre conspirans, pudicitiæ custos, & virginitatis, ut ita dicam, dux atque signifera, prima ex Langobardis Monasticæ disciplinæ & castitatis femineæ aram erexerat, & splendido domicilio ornaverat. Mox Bertaridus exemplo incitatus Sororio, quum Regem se meminisset, nec sine causa gladium portare, pia, ut rebatur, arma in ipsos Religionis hostes convertit. Judæi gens Christicolis infensissima, atque in Messiæ odio jam missi, æque ac in exspectatione venturi pertinacissima, in omnes Civitates Christianorum sive ipsorum malis artibus, sive Procerum ac Principum ethnicorum favore jamdudum irrepserat non sine Religionis, ac publicæ tranquillitatis detrimento. Legimus contentiones rixas & incendia inter cives ab hac Secta ubique terrarum abhorrentes sæpius concitata, quæ constant ex Cassiodorii, nomine Theuderici, litteris tum ad Romanos, tum ad Mediolanenses (1) datis. Quare sapientibus ab eo Rege cautum est legibus, ne una pars alteri injuriam inferret. Verum, quum acriores invalescerent tempore Langobardorum & duriores illius Sectæ adversus Christianos inimicitiæ, Bertaridus tot malis extremam injecturus securim, severissimo Edicto (2) cavit, ut quotquot in suo Regno degerent Judæi, ex Christianorum ritu baptismum susciperent; secus capitali supplicio repugnantes afficerentur. Hac ratione aut extremo malo

(1) *Varior.* Lib. 5. *Ep.* 36. & Lib. 3. *Ep.* 45. & Lib. 4. *Ep.* 43. (2) Vide *Rhythm.* sup. recit. pag. 579. in fine & seq.

extremum remedium adhibendum esse censuit Rex ille, ceterùm, Paulo (3) teste, *mitis per omnia ac suavis*; aut sibi ad imitandum proposuit piissimos Imperatores, Constantinum præsertim I. (4) & Honorium. Quorum ille, a primis Ecclesiæ Catholicæ post Tyrannos vix respirantis incunabulis, severissimis Edictis Donatistas perculerat; alter eosdem Africæ perturbatores Proconsulari etiam ferro exagitaverat adeo, ut suos, teste (5) Augustino, habere Martyres insulse gloriarentur. Neque humanitati aut barbariæ adscribendam eorum imperatam cædem putabat Rex, quum Arianos in Oriente ipse Legum lator & custos Justinianus Aug. (6) aqua & igne interdixisset. Pessimo itaque hominum genere ut Regnum liberaret, aut mortis aut baptismi suscipiendi metu proposito, non dubitavit, quin universi sine cæde ulla aut in voluntarium essent concessuri exilium, aut resipiscentes sponte Christo nomen daturi. Sapienter itaque noster Rex lege cavit, ut nullo effuso humano sanguine, quod immanitatis fuisset, solo terrore, quod lenitatis est, illa hominum fæce Regnum suum purgaret. Illud autem maximæ lenitatis in Eo observandum, imo admirandum videtur, quòd, veterum injuriarum oblitus, Grimoaldi Regis nepotem, nomine item *Grimoaldum*, Beneventanum Ducem filiæ suæ Wigilindæ (7) connubio ornare non fuerit dedignatus. Rex scilicet constitutus Regio animo vetustas simultates cum Beneventanis Ducibus obruit plane atque oppressit, & usurpatum sibi Regnum, & diuturnum exilium, & proditam a Gri-

(3) Lib. 5. c. 37. (4) Constantinus Aug. *non solum ignominiæ & turpitudinis notam Ario inussit; sed illud etiam mandavit, ut siquis Librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctaretur*, ut referunt Niceph. Lib. 8. c. 25. & Sozom. Lib. 1. c. 20. Vide & *Cod. Theodos.* Jacobi Gothofredi Tom. 6. pag. 191. S. Aug. Tom. 2. c. 299. G., c. 300. A., Tom. 1. col. 61. A., *Cod. Theod.* cit. Lib. XVI. Tit. V. Honorii Leges XXXIX. & seqq. Tom. 6. pag. 158. & seqq. (5) Tom. 5. c. 552. F. col. 1281. C. (6) *Hist. Miscell.* Lib. 16. in *R. It. Scr.* T. 1. pag. 104. col. 2. A., Murat. ad ann. 528. (7) Paul. Diac. Lib.6. c. 2.

moaldo Rege fidem magnifice se ulturum censuit, si ejus nepotem non solum sincera amicitia, sed Filiæ etiam nuptiis nobilitaret.

Constantinus *Pogonatus* Aug. post devictum Mecetium diuturniore cum *Monothelitis*, & cum Saracenis bello conflictatur. His tandem debellatis, inducias triennales paciscitur.

II. Antequam vero egregia hæc Christianæ virtutis atque moderationis exempla in oculis omnium constitueret, præclarissima jam ediderat religionis & veræ fidei monumenta, quæ non solum per Italiam, sed ubique gentium etiam in Oriente prædicarentur. Jamdiu ab Honorii I. usque temporibus afflata Orienti fuerat *Monothelitarum* pestis, quæ initio per insidias & clanculum serpens, postmodum Imperatoriis Edictis corroborata adeo invaluerat, ut SS. Romanum Pontificem Martinum (8) Pontificatu dejectum atque exulem ad teterrimam mortem adduceret. Hinc quandiu Constans Augustus imperavit ac vixit, obmutuere omnium Bonorum voces, & audaciam Hæreticorum non tolerare, sed deflere ac pati misere cogebantur. Successerat Constanti (9) filius natu major Constantinus cognomento *Pogonatus*, ut diximus, qui decem, quos primum regnavit, annos assiduis in Italia, & in Oriente bellis implicitus nullam afflictæ Catholicæ Religioni, ut optabat vehementer, opem unquam afferre potuerat. Nam, quum a paterno obitu statim a militibus in Sicilia subsistentibus ejusque Patris furorem exosis Mecetio Tyranno tanquam Orientis Augusto acclamatum esset, & hic Imperatoriam Purpuram atque ornamenta lubens a cohortibus accepisset; id ubi sensit hæres Constantinus, ocyus in Siciliam convolavit, & tandem Mecetio interfecto Constantinopolim vix quum remeasset victor, novo se iterum bello premi ad annos complures senserat diuturniore ac multò difficiliore. Etenim Saraceni, natio hoc VII.° , de quo agimus, Sæculo (Hegira enim a Mahumetis fuga initium suum habet anno Christi DCXXII.) in Christiani nominis & Orientalis Imperii perniciem exorta, viventibus Heraclio Constantini Proavo,

(8) Vide sup. pag. 553. (9) Vide sup. pag. 578.

& Constante Patre, infinitis damnis omnem Orientis ditionem affecerant, eamque tam fœde non mutilaverant modo, sed impune ac iteratis undique expeditionibus intra triginta annorum spatium tanquam belli fulmina dilaceraverant; ut Syria, Perside, Judæa, tota Ægypto, ac parte Africæ ademptis, impune infestis navibus per totum quaqua patet Mediterraneum Mare volitarent, & Propontidem usque ingressi * premere obsidione ipsam Regiam Urbem & Sedem ausi, & sæpius repulsi, nunquam tamen adipiscendæ spe dejicerentur. Miserum atque toti posteritati miserandum spectaculum ea ætas tulit, ut, capta a *misanthropis* illis militibus (10) Alexandria, interiret infinita illa librorum congeries, & litteratorum quorumcunque scriptis exarata monumenta, immenso labore atque auro in Museum & Serapeum a Ptolemeis Regibus & Demetrio Phalereo congesta, quæ discerpta (proh dolor!) atque inflammata semestri spatio IV. millia Alexandrinorum balnea tepefacerent. Progressuris hisce in immensum malis obstitit primis suscepti Imperii annis una Constantini *Pogonati* virtus atque constantia. Bis enim absterritis atque depulsis viriliter a Regiæ Urbis obsidione hostibus, imo eorum navibus *Græco igne* inflammatis, postmodum tempestate etiam quassatis, postremò terrestri prælio eorum copiis omnino fractis, reliquam Africæ partem, Numidiam scilicet ac Mauritaniam Tingitanam sibi asseruit, & Asiæ partem a Saracenis intactam, pactis etiam anno DCLXXVIII. cum hostibus triginta annorum induciis, tributo insuper gloriosè victis imposito.

* An. DCLXXIII. DCLXXV. DCLXXVIII.

Augusti Litteræ ad Donum Rom. Pontif. missæ, sed, hoc immortuo, Agathoni successori oblatæ adversus *Monothelitas*. Mansuetus *Synodum* Mediol. cogit. *Synodica* ejusd. *Epist.* ad Constantin. Aug. Utrum Bertaridus Mediolani sedem fixerit. De huj. Urbis dignitate.

III. Quiescente interim Saracenorum bello, finem alteri, quod Proavus atque Pater adversus Religionem commoverant, impositurus, Dono Romano Pontifici (11) litteras dedit Augustus, quibus

(10) An. 641. Vide *Art de vérif. &c.* v. *Omar, II. Calife.* V. Abulpharag. *Dynast.* IX. Arab. p. 181. Lat. p. 114., & Elmacin. *Hist. Saracen.* p. 30.

(11) Ap. Labbé *Concil.* T. 6. col. 593.

rogabat, ut pax etiam Catholicæ Ecclesiæ, damnandâ in Concilio Monothelitarum hæresi, redderetur; ratus nimirum tutius cum hoste firmatum iri fœdus, si pax inter Orthodoxos firmius vigeret. Reddi tamen Dono, superveniente hujus interitu, quum non potuissent Divales litteræ, Agathoni tandem illius successori inaugurato oblatæ ingenti S. Pontificem perfudere gaudio. Quas hic ocyus (12) dignatus Apostolico responso, & conglobatis SS. PP. sententiis Catholicam veritatem proponere atque asserere aggressus, agit Augusto gratias, quòd pio veritatis assequendæ desiderio id tandem rogaverit, ut secluso partium studio Orientales Episcopos & Constantinopolitanum præsertim invitaret ad consentiendum cum Occidentalibus, unde *pax multa* vigeret inter *diligentes legem Domini*, & *scandalum* exinde omne cessaret: veniam ultimò ab Augusto deprecatur, ut liberam unicuique liceat vocem emittere. * Imperatâ igitur hac veniâ, primus omnium sane liberam vocem emisit Mansuetus noster Episcopus, qui commonitus de hac Ambrosianæ Cathedræ dignitate a suis Prædecessoribus, & præteritorum temporum memoria, quando, ut ex (13) Theodorito jam prælibavimus, *Romæ Damasus*, & *Mediolani Ambrosius* totam illustrabant *Hesperiam*, a Majorum suorum vestigiis deflectere indecorum putavit. Non ignorabat, quid pro Ephesino Concilio (14) egisset S. Martinianus, quum ad Theodosium II. Aug. S. Ambrosii Libros De Verbi Dei Incarnatione transmitteret. Neque latebant Eusebii item nostri studia contra Eutychianos, quos (15) congregata Provincialium suorum Synodo damnaverat ante cogendum Chalcedonense Concilium. Incurrebant etiam in oculos (16) S. Datii conatus usque ad mor-

* An. DCLXXIX.

(12) Ibid. col. 630. (13) *Hist. Eccl.* Lib. 8. c. 10. V. sup. p. 5. & 223. (14) Apud Labbé *Concil.* Tom. 3. c. 742. Vide sup. pag. 77. (15) *Concil.* Tom. 3. cit. col. 1334. & seqq. Vide sup. pag. 92. & seqq. (16) Vide sup. pag. 315. & seqq.

tem pro Schiſmate Occidentalium avertendo, antequam *Synodus V.* celebraretur. Quare, nequid de Majorum conſtantia remitteret, decere putavit maximè Ambroſii Succeſſorem, & eſſe Metropoliticæ Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtiti conſentaneum, prævertere Romani Pontificis ſtudia, & congregatis Provinciæ Epiſcopis Catholicæ Fidei veritatem palam aperire ac profiteri. Fultus optimorum Regum patrocinio, imo & præſentiâ (paulo enim antea, anno ſcilicet DCLXXVIII. (17) filium Cunibertum, aſſentientibus omnibus Regni Ordinibus, in ejus ſocietatem adſciverat genitor Bertaridus) non dubitabat Græcorum inveteratam audaciam frangere, & in *Regum conſpectu de teſtimoniis Dei loqui* nullatenus *confundebatur*. Hoc idcirco teſtari non vereor, quod ipſa Manſueti verba teſtatiſſimum legentibus faciunt. Etenim ſive naturali amore in Urbem noſtram incenſus Bertaridus, in qua, diviſo cum fratre Godeberto ex Patris voluntate Imperio, primùm Regiam Sedem collocaverat; ſive amœniore cælo atque aere puriore delectatus, noſtram Urbem
An. DCLXXX veteri Regiæ Ticinenſi præferebat. * Quare nomine *Synodi* ſuæ ad Auguſtum ſcribens Manſuetus, hiſce uſus eſt (18) verbis: *Domino Sereniſſimo atque tranquilliſſimo & a Deo coronato, religioſiſſimo Conſtantino Imperatori Manſuetus Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus, vel univerſa ſancta Epiſcoporum fraternitas, quæ in hac* Magna Regia Urbe *convenit, æternam in Domino ſalutem*. Lubens hæc S. Præſulis verba uſurpo ad leniendum, quin

(17) Murator. *Annal.* ad h. a., licet PP. Maurini, *Art de vérif. les Dates*, id referant ad ann. 677. Cunibertum uti jam a Patre in Regni ſocietatem adſcitum compellat S. Manſuetus in ſua infra cit. *Synodica Epiſtola* ad Conſtantinum Aug. data annò 679. ſic ſcribens: (*Concil.* Tom. 6. col. 603.) *Nos autem omnes, qui ſub feliciſſimis & Chriſtianiſſimis, & a Deo cuſtodiendis Principibus noſtris Dominis Pertharith & Cunibert, præexcellentiſſimis Regibus, Chriſtianæ Religionis amatoribus ſumus, una cum* &c. (18) Vide *Concil. CP. III.* ad ann. 680. in ſalutatione *Epiſt.* Manſueti ad Conſtantinum Imp., in *Concil.* T. 6. cit. col. 601. Vide & notas Binii ibid. col. 577. init. De hac *Epiſt.* vide Paul. Diac. Lib. 6. c. 4.

& imò abstergendum justissimum ex Patriæ suæ calamitate conceptum dolorem ab Excellentissimo Historiæ Mediolanensis (19) Scriptore, qui post imperatum ab Attila & Witige nostræ Urbis excidium putavit Mediolanum inter rudera consepultam jacuisse usque ad Sæculum X., & nullius nominis ac famæ, Modoetiensi Oppido posthabendam, miserrime perdurasse. Itaque in Synodo collatis Evangelii & Patrum testimoniis de Monothelitarum erroribus instituta est quæstio, & sapientissimi Patres congregati rectæ Fidei formulam & professionem breviter conceptam, sed invictam, adversus Monothelitas protulere, atque ad Orientis Augustum trasmittendam curavere.

IV. Hoc loco admodum buccas inflat (20) Paulus Diaconus, effusisque laudibus Damianum Episcopum Ticinensem in cælum extollit hujus *Synodicæ Epistolæ* scriptorem; de qua etsi tanquam verè factum admitterem, ipsa Pauli narratio dubitare me cogeret, ac pene, metuo, ne legentium oculis ac menti insidietur. Primo enim asserit, eum fuisse Episcopum Ticinensem, ac si unus esset ex Patribus in Synodo congregatis. Atqui in hac Mediolanensi Synodo Ticinensis Episcopus sedere debuit *Anastasius*, qui etiam anno insequente subscripsit Romanæ Synodo (21) eadem de causa sub Agathone (22) congregatæ, post cujus obitum Damianus successit. Illud etiam accedit, quod Mediolanensis Ecclesia jam usque ab Ambrosii & Simpliciani ævo suos habebat *Notarios*, teste (23) Landulpho, quibus Episcopi uterentur in Synodis. Asserere autem quis possit, Damianum fuisse ex Mediolanensi Clero, quemadmodum Ennodium supra vidimus fuisse in obsequio Laurentii? Hoc

Utrum Damianus, postea Ticinensis Episcopus, auctor fuerit ejusd. *Synodicæ Epistolæ*, quæ Mansueti nostri nomine circumfertur.

(19) *Storia di Milano* Tom. 1. Cap. 2. & 3. pag. 355. & seq. Vide supra pag. 398. & 422.
(20) Lib. 6. c. 4. (21) Insert. Act. IV. *Concil.* CP. III. seu Œcum. VI., in *Concil.* Tom. 6. col. 700. B. (22) Hujus *Rom. Concilii* epocham Muratorius & Pagius statuunt ad ann. 679., Maurini vero Patres (*Art de vérif. les Dates*) ad ann. 680. 27. Martii.
(23) *Mediol. Hist.* Lib. 1. Cap. 7. in *Rer. Ital. Scr.* Tom. 4. pag. 64.

porro Ticinenses æqui bonique non facient, qui (24) eum indigenam fuisse tradunt, imo & ejus stirpem intento digito declarant, nostra etiam ætate cumprimis florentem. Insuper aderat in Clero nostro Benedictus, qui postea S. Mansueto dignissime successit, cujus sapientiæ & litteraturæ politioris fama Romæ etiam celebris fuit, dum *Ceadvallæ* Anglorum Regi *Epitaphium* (25) inscriberet, de quo fusius (26) infra disseremus. Quid autem adeo memorabile putat Paulus, ut de scriptore hujus *Epistolæ* mentionem faceret, & Patres, qui eam dictaverant, sine laudibus præteriret? Tot igitur SS.^i Antistites, qui ei Synodo adfuerant, & ad trutinam revocatas Evangelii, Patrum, Doctorumque sententias subtiliter expenderant, suam ipsorum laudem uni concedere debent *Epistolæ* scriptori Damiano, ut *non mediocre* Concilio Constantinopolitano *suffragium afferret*? Verùm, si Damianus sub nomine *Mansueti* & Episcoporum *utilem Epistolam* scripsit, nihil de sensu suo, sed de ipsorum Mansueti & Episcoporum exprompsit, ex quorum ore excipere jubebatur, quid ipsi sentirent. Quin imo, concludit jam dicta Diaconus (27) iis Evangelii sententiis: *Vis audire de eo* (idest Christo) *quid Deitatis est? Ego, inquit, & Pater unum sumus. Vis audire, quid Humanitatis? Pater major me est*. Atqui de his Scripturæ testimoniis ne verbum quidem in hac Mansueti *Epistola*. Porro hæc potiora argumenta sunt tum Nicæni, tum Chalcedonensis Concilii contra Arianorum & Eutychianorum hæresim ad probandam contra Arium Filii cum Patre *consubstantialitatem*,

(24) Vide Ughell. *It. Sacra* Tom. 1. col. 1082. n. XXXII. (25) Paul. Diac. Lib. 6. c. 15. & nota 67. ibid. (26) Cap. IX. Sect. I. Hujus Epistolæ auctorem Mansuetum faciunt etiam Argellatus & Saxius. Montfaucon in *Bibl. Biblioth. Mss.* Tom. 1. pag. 685. inter *Mss. Eccl. Cathedr. S. Petri Eboracens.* in Anglia, ad n. 7884. recenset *Mansueti Episcopi Mediol. quædam*, quin tamen Operum titulos proferat. (27) Lib. 6. c. 4. cit.

tem, & contra Eutychen *Duas in Chriſto Naturas*. Achilles vero contra Monothelitas ſunt ea Chriſti ad Patrem (28) verba ſæpiſſime uſurpata: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Quare ex hiſce omnibus meum ſiquis videatur judicium depoſcere, fidenter pronunciabo, Paulum, qui hæc centum poſt amplius annis ſcripſit, marte ſuo expoſuiſſe omnia, & ne obſervatam quidem ejus oculis illam Manſueti *Epiſtolam*; ſed credule nimis incerto ex fonte hauſtam notitiam Hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſe. Qui item ubi de *Severo* Patriarcha ad Schiſma reverſo (29) loquitur, verbis fortaſſe uſus Scriptoris alicujus Schiſmatici, improvide narravit, *Severum obtuliſſe* Marianenſi Pſeudoſynodo *libellum erroris ſui*; quo in loco quis non videt Paulum ex Schiſmaticorum ſententia *erroris* notam impingere Severo, quòd antea ad Eccleſiæ unitatem rediiſſet? Sed hiſce de Maſueti *Epiſtola* ad præſens omiſſis, quid forte Paulum in errorem induxerit, & qualem, quave de cauſa, Epiſtolam ſcripſerit Damianus (30) infra opportunius inveſtigabimus.

Bertaridi Regis erga Wilfridum Eboracens. Archiep. exulē hoſpitalitas ac benignitas. Rodelindæ regiæ Conjugis religio.

V. Neque ſolum ſartam tectamque in Mediolanenſi Concilio Catholicam Religionem ſervavit Bertaridus; verum etiam ſub idem tempus innocentiæ Wilfridi Eboracenſis Archiepiſcopi injuſtè a Cantuarienſi Epiſcopo in Anglia exagitatæ, deinde etiam ipſi per injuriam ejecto adjutricem porrexit manum. Suppeditatis enim Wilfrido auxiliis ad Romanum iter ſuſcipiendum, cauſam ſuam coram Romano Pontifice tuendam, ab adverſariis oppreſſam, ſplendide & regio animo ſuſtentavit. Rei totius ſeriem habemus ex Sancti hujus *Vita* (31) ab Eddio ſcripta. Plures cum Anglis contraxerat amicitias Bertaridus, quum regnante Grimoaldo exul inter Francos

(28) *Matth.* C. 26. v. 39. (29) Lib. 3. c. 26. Vide ſup. p. 395. (30) Cap. X. Sect. VII.
(31) Ap. Mabill. *Secul. Benedict.* T. 4. Append. Relege Eddii verba ſup. recit. p. 557. & ſeq.

versaretur. Quare hostes Wilfridi, non solum interpositis apud hunc Regem officiis, verum etiam ingenti auri summa proposita, eum sollicitaverant, ut impedimenta Wilfrido objiceret, quominus Romam proficisci nec auderet, nec posset. Verum invictus promissis & auro Bertaridus, indignum ratus malignis amicis assentiri, atque innocentem Episcopum opprimi, cum primùm ad se venientem Episcopum vidit, benigne complexus, & recordatus, socium in Aula habere veteris suæ calamitatis: bono, ait, animo esto Wilfride: me hostes tui ex Anglia oblato pretio sollicitavere ad tui custodiam, & objicienda tibi ad Romanum iter impedimenta. Memini, me olim similia passum; atque Avarum Regem, in cujus ditione latebam, oblatum sibi a Grimoaldo auri modium, ut me sibi proderet, excelso animo repudiasse. Quod ethnicus ille Rex pro mea salute præstitit, quidni ego Catholicus faciam? Macte igitur animo, ut veteris mei exilii socius, ita præsentis meæ felicitatis, imo divinæ in me munificentiæ particeps esto. Nec plura: optime apud se habitum, & omni, ut nuper monuimus, instructum præsidio Romam direxit, suaque fide tutum atque incolumem ad Romanum Pontificem Agathonem transmisit. Tot domestica religionis in marito Rege proposita exempla *Rodelindam* quoque ejus conjugem excitarunt, ne ei dissimilis unquam crederetur. Ticini igitur & ipsa suburbanam Basilicam (32) Deiparæ Virgini Mariæ apud Langobardorum Cœmeterium dedicavit, mirabili opere & ornatu instructam; quæ *Ad Perticas* nomen accepit, eo quòd perticis infixa columba lignea in eam partem conversa, ubi quis extinctus a Langobardis esset, locum mortis designaret, & mortui locum in Cœmeterio suppleret, si alibi humatus esset; erat enim ibi distinctus per cognationes & familias sepulturæ locus.

(32) Paul. Diac. Lib. 5. c. 34.

Provinciales Episcopi cum Mansueto Romanæ Synodo sub Agathone congregatæ intersunt, & *Monothelitarum* hæresim damnant.

VI. Interea denunciatum a Mansueto in Mediolanensi Synodo adversus Monothelitas bellum nihilo segnius Romæ urgebat Agatho Pontifex, hortatore usus ipso Orientis Augusto, qui obliteraturus Proavi & Patris odia in Religionem Catholicam, eorumque maculas deleturus, exilio & martyrio SS. Martini & Maximi (33) susceptas, toto animo ferebatur in impiam *Monothelitarum* Sectam exterminandam. Hujus ergo piissimo affectu excitatus Agatho non cessavit, Dux ipse agminis, Episcoporum Italiæ manipulos congregare; quorum justa acie instructâ, postmodum legatos, sive Primipilos Constantinopolim mitteret, toto Orientis exercitu collecto, adversus impiam Sectam aperto Marte congressuros. Indictum itaque hoc anno DCLXXX, festo Paschatis die, Romæ Concilium, tanquam velitatio veteranorum militum Constantinopolitanæ Œcumenicæ Synodo proludentium. Primas tenebat exercitui præses Romanus Pontifex Agatho. Succedebant duo supra quinquaginta Romanæ Diœceseos validissimi Principes, seu Pastores. Veteranorum hastatorum agmen sequebatur, ducente Mansueto, qui primum anno superiore classicum belli cum iisdem cecinerat. Adnumerabantur huic Ductori septemdecim Italicæ Diœceseos Rectores, quos credibile est Mediolanensi Concilio antea interfuisse (Inter hos eminebant Joannes Bergomas, Ticinensis, Genuensis, atque Taurinatis Ecclesiarum Episcopi) Mox Thusciæ Provinciæ Patres pari numero. Fidissimi adsunt Ecclesiæ Catholicæ socii ex Istria Provincia Patres cum Novæ Aquilejæ, seu Gradensis Ecclesiæ Patriarcha *Agathone*. Theodorus item Ravennas cum Flaminiæ atque Æmiliæ Pastoribus. Claudebant postremum, veluti Triarii, agmen evocati ex Pentapoli, & Thuscia trans Apenninum, atque ultimis Calabriæ finibus. Veruntamen misero fatalique casu utriusque tam *Mediola-*

(33) Vide sup. pag. 553. & 603.

nensis, quam *Romani* hujus *Concilii* Acta dolendum est intercidisse, eâ, credo, de causâ, quòd ad probandam Occidentalium in ea quæstione certam atque perpetuam fidem Constantinopolim missa essent, ut facem futuro, & congregando in ea Urbe, Concilio Generali VI.° præferrent, normamque Orthodoxæ sententiæ ex Italicorum sensu stabiliendæ suppeditarent. Superfuere tamen tam Mansueti, quam Agathonis *Epistolæ*, Concilii ipsius VI. Actionibus (34) insertæ, quæ indubiam testatamque utriusque in ea causa sollicitudinem faciunt; ex quibus secunda præsertim Agathonis, quid ex Evangelio de *Duabus* Christi *Voluntatibus* constet, quidque SS. Patres ex Græcis potissimum Latinisque scriptis senserint, præclare disserit.

Quare huic Romanæ Synodo ex Istris Episcopis plures non subscripserint. Quo tempore extinctum fuerit Schisma Aquilejense.

VII. Hisce itaque præstructis fundamentis, stabilita postmodum ex Generali Synodo VI.[a], sive Constantinopolitana III.[a] a CLXX. vel amplius (35) Patribus vera & Catholica sententia fuit, confirmataque & sancita Canonibus fides de Humana ac Divina Christi Voluntate, ac pronunciatum unanimi consensu anathema ac diræ adversus Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Theodorum, ac demum Macarium, omnes Episcopos. Placet hìc observare nomina eorum Antistitum, quos ex Aquilejensi Patriarchatu video Romanæ Agathonis Synodo (36) subscripsisse. Ea scilicet sunt Gradensis Episcopi *Agathonis* cum Romana Ecclesia sentientis; *Cyriaci* Polensis Ecclesiæ; *Aureliani* Parentinæ; *Ursini* Cenetensis; *Andreæ* (sic) Vejentanæ; *Gaudentii* Tergestinæ; *Benenati* Opitergiensis; *Ursiniani* Paduanæ (seu Pucinanæ)

(34) Part. II. Cap. III. *Concil.* Tom. 6. col. 601. & Act. IV. ibid. col. 630 & 677.
(35) Labbeus in Historia Synodi, *Concil.* Tom. 6. cit. col. 591., sic inquit: *De numero non satis convenit inter Scriptores. Nam aliqui Episcopos tantum qui Synodo interfuere, recensere videntur, qui 170. circiter fuere, alii vero multò plures, nimirum usque ad 279. fuisse affirmant, eos fortasse addentes, qui Romanæ Synodi Epistolæ subscripserant, qui per legatos tanquam in hac Synodo præsentes habebantur.* (36) col. 704. D. & seqq.

Pauli demum * Patavinæ. At ubinam Veteris Aquilejæ Patriarcha, ubi Veronensis, ubi Mantuanus, ubi Comensis, Episcopi? Quorsum latent nomina Concordiensis, Caprulensis, Bellunensis, Æmoniensis, Vicentini, Feltrensis, Justinopolitani? nisi quod adhuc sordentes in Schismate eorum Ecclesiæ nondum Romanæ Sedi atque unitati adhærescebant. Quare miror, Maurinos Chronographos, qui tamdiu in suò Opere (37) desudarunt, ut ad perfectam chronographiam Historiam adducerent, ubi de Ravennæ Exarchis differentes in eorum res gestas inquirunt, libere admodum pronunciasse, Aquilejense Schisma Exarchi Theodori II. præsertim curâ & studio fuisse penitus extinctum anno DCLXXIX. Rogo enim doctissimos Patres primùm, in cujus esset potestate Provincia Histriæ, ubi sedes erat Veteris Aquilejæ Patriarcharum? Certe ea Provincia in ditione erat Langobardorum ex quo Autharis Rex, operâ usus Euin Tridentini Ducis, eam Regno suo (38) adjecerat. Et quum turbata sæpius ea fuerit possessio, Smaragdi & Romani successoris Exarchorum impotentiâ; strenue tamen eam retentam, & propugnatam video a Langobardis. Neque bello tentatam Sæculo hoc VII.° eam Provinciam Heraclii & Constantis Augustorum ætate constat, invalescente per Italiam Græcorum odio, eorumque Imperio sensim consenescente. Deinde, quod caput est, hæc Maurinorum sententia nimis adversatur omnium Scriptorum dictis, Bedæ (39) scilicet, *Libri Pontificalis*, ac demum Pauli Diaconi testimoniis, qui omnes Aquilejensium erroribus finem impositum ad tempora Sergii I. Romani Pontificis referunt, in Petri Sedem evecti anno dumtaxat DCLXXXVII. Quid plura, si Maurini Patres, a se ipsis diffidentes, in Romanorum Pontificum chronotaxi

* Gr. *Altinensis*.

(37) *Art de vérif. les Dat.* (38) Paul. Diac. Lib. 3. c. 26. Vide sup. pag. 395.
(39) Vide ibid. Lib. 6. c. 14. & not. 57. ibid. Vide infra Cap. X. Sect. II.

afferant, Sergio I. feliciter admodum succeſſiſſe, ut anno DCXCVIII. hoc Schiſma omnino extingueret, quemadmodum vere ac dilucide exponemus ex *Rhythmo* noſtro (40) ad Cuniberti regnum pertinente?

Primum perduellis Alachis Trident. Ducis bellum adverſus Bertaridum; qui Cuniberti filii precibus commotus cum proditore paciſcitur, eique Ducatum Brixianum attribuit. De peſte Ticini & Romæ ſæviente. Concilium CP. contra *Monothel.* cogitur.

VIII. Silebant ſub pacificis Regibus Bertarido & Cuniberto undique bella, quorum curæ hactenus unicè in componendis Eccleſiæ diſſidiis, atque erroribus evellendis verſabantur: cum repente (41) Alachis Tridentinorum Dux, Catholicæ infenſus Religioni, datam Bertarido fidem violare non dubitavit, elatoque perduellionis ſigno bellum commovere adverſus optimum Regem, quo non ſolum publica tranquillitas, ſed ipſa Regum ſalus laboraret. In hoſtem igitur nullâ injuriâ laceſſitum, ſed novâ predâ impellente ultrò laceſſentem, arma diſtringere coactus Rex, copiis collectis, Mediolano movet caſtra, atque in Venetiam progreſſus ponè Tridentum caſtrametatur; quandoquidem Hoſtis, ſive metum ſimulaturus ſive depulſurus, ſe ſe intra urbis ſuæ munitiones tuebatur. *Ibi* dum remiſsè Rex obſidionem promovet, aut improvidus hoſtis inſidias non formidans, aut contemnens; repente Alachis eruptione facta viriliter obſidentium ordines urget: turbatis primum, mox gradum referentibus validius inſtat: pavidos demum & animo conſternatos longe a mœnibus depellit: effuſe fugientes a tergo inſequitur, & ſpe urbis capiendæ ita dejicit, ut Rex ipſe, conſcenſo equo, præſidium in fuga quærere non erubuerit. Erat in Bertaridi caſtris filius Cunibertus, qui, rebus deſperatis ac perditis, veteri cum Alachi amicitiæ confiſus (Alachim enim adoleſcentem (42) ipſe inter Regios pueros educatum optime noverat ac dilexerat) ſequeſtrum pacis inter Patrem & Hoſtem ſe obtulit, & rebellem Ducem conciliare Patri aggreſſus, precibus & promiſſis tandem flexilem hujus animum adeo expugnavit, ut is receptum in gratiam Alachim, &

(40) Vide infra Cap. IX. Sect. III. (41) Lib. 5. c. 36. (42) Ibid. & c. 40.

perduellionis veniam petentem, non solum inultum dimiserit, sed novis beneficiis auctum ornaverit. Nativa enim & insitá lenitate indulgens filio Pater hosti suo Brixianum insuper Ducatum attribuit. Quanquam regio sapientius consilio usus, quam paterno animo commotus, postmodum aliquoties deliberavit Alachim de medio tollere. Sed semper precibus filii victus destitit, ut ominatus tamen sæpius idem, nec falsò sit ominatus, serpentem ab eo ali in sinu, & foveri; ut ipse rerum eventus postea (43) declaravit. Nimiæ scilicet lenitatis pœnas Cunibertus ipsemet post Patris mortem dedit. Hæc inter onerabat publica belli mala sæviens Ticini & Romæ pestilentia: quæ, quum, Paulo Diacono (44) teste, per Indictionem VIII. fureret ac debaccharetur, inordinatam ejusdem Scriptoris historiæ seriem evidenter erroris accusat. Cur enim Diaconus pestem hanc grassatam asserit Indictione VIII., anno scilicet DCLXXX., & de eâ mentionem injicit post relatam (45) Bertaridi mortem, regnante Cuniberto, tempore Alachiani postremi belli, quod vere incidit (46) per Indictionem IV., nempe anno DCXCI.? Hoc ideo dictum velim, nequis me arguat aliquoties a Pauli historiæ ordine deflectentem, aut etiam recedentem. Sub hujus pestilentis anni finem coacta Constantinopoli Œcumenica Synodus examen de *Monothelitarum* erroribus urgebat. Pari vitio peccaret ordo Historiæ Langobardicæ, siquis vellet eam Ticinensem pestem referre ad alteram Indictionem VIII., quæ fuit anno DCXCV., nam eo anno confectum jam erat memoratum Alachis cum Cuniberto bellum. Anastasius (47) autem, seu *Liber Pontificalis*, pestem illam, quæ Ticinum afflixit, ad tempora Agathonis Papæ refert, qui anno ineunte DCLXXXII. e vita migravit. Quare malum ducem sequi-

(43) Vide infra Cap. IX. Sect. IV. (44) Lib. 6. c. 5. (45) Lib. 5. c. 37. (46) Vide sup. pag. 599. infra Cap. IX. Sect. VIII. (47) Vide not. 35. in hunc Pauli Diac. loc.

tur in historico ordine, qui in narrationibus per seriem chronologicam Pauli Diaconi vestigiis insistit.

S. Mansueti obitus. S. Benedictus in Mediol. Cathedra sufficitur.

* An. DCLXXXI.

IX. Incertum est, utrum ea pestilentia Mediolanum affecerit. Veruntamen hæc Civitas, etsi expers hujus calamitatis fuerit, majore tamen laboravit malo ex S. Mansueti interitu, qui * anno DCLXXXI., post illustratam doctrina Ecclesiam nostram, & firmatum in Romana Synodo Catholicum Dogma, & egregiam propositam veræ Fidei regulam ac Professionem adversus Orientis errores, dum ex ejus scripta *Epistola* propugnatur Religio in VI. Œcumenico Concilio, ad sempiternæ gloriæ præmium evocatus, inter Mediolanensium mœrorem ac lacrymas (48) extinguitur die XIX. Februarii, & in Ambrosiana Basilica deponitur. Ex qua verisimillimum videtur (quo tempore apud nostrates Historicos incertum) fuisse in Sancti Protomartyris Basilicam translatum; quandoquidem Sæculo superiore post Concilium Provinciale VII. Federicus Card. Borromeus cum aliis SS.rum Corporibus in hac Basilica latentibus etiam *S. Mansueti* mortales exuvias recognovit, & solemni Supplicatione per Urbem nostram circumtulit, atque honorifice ibidem recondidit. Adscriptum Antistitem hunc SS.rum Catalogo habemus in Romano Martyrologio. Sacra huic Sancto dies apud nos designata est II.a Septembris sive quòd depositionis dies incidere facile in Quadragesimam posset, qua per Ambrosianum Ritum nulla SS.rum memoria recolitur, sed Quadragesimales feriæ dumtaxat religiose retinentur; sive etiam fortasse ex eo, quòd die II. Sept. Ejus translatio in S. Stephani Templum fuerit celebrata. Ceterùm Ipsius memoria in *Ambrosianum Calendarium* illata est dumtaxat

taxat

(48) In *Catalogo* nostro sic legitur: *Mansuetus episcopus sed. ann. VIIII. Ob. XI. Kal. mart. sep. est ad sanctum Ambr.*

taxat anno MDCXXV. quantùm ex Libris *Miſſalibus* & *Breviariis* (49) typis editis conſtat. Sub optimo Rege perfacile fuit de optimo Succeſſore eligendo cogitare. Digniorem, qui Manſueto ſuccederet, Clerus Mediolanenſis, fæcundus licet, aut præſtantiorem Benedicto offerebat neminem. Omnium itaque oculi in hunc erant conjecti; occurrebant enim præclaræ ejus dotes, ingenium bonis artibus mirifice excultum, virilis animi vis, ſenilis ſine aſtu prudentia, ſanctitas & morum probitas plane admiranda. Cujus fama apud Paulum Diaconum uſque per annos centum propagata, & vigens Caroli Magni ævo, ornari potuit Langobardici Scriptoris laude, Benedictum appellantis (50) *Virum egregiæ ſanctitatis, de quo per univerſam Italiam bonæ opinionis fama* * *flagravit*. Gaviſi ſunt optimi Reges, qui tum Langobardiæ, conjunctis in Chriſti Religionem animis, imperitabant, eum Virum electum a Clero, admotumque Cathedræ Ambroſii, cujus dignitatem atque doctrinam optime poſſet referre. Geſtire pari gaudio viſus eſt Populus Mediolanenſis, Paſtoris ſui melleam doctrinam eguſtaturus. Agathone Rom. Pontifice conſentiente inauguratus, animo quiſque concipiat, quem fructum uberrimum ex *Epiſtola* (51) Deceſſoris ſui Manſueti ceperit, quamque gratulatus Comprovincialibus Epiſcopis fuerit, probatam ab ipſis in Romana Synodo contra *Monòthelitas* ſententiam, & graviſſimo Concilii Œcumenici VI.[i] judicio fuiſſe comprobatam.

* ſic in Mſ. Ambroſ. & in Edit. forte pro *fragravit*.

X. Itaque, purgatâ per Generalis Concilii Sanctiones orthodoxâ Fide, alacer adminiſtrationem Ambroſianæ Provinciæ ſuſceperat Benedictus; fretus etiam Regum noſtrorum patrocinio, quo-

Sancti huj. Antiſt. cum piiſſ. Regib. pro Fide tuenda ſollicitudines. Mediolani Baſilicam tit. S. *Benedicti* ædificat, nullum vero Monaſt. Bertaridi Regis obitus. Egregiæ ejus laudes.

(49) Attamen in *Manuali Ambroſ.* Mſ. Sæculi XI. (in Bibl. Ambr. Signat. I. 55.) habetur ad diem 5. Sept. Commem. S. *Manſueti Epiſc.*, poſteriori ſed antiqua manu inſerta.

(50) Lib. 6. c. 29. (51) Vide ſup. pag. 606.

rum opem ac præsidium adfuisse, imo laudabiliter commendatum a Decessore Mansueto in Synodo Mediolanensi (52) probè noverat; nec sibi defuturum unquam sperabat. Neque enim roganti piissimi Reges dissentiri posse videbantur, qui ultrò religionem fovebant, nullisque stimulis ad eam corroborandam indigebant spontè incitatissimi. Quamobrem Basilicam, quam intra Portam novam ædificasse ab Historicis nostris traditur & S. *Benedicto* (*Abbati videlicet & Monachorum Occidentalium Parenti*, ut opinatur (53) Puricellius) nuncupatam, exstructam crediderim primis ejus Pontificatus annis, ne Regibus suis pietate ac religione inferior putaretur, quo tempore Bertaridus regio sumptu Ticinensem S. *Agathæ* Ecclesiam excitaverat, ac Monasterium, quod *Theodotæ* regendum tradiderat; & Cunibertus, ut in nostro *Rhythmo* videbimus, erat (54) *Ecclesiarum ditator & opifex*. Auctor Lectionis de S. *Benedicto*, quam video insertam *Breviario* nostro Ambrosiano, dumtaxat anno MDCXXV. jussu FEDERICI Card. Borromei recuso, hæc refert ad diem VI. Sept. *Et Monasterium intra Portam Novam condidit, cui nomen e suo fecit*. Quod religiose veriti testimonium alter post alterum sequuti sunt (55) posteriores Historici nonnulli. Equidem probantur mihi omnia, quæ de Templo excitato leguntur in honorem S. *Benedicti*; video enim huic assertioni favere omnem retro (56) Antiquitatem. Veruntamen (illius Scriptoris pace dixerim) nullo certo

(52) Vide sup. pag. 606. cit. (53) *Nazar.* Cap. LXXI. §. XI. pag. 391. (54) Vide infra pag. 625. (55) Puricell. l. cit.; Hieron. a Basilica Petri, *Efem. Sacra* ad diem XI. Mart. Tom. 3. p. 212.; Ughell. *It. Sacra* Tom. 1. p. 69.; Bolland. *Act. SS.* ad diem XI. Martii; Sax. Tom. 1. p. 244.; Latuada T. 5. p. 414.; Argellatus *Bibl. Script. Med.*, v. *Benedictus*.

(56) Ut chronologicum ordinem persequamur: ad ann. 824. in Charta Arch. Ambr. unice memoratur *Basil. S. Bened.* Vide *Vicende &c.* pag. 267. n. 38. Ad ann. 1034. in *Testam.* Heriberti Archiep. Med. (apud Puricell. *Ambros.* n. 224.) singula utriusq. sexus Monasteria recensentur, quin ulla fiat mentio de *Monast. S. Bened.* Ad ann. 1119. in subscript. ad *Sententiam* Jordani item Med. Archiep. (apud Giul. Tom. 5. pag. 553. l. 2.) *Presbyter S. Benedicti subscripsi*. Item in *Catal. Archiepp.* anni 1408., qui fuit ad usum *Primicerii* (MS.

teſtimonio inniti cenſeo ea, quæ de ædificatione *Monaſterii intra Portam Novam* narrat, niſi novum atque hactenus inauditum admittat, duo Monaſteria per id temporis intra Portam Novam exſtitiſſe. Suſpicor ipſum forte præ oculis habuiſſe Monaſterium *Auronæ* nuncupatum, quod hæc Anſprandi Regis filia, ac Liutprandi Regis Soror, non Benedicto, ſed Theodoro II. Succeſſore, ejuſdem Auronæ fratre, in Ambroſii Cathedra ſedente; intra Urbem noſtram conſtruxit, ut inferius (57) expendemus. Veruntamen inito Pontificatu Benedictus, dum novis inſtitutis atque doctrina Ambroſianam exornat Eccleſiam, dum opportuna Regis optimi Bertaridi adjutus pietate in longa tempora ejuſdem favore uſurum ſe conſtanter ſperat, ſeptimo Sedis ſuæ anno contra votum hoc repente orbari ſe doluit. * Ingruens enim lethifer morbus ineunte Novembri anni DCLXXXVII. (58) Langobardicam Nationem eo Rege privavit, qui ſuperiorum Regum omnium memoriam obſcuraverat, dignus, quem ſubſequentes ſibi tanquam exemplar ad imitandum propone- * An. DCLXXXVII.

in Bibl. Ambr. N. 294.) *Fundavit* (Benedictus) *Eccleſiam in Civitate Mediolani nomine ſuo verſus Orientem*. Similia teſtantur alii *Catalogi* H. 87., & S. 89. Part. Sup. Ad ann. 1492. Donat. Boſſ. in *Chron.* pag. 61., & in *Catal. Archiepp.* ibid. in calce: *Hic fundavit Templum S. Benedicti in Porta Nova*. De Eccleſia S. *Benedicti* diſerte loquuntur, de *Monaſterio* penitus reticeſcunt ſubſequentes Hiſtorici. Ad ann. 1595. Paulus Morigia *Nob. di Mil.* Lib. 1. c. 10. Idem in Op. *Santuario &c.* pag. 175. Edit. 1641. Ad ann. 1596. Jo. Franc. Beſutius, *Hiſt. Pontiſc. di Mil.* pag. 101. Ad ann. 1599. *Tabula Archiepp.* &c. in *Act. Eccl. Mediol.* Part. VI. pag. 976. n. 44. Ad an. 1617. Joſ. Ripamont. *Dec. I.* Lib. 9. pag. 561. Hanc S. *Benedicti* Eccleſiam olim Parochialem fuiſſe, & ſitam ubi nuper exſtabat Gynæceum vulgo *del Soccorſo*, omnes Scriptores conſentiunt, & præſertim Puricell. l. cit., qui ejuſdem locum velut graphice delineavit; & S. *Benedicti* titulum adhuc ſuo, dum ſcriberet, tempore, anno ſcilicet 1656. retinere teſtatur.

(57) Cap. XI. Sect. IV. XV. & XVI.

(58) Paul. Diac. Lib. 5. c. 37. *decem & octo annis* regnaſſe aperte ſcribit; alibi vero, ſcilicet c. 35. ubi *ſolus per annos ſeptem, & cum filio decem* regnaſſe dicitur, annos tantum ſeptemdecim innuere videtur. Hinc de anno Bertaridi obitus quot Hiſtorici, tot ſententiæ, quorum alii citius ad ann. 686., alii ſerius ad ann. 691. protrahunt hujus Regis vitam. Manſius attamen (in Not. ad Baron. Tom. 12. pag. 116.) conciliato Pauli textu litem dirimit, ſtatuendo Bertaridi obitum ad ann. 687. Cui ſententiæ optimis argumentis adſtipulatur etiam Cl. Canon. Lupus in *Prodromo* Cap. 13. pag. 299. & ſeq.

rent. Fuit ille in adversis constans, in prosperâ fortunâ humilis: fuit ad Regnum recuperandum servatus plane divinitus, ut orthodoxam Religionem vindicaret; ut publicam quietem assereret; ut æquanimitatem Reges doceret; ut sibi subjectos paterno animo regeret ac moderaretur; ut demum Langobardici Regni felicitas in Bajoarica illius stirpe constaret, qua regnante firmatum est Langobardicum Solium, qua progenie postmodum extincta labefactatum primò, deinde excisum omnino interiit. Quare nihil luculentius expromere poterat Mansuetus, dum in laudata sua *Epistola* (59) Bertaridum ejusque filium Cunibertum *Christianissimos* appellat, *a Deo custodiendos Principes*, & *Christianæ Religionis amatores*. Magnifice demum Bertaridi laudes & gesta paucis complectitur (60) Paulus Diaconus de ejus regni exordio loquens: *Erat autem Vir pius, fide Catholicus, justitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor*. Dignissimus ille piissimi Ariperti filius eodem, quo Pater, loco tumulari voluit, in Ticinensi nimirum *Christi Salvatoris* Templo a Patre, ut (61) vidimus, exædificato.

CAPUT NONUM.

Cunibertus solus post Patrē regnat. Præclaræ huj. dotes. Politiores litteræ nonnihil reviviscunt. Felix Gramaticus floret. *Ceadwallam* Anglosax. Regem Romam ad suscipiendum Baptismum proficiscentem benigne excipit Cunibertus, & ei comitem in via probabiliter Benedictum nostrum adjungit; qui mortuo Neophyto *Epitaphium* inscribit.

BEnedicti nostri dolorem ex Bertaridi morte susceptum non mitigavit, sed abstersit Cuniberti filii simillima Patris pietas, in quo redivivus sibi Bertaridus obversari oculis videbatur. Avitæ & paternæ bonitatis hæres non Benedicti solum, sed universæ Nationis animos in magnam spem certe erexerat, fore, ut Ipso Regni habenas moderante pax vigeret, &, factionum studiis Regis fortitudine auctoritateque compressis, bellorum semina præfo-

(59) Vide sup. not. (17) pag. 606. (60) Lib. 5. c. 33. (61) Vide sup. pag. 547.

carentur, ac demum Orthodoxa Religio pacifice regnaret. Enimvero regnabat plane; & Cleri præsertim vota in novi Regis salutem & perpetuam felicitatem, veluti unicum præsidium, exardescebant & ferebantur, ac si Eo stante Religio constaret, Ipso labente dissolveretur. Fovebant vehementius Cleri amorem in Regem Cunibertum hujus amor, admiratio, & studium erga Latinas litteras, quas jamdiu barbarico veterno & torpore consepultas excitare quidem, aut verius nonnihil commovere nitebatur: quo tamen exitu, *Theodotæ* ejus Amitæ supra (1) descriptus, & Cuniberti ipsius infra (2) referendus, Sepulcrales Lapides apprime ostendunt, imo & ipse *Rhythmus*, quem certe videmus hujus Regis (3) ætate concinnatum. Floruit nimirum Ticini (4) hoc ævo *Felix* Grammaticus, patruus Flaviani Latini sermonis Magistri, sub quo Flaviano latinitatis tirocinium posuit Historicus ipse Paulus Diaconus, ut ipsemet (5) testatur; & fortasse Ticini, quô (6) *adolescens profectus se litterarum studio totum dedit*. Hunc igitur Felicem latinitatis protopædagogum sceptro argenteis aureisque laminis cooperto donandum decrevit Rex Cunibertus. Hinc apud barbaros ex hac latini sermonis Regia existimatione Clero præsertim accedebat summus honos, apud quem, tanquam sacrarum Litterarum custodem, latinitatis unice credebatur reservata peritia. Secundo igitur cursu initio regni Cuniberti fluebant prospere omnia; auspicatissima Religioni & paci adesse tempora credebantur. Clerus in honore erat, Ecclesiarum decus Templorumque cultus vigebat; Mediolanensem regebat Ecclesiam Benedictus, Ticinensem Damianus, uterque non minus sanctitatis, quam litteraturæ laude præ-

---

(1) pag. 582. (2) Cap. X. Sect. ult. (3) Vide sup. pag. 535. (4) Vide Indicem in Paul. Diac. v. *Felix*. (5) Vide sup. p. 535. cit. & infra Cap. X. Sect. VI. & VIII. (6) Vide *Præfat*. Lud. Ant. Murat. in *Paul. Diac. Hist*. init.

ſtantiſſimi. Rex ipſe bonarum artium & litterarum patronus auream, ut ita dicam, Ætatem Langobardis hactenus nomine etiam ignotam reducere nitebatur, & Nationis barbariem abſtergere. Quapropter in hiſce feliciſſimis Regni primordiis, quum forte * ad annum (7) DCLXXXIX. accidiſſet, ut *Ceadvalla* Angloſaxonum Rex (ex quorum Regio genere uxorem (8) duxerat Cunibertus, *Hermelindam* nomine) Mediolanum veniret, Romam ad baptiſmum ſuſcipiendum profecturus; excepit illum benigniſſime ac magnifice Langobardorum Rex, ſuoque eſt hoſpitio delectatus. Quum autem Hic e dignitate ſua reputaret, ut ab inſigni aliquo comite viæque duce & baptiſmi ſuſcipiendi magiſtro Romam deduceretur, credibile admodum reor, Benedictum Epiſcopum noſtrum ad id muneris potiſſimum a Rege delectum, quemadmodum etiam ipſius rei exitus demonſtravit. Nam, quum Ceadvalla *die ſancto Sabbati Paſchalis*, Paulo & Beda (9) teſtibus, baptizatus fuiſſet a Sergio Papa, *Petrique* nomine ornatus, & adhuc in albis poſitus juxta baptiſmales ritus, die XX. Aprilis ejuſdem anni feliciſſime migraſſet ad Superos, ſuarum partium eſſe duxit Benedictus, gratificaturus etiam Regi ſuo Cuniberto, a quo miſſus fuerat, defuncto Regi parentare, & nobile ac prolixum *Epitaphium*, quod apud Paulum ipſum (10) legitur, ejus tumulo apponere.

* An. DCLXXXIX.

Benedictus Romæ verſans, diutius cũ Summo Pontif. de Aquil. Schiſmate penitus evellendo conſultat.

II. Quum igitur defuncto Regi neophyto juſta perſolviſſet Benedictus noſter, e re ſua cenſuiſſe crederem, diuturnam adhuc moram Romæ trahere ſeu infelicitate (11) Liguriæ paulo poſt bello acerrimo convulſæ ac perturbatæ, ſive etiam Pontificio Sergii ipſius mandato, qui ſaluberrimas cum Benedicto inire cuperet

(7) Baron. & Murat. ad h. annum. V. ſup. pag. 608. (8) Paul. Diac. Lib. 5. c. 37. cit. (9) V. not. 59. ad Pauli Diac. Lib. 6. c. 15. (10) Lib. 6. c. 15. cit. Vide & AA. a Puricellio citt. in *Nazar.* Cap. LXXII. §. X. pag. 390. (11) Vide infra Sect. IV. & ſeqq.

consultationes pro unitate Ecclesiarum renovanda; seu demum sponte Ipsum versatum fuisse pro eadem procuranda. Etenim Benedictum permovere ad hanc moram maxime poterant vetera Ecclesiæ Mediolanensis mala (12) ex Aquilejensi Schismate profecta. Non ignorabat, quot centum triginta & amplius ante annis turbas excitasset (13) Mediolani Frontus; quot incommoda & vexationes pertulisset a Provinciæ suæ Episcopis (14) Constantius; qua audacia iidem Episcopi, Adeodati temporibus, Adaloaldum Regno (15) privassent; quo demum dolore Comenses (16) in Schismaticorum castra transfugissent, & adhuc hærerent. Ex adverso aliæ subesse poterant causæ, quas propter Sergius ipse Romam Antistitem nostrum evocaret, participem suscipiendi in hac re consilii futurum. Urebat Sergii animum Schismatis Aquilejensis nondum exstincti sollicitudo ac cura. Neque ulla erat penitus comprimendi spes in Græcorum, quibus Roma suberat, auxilio; adeò nimirum labefactata erat eorum in Italiâ potentia, ut nec adjuvare viribus Pontificias curas pro unitate reducenda possent, neque valerent, quum Histriæ possessione jamdiu essent dejecti. Recolebat animo prudentissimus Pontifex inanes (17) Pelagiorum I.[i] & II.[i] prædecessorum conatus ea de causa felicioribus Græcorum temporibus susceptos: admirabatur sapientius S. Gregorii (18) consilium, qui apud Græcos æque ac Langobardos Reges pro evellendo exitiali Schismate adlaboraverat: dolebat interruptum post Honorium I.[um] a Successoribus Pontificium cum Langobardorum Regibus litterarium commercium, a quibus unice pendere poterat Histriæ Schismaticæ salus. Quare, quum notum ac perspectum haberet Sergius avitum paternumque

(12) Vide Schismatis Aquil. originem supra pag. 336. Vide & infra Cap. X. Sect. III.
(13) Vide sup. pag. 340. & seqq. (14) Sup. pag. 404. & seqq. 411. & 412. (15) Sup. pag. 503. & seq. (16) Vide sup. pag. 478. (17) Vide sup. pag. 340. & seqq. & pag. 395.
(18) Vide sup. pag. 403. & seqq.

in Cuniberto redivivum Catholicæ Religionis amorem ac ſtudium, mihi pronum eſt credere, moram hanc Romanam Benedicti ſerò admodum extractam fuiſſe in diuturnis cum Sergio conſultationibus, & Romanum Pontificem uſum fuiſſe noſtro Antiſtite tanquam interprete voluntatis ſuæ apud Regem Cunibertum pro tam ſalutari unitate Romanæ Eccleſiæ cum Iſtris perficienda. Ac ne hæc fidenter nimium aſſerere videar, præſto eſt mihi antiqui, imo & ſynchroni memorati *Rhythmi* auctoritas in Bobienſi (19) olim Codice, per quem diſcimus modum, tempus, & Synodum Ticini coactam juſſu Regis Cuniberti, ubi Aquilejenſes tandem Schiſmate ejurato ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem reverſi, Romam ad Sergium a Rege remiſſi, Sergio ipſo manum adjutricem porrigente, in Apoſtolicæ Sedis communionem publice & peramanter ſunt reſtituti. Veriſimillimum ſcilicet arbitror, neglectam hanc a ſuperioribus Regibus, propter inveteratum Schiſma, ac pene depoſitam *Iſtrorum* Eccleſiæ partem excitaſſe Pontificiam Sergii curam. Quem nihil intentatum relinquentem, ut membrum illud putreſcens rurſus cum Romana Sede conſentiret, & vitæ redderetur, Metropolitam noſtrum Benedictum permoviſſe ſuſpicor Cuniberto familiarem, & ſummæ apud Regem exiſtimationis; ut vetera illius Provinciæ vulnera in ejus oculis defigeret, & opem imploraret Regis, qui ſolus inſanabili hactenus plagæ mederi poterat. Hæc omnia mecum ipſe reputans animo, & vetus illud Caſſianum (20) dictum: *cui bono fuiſſet?* ſerio perpendens, deinde recolens atque intelligens ex *Rhythmo* noſtro, quàm viriliter pro evellendo ſtirpitus Aquilejenſe Schiſmate laboraverit Rex Cunibertus, laudemque tamen totam ob reconciliatam Romanæ Sedi Veterem Aquilejam Summo Pontifici Sergio

(19) Vide ſup. p. 534. & 535. (20) Ap. Cicer. *pro Sexto Roſcio Amer.* C. XXX. n. 84.

ıua pars
ni, Cu-
Regis
imulque
m extin-
hismatis
comple-

:l legen-
'les, vel
græcis-
Scriptor
ttera χ
ch.

C. 1.

pag. 625.

monector
kopifiax+
profectū
odecorne
crteunde
ruiarce
nıreee
erdirri

glo detulerit atque concesserit; non jam divinare, sed plane perspicere mihi videor, ex Romana inter Benedictum nostrum ac Pontificem Sergium diuturna consultatione nobile illud fœdus veram originem habuisse: præsertim quum nullæ de hac re exstent Pontificiæ litteræ, aut monumenta; quod ipsum indicat, secretò & sine arbitris id consilii agitatum.

Reliqua pars *Rhythmi*, Cuniberti Regis gesta, simulque historiam extincti Schismatis Aquil. complectens.

III. Sed operæ pretium est hoc loco prius reliquam partem & maximam *Rhythmi* nostri, quæ Cuniberti laudes & facta complectitur, publici juris facere ac recitare (21)

„ Tertius immo nepus adque filius rex cunincbertus (*a*) sublimatus tempore moderno; rector fortis & piissimus, deuotus fidem christianam colere, ecclesiarum (22) ditator & opifex + Elictus gente a Deo ut regeret langobardorum (*b*), rebelles conpescuit, bello prostrauit. * aleχ iniquissimo (*c*) semidiruta (23) nuncupata. motina urbi (*d*) pristino decore (24) restituit + Exorta scisma jam (25) prisco de tempore ab aquilone parte, unde pandere malum in terra universum propheta uaticinandum * isaias cecenit (*e*) ubi Superbus thronum cadens elegit + Fontis lauachrum (*f*) recepere similem (*g*) nobiscum simul trinitatem credere aquiligenses diffidentes synodum quinta, qui totus concordat cum IIII. * una temnentes (*h*) rei facti omnium + Fides ut esset in tota hesperia coadunata aduocari praecipit (*i*) rex cunincperctus. urbi ubi resedet ticino dicta ab amne, qui con-

* Vel legendum *Alex*, vel fortasse græcissat hic Scriptor utens littera χ pro Lat. *cs*.

* * Jer. C. 1. v. 14.

* Jac. C. 2. v. 10.

(21) I. & II. hujus *Rhythmi* partem vide sup. pag. 536. & pag. 579.
(22) Vide sup. pag. 618. (23) Vide infra pag. 632. (24) Vide infra Sect. XI.
(25) Vide infra Cap. X. Sect. IV.

Variantes *Rhythmi* lectiones ex Cod. E. 147. Part. Super.

(*a*) Cunigperctus. (*b*) Langibardorum. (*c*) alexo (*vel* alexo) nequissimo (*d*) urbe (*e*) cecenet. (*f*) labacrum. (*g*) simile (*h*) tempnentes (*i*) praecepit aquiligenses urbi &c.

„ fuet proprium gerens papia uocabolum + Aulam ingressi orthodoxi pariter aduersus prauos ceperunt (*k*) contendere libros legentes sancitos a patribus, pauli & pyrri detegentes heresem, theodori ibae (*l*) simulq: theodoriti + Ast se jam uictos cognoscentes, ilico petunt a rege, ut jurent catholici melius quintam recepere sinodum, & se promittunt consensuros postea ac juraturos credendos (*m*) recepere + Namqu: obantes (*n*) ingressi ecclesiam (*o*) jurejurandum adfirmant concordiam, adq: uniti caritatis uinculum. euchariftiam concordes (*p*) participant + Nullus de tanto gaudio potuerat catholiciq: siue de scismaticis. se. temperare a fleto & lacrimis (*q*), omnibus tanta suppleuit conpunctio; cernerent Xp̄m ibi ac si patule + Utreque parti rex pius elegere (*r*) cunincperct iuuit (*s*) legatos diregere sedem ad sanctam, ubi Xp̄o presole data potestas nectere & soluere petro piscanti caeli arceclauio (*t*) + ubi resedet (*u*) papa pius sergius, suos qui iussit adesse episcopos, gaudens recepit (26) thomam Xp̄i ministrum, theodoaldo simul legum peritissimum; aderant quoq: aquilienses (*x*) pariter + Sedenti pape ante ora omnium scedula datur continens preterita (*y*) quam (27) uir excellens damianus pontifex pio direxit dictata effamine + Sergius papa regi est pollicitus sua a deo ademta facinora; illud prophetae, ubi inquid, recolit (*z*), qui peccatore ab errore convertit (*aa*), sua a morte liberauit ani-

(26) Vide infra pag. 629. & Cap. X. Sect. V. (27) Vide infra Cap. X. Sect. VII.

(*k*) prabos cœperunt (*l*) hibae (*m*) credendum (*n*) ouantes (*o*) ecclesia (*p*) karitatis vincolum ostia simul offerentes dominum, euchariftiam concordis &c. (*q*) potuerat se temperare a fletu & lacrimis, catholicique sive de scismaticis; omnibus &c. (*r*) elegeret (*s*) jubet (*t*) archeclauio (*u*) resedens. (*x*) aquiligenses (*y*) praeterita, quae acta erant praedicto de scismate, quam &c. (*z*) recolet. *Ordo verborum sic est :* recolit, *id est in memoriam revocat*, illud Prophetæ, ubi inquit: Qui peccatorem &c. Vide de hoc infra Cap. X. Sect. V. cit. (*aa*) convertet.

„ ma + merito juste pastor apostolicus, digni quod erant, secte
„ praue codices, quos antefati conscripserunt auctores, jussit con-
„ buri, ultra ne polluerint (*bb*) prauorum mentes, qui erant de
„ scismate + mihi ignosce rex quaesu piissime, tua qui jussa ne-
„ quiui, ut condecet, pangere ore, stiloque contexere, recte ut
„ ualent. edissere: medrici (28) scripsi per prosa, ut oratiuncula
„ (*cc*) + gloria regi regum in perpetuum canamus omnes. ore-
„ mus & pariter, sua ut regem cunincperto dextera protegat Xp̄s
„ hiç multa per tempora, vitam aeternam deinceps & tribuat + "

Infelicissimi hujus Ævi calamitas, atque intermortua pene Latinæ Linguæ consuetudo barbaricis vocabulis vitiatæ, ne dicam corruptæ, summa item apud Langobardos difficultas in nominibus diversimode pro casuum discrimine inflectendis Verbisque conjungandis (quæ varietas ut venustatem suavitatemque Latino sermoni conciliet, ab Septentrionalium Linguarum usu longe admodum distat) stomachum Eruditis movebit fortasse, & molliores aures rusticitatem sermonis aversantes lædet in hac scriptione hærentes: veruntamen non dubito, gratum studiosis lectoribus fore, rei veritatem ex fonte latino lutulento puram hausturis.

IV. Hisce prælibatis, quæ deinde progressuræ Historiæ maximam lucem afferre poterunt; ad regni Cuniberti initia regredi placet, & rerum ab inclyto hoc Rege gestarum narrationem per seriem exordiri. Provinciæ igitur administratione suscepta Bertaridi filius populi amorem, per quem regium præsertim stabilitur Solium, captavit unice; seque amari sentiens, libere voluptatibus & genio visus est indulgere. Nam, si Pauli Historiæ ordinem sequamur, ad regni sui exordia referendus est inhonestus ille amor, quo imprudens in nobilissimam Romani generis puellam exarsit; quod

De illato puellæ *Theodotæ* a Rege stupro. De secundo Alachis bello qui, Aldone & Grausone consociatis, Cuniberti Regiam, eo absente, invadit; & Rex salutatur.

(28) Vide sup. pag. 532. & 536. (*bb*) polluerent (*cc*) oratiunculam.

acroama describens Paulus, eam *Theodotis*, sive *Theodotæ*, nomine per *prolepsim* designavit, de qua superius (29) disseruimus, testaturque, ad eam constuprandam ob egregiæ ejus formæ laudes belle sibi ab Hermelinda uxore descriptas, tanquam ab innocente lena, fuisse pellectum. * Veruntamen in viam impiorum gradum flectenti Regi ultor statim a tergo institit Deus, atque inexspectati belli metu perculsum pie admodum ac sapienter in virtutis semitam revocavit. Regis prima in venationem & voluptates studia excepit atrocissimum bellum & de Regni possessione institutum cum hoste omnium teterrimo, atque ingratissimo monstro, certamen. Alachis (30) nimirum ille, quem sapientissime Pater Cuniberto exprobraverat (31) tanquam serpentem ali in sinu; quem inter Regios pueros institutum Tridentino (32) prius Ducatu, postmodum a filio exoratus etiam Brixiano ornaverat; qui demum, ipso veniam ob defectionem apud Patrem deprecante, fidem perpetuam sacramento inter aras præstito obstrinxerat; beneficiorum immemor, acceptæ dignitatis oblitus ac perjurus Regem suum temnere primum, mox etiam per insidias e Solio paterno exturbare constituit. Addebat nativæ Alachis perfidiæ stimulos (33) flos Langobardicæ Nobilitatis in Brixiana Civitate versantis, in qua dignitate eminebant Aldo & Grauso Urbis & Nationis Primores. Hi collatis cum Duce capitibus, ad honestam prætexendam perduellionis, quam machinabantur, causam, primo novi & adolescentis Regis mollitiem exsecrari; imbellem ætatem contemnere; carpere animum delicias avide consectantem; profiteri demum nolle, nec debere, fortes & armatos sub inermi atque a bellicis tumultibus alieno vivere. Hinc, captâ venationis Regiæ occasione moliti sunt,

* An. DCXC.

(29) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 37. Vide sup. pag. 586. & 593. (30) Lib. 5. Cap. 38. (31) Ibid. Cap. 36. V. sup. pag. 615. (32) Paul. Diac. ibid. (33) Lib. 5. Cap. 38. cit.

facile posse, Cuniberto absente, Ticinensem Sedem regiam invadi atque occupari. Datâ igitur utrinque fide Brixianus Dux in captandam occasionem intentus, vix primùm intellecto, Ticino diutius absuturum Regem, silenti agmine e finibus suis egressus cum conjuratis Nobilibus Ticinum contendit. Corruptis portarum custodibus, cum copiis noctu ingressus, festinus vacuam Regiam occupat: dispositisque ad mœnia & Palatium excubitoribus, mane postero, mutabili semper ac novarum rerum cupido populo acclamante, novus Rex Alachis salutatur. Vulgato per urbem novi Regis adventu, prout diversa sunt hominum ingenia & mores, alii triumphare gaudio, præ metu contra alii trepidare: qui Cuniberti lenitatem diligebant, furorem Alachis odisse; qui nondum barbariem nativam exuerant, turbas & odia lenitati præferre. In varias igitur sententias distrahebantur; omnesque tantæ tragœdiæ novitate suspensi futurum rei exitum taciti præstolabantur.

Cunibertus in Insulam *Comacinam* se recipit. De Alachis injuria *Thomæ* Diac. illata, deq. ejus crudelitate & avaritia. Sed Aldo & Grauso rebelles, ad Cunibertum reversi, consilium secum ineunt de eo in Regiam suam restituendo.

V. Cunibertus, qui probabiliter in agro Mediolanensi versabatur, quo maxime delectatum fuisse ejus Patrem supra (34) monuimus, periculo & rei indignitate audita repente commotus, consilium e vestigio suæ securitatis capit. Offerebat se e proximo (35) *Insulæ Comacinæ* perfugium & munitissimum receptaculum. Illuc itaque festinato itinere contendit aut contractis Suorum auxiliis Hostem ex Aula depulsurus, aut desperatis se in Bajoariam per Rhætiam recepturus: quo usum consilio postea Ansprandum ab Ariperto II.° victum, ex Paulo ipso (36) discimus. Interea superbe nimium atque arroganter Alachis in Ticinensi Aula versabatur. Thomam (37) Diaconum, quem Damianus Episcopus, sanctitate & doctrina conspicuus, *Eulogiam* novo Regi, idest Benedictionem, suo

(34) pag. 606. (35) Vide sup. pag. 468. & seqq. (36) Lib. 6. Cap. 19. & 21. Vide infra Cap. XI. Sect. II. (37) Vide sup. in *Rhythmo* pag. 626., & infra Cap. X. Sect. V.

nomine deferentem præmiserat, primum inhonestis & scurrilibus sarcasmis, injuriis, & iteratis responsis dimiserat; tandem exceptum, asperis admodum verbis objurgaverat; atque suæ acerbitatis in Clerum virus non obscure evomuit. Qua de re a Regis colloquio digressus, pavore tanto Clericos omnes perculit, ut præoptare Tyranno Cunibertum universi cogerentur. Neque minus avare cum populo, aut minus minitanter cum Suis agere videbatur. Exactiones quotidianas civium suis ipsemet manibus numerans, avidis oculis inspectabat congesti auri acervos. Ex quibus (38) quum unus aureus solidus excidisset, Aldonis filio adhuc puerulo illum reddenti ausus est minari dicens: Hujusmodi aureos, quibus tuus etiam genitor abundat, in meâ propediem spero potestate fore. Quo Alachis dicto Aldoni a filio renunciato, justa patrem incessit suspicio, periculose nimium se in perfidi Regis servitute perstare: initoque statim cum socio Grausone & cum fidissimis amicis consilio, satius uterque duxit, Alachis furore & avaritiæ præferendam utique Cuniberti clementiam, inviolatamque fidem. Hinc haud multo post, dissimulatâ re, in obsequio novi Regis versantes tuta eidem in Urbe omnia gratulantur; Regnum citra sanguinem, nullo obsistente, comparatum; deesse Cuniberto recuperandi modum & vires; posse jam hactenus susceptis laboribus relaxari animum; hortari, ut tutissime in Grausonis & Aldonis fide conquiesceret; obsides se interea civium quietis fore; se enim nunquam quieturos, nisi Cuniberti caput Regi Alachi offerrent. Illectus Alachis blandis eorum consiliis, & fretus fide, Urbem deserens animi recreandi gratiâ venationem Suis ad complures dies habendam indicit. Vetus & intactum juxta flumen *Urbem* appellatum, haud longe a Tanaro dissitum, erat nemus omni silvestrium fera-

(38) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 39.

rum genere refertum, in quod venandi studio Alachis cum sui æqualibus juvenibus contendit. Interea dum venatica oblectatio in longum tempus extrahitur, Aldo & Grauso, pessimam Alachis fidem pari ulturi perfidiâ, festinanter Comum profecti, evectique lintribus ad *Insulam*, in qua latebat Cunibertus, Regis colloquium instantes precibus deposcunt. Ambo ad Regem introducti pristinæ primùm defectionis veniam suppliciter pedibus advoluti deprecantur: deinde suum fidenter consilium aperiunt, superbiam & tyrannidem Alachis exsecrati: rogantesque, ut condicto die in Ticinensem Regiam reversus se suosque cives fidissimos ipsemet præsens beet ac consoletur. Rex, qua erat clementia, facile se exorari sinit: fidem suam uterque sacramento firmant: statuitur dies, qua ad Urbis portas adfuturum se Cunibertus spondet.

Cunibertus iterum Ticinū, cunctis acclamantibus, ingreditur. Orientalium Langob. erga Alachim favor, Occidentalium erga Cunibertum.

VI. Data invicem fides stetit. Aldo & Grauso in Urbem Regiam reversi suum de Cuniberti pacifico reditu gaudium universis civibus impertiverunt. Hinc ad præstitutam adventus diem itum obviam venturo Regi: convulsa sedibus civitas gratulatura processit. Primo adventantis conspectu compressæ præ gaudio in oculis utrinque hæsere lacrymæ. Mox effuso præ lætitia communi fletu, Rex ipse flens, interruptis identidem plausibus exceptus, suisque militibus & populo stipatus in Urbem primùm, mox in Regiam fidis vallatam custodiis deducitur. Infinitæ ad eum Cleri hominumque cujuscunque conditionis ac sexus concursationes fieri cœptæ. Quos omnes Rex humanissimus familiari colloquio solari, & in melioris fortunæ spem erigere, suæque & communis recentis calamitatis commemoratione dolorem conceptum abstergere præsentiâ suâ, verbis, & promissis non cessabat. Unus, qui Cuniberti reditum ferre non posset, inventus est Alachis, qui, restituti in suam Sedem Regis nuncio accepto, velut immanis fera

inter venabula & laqueos constricta, frendere primò ac fremere, extrema quæque mali sui auctoribus minari, furere, fanda nefanda evomere, sua ipsius & hostium consilia damnare, meditari memorandam vindictam, demum defervescente irâ ad audaciam veterem moresque redire, cœptamque olim proditione defectionem ad exitum quacunque tandem ratione & aperto bello perducere. Hisce agitatus furiis, amensque Nationis suæ hostis, Langobardos ad civile bellum commovet. Placentiam (39) veniens studiosos sui quosque ad sua evocat stipendia. Penetraturus in Thusciam, ad Mutinam, fatalem illum (40) Romani Triumviralis fœderis scopulum, hærere item Alachis cogitur, resistentibus civibus; veruntamen captam urbem diruens, Thuscos etiam sub signa cogit. Hoc ex *Rhythmo* nostro supra recitato non obscure discimus, ubi (41) legitur, Cunibertum *Urbem nuncupatam Mutinam ab Alachi iniquissimo semidirutam pristino decori restituisse*. Inde Orientalem Langobardiam (42) festinanter emensus, omissis Brixianis, ditionique suæ addictis partibus, Vicentinorum animos pertentat, ab iisque repulsus Urbem obsidet, capit, & ad obsequium redigit. Intercepturus demum Forojuliensium subsidia, quos, Cuniberto jam sacramento obstrictos, ignorabat sub Regiis signis militaturos, fraude & dolo eorum fidem atque Hostis spem penitus evertit. Latens enim in insidiis apud Liquentiam cum suis Alachis, quotquot ex ea Provincia auxiliarias Regis cohortes obvias haberet, erumpens improvisò e latebris, cogebat militari sacramento sibi obligare fidem, ne contra se arma sumerent; qua fraude non fidelitatem, sed numerum armatorum sibi adjunxit, sibi ipsi additum id auxilii ratus, quod Cuniberto subtraxisset. Neque ex adverso segniùs aut remissiùs.

(39) Paul. Diac. Lib. 5. c. 39. (40) V. Cic. *Philipp.* V. n. IX. (41) sup. pag. 625. Vide & infra Sect. XI. (42) Item ex Paul. Diac. Lib. 5. c. 39. cit.

missiùs in conflando justo exercitu Rex Ticini laborabat. Dum Alachis ex Æmilia, Thuscia, ac Venetia quotquot poterat copias contraheret, Ipse Ligures omnes, durum in armis genus, Vagiennos, Taurinos, Libycios, Lævos, Insubres, Orobios, totamque Occidentalem Regni plagam ad sua stipendia evocabat. Victi etiam complures Regis lenitate & clementiâ voluntarie ad militiam convolabant. Quid plura? non defuere etiam ex Clero (43) qui, Vatiniano odio ab Alachi diffidentes propter intolerandam illius superbiam, non abnuerent arma contra infensissimum Religionis hostem distringere, justâ melioris causæ spe ducti, Deo auspice se pugnaturos. Quare tota Langobardica Natio infestis signis contra se ipsam bellatura, cæco quodam ardore correpta, mutuò se ad sui perniciem comparabat.

Brevis digressio de S. *Joannis* Bergomatis Episcopi martyrio. De Bergomensium eruditione ac litteratura honorifica mentio.

VII. Interea, dum acerbissimi belli suscipiendi fervet apparatus, & tota Langobardica Neustria pro Cuniberto adversus Alachim, ac totam Austriam, sive Orientalem Langobardiam, ab eo stipendia merentem arma distringit; ecce novum repente inter Litteratos exoritur prælium, antequam militares acies manus conferant, ad hoc plane tempus revocandum. S. *Joannes* Bergomatum Episcopus vitæ sanctitate florens, de quo cum laude meminit (44) Paulus Diaconus, evolavit ad Superos sub Calendis Decembris, anno Justiniani II. Augusti sexto, Indictione IV.[a], scilicet Æræ Vulgaris DCXC., ut sepulcralis ejus Lapis aperte indicat in hæc verba (45):

HIC REQVIESCIT IN PACE
B. M. IOANNES EPS.
QVI VIXIT ANN. * TM. XXII.
DP. SV. K. D. IND. IIII.
IMPER. IVSTINIANO.

* Plus Minus.

(43) Vide infra pag. 637. de *Zenone* Diac. (44) Lib. 6. Cap. 8. (45) Apud Mar. Lup. *Cod. Dipl.* cit. *Prodr.* Cap. XII. col. 234. Item apud Murator. ad ann. 659.

Sequenti Sæculo VIII, ait (46) Lupus, *obſidione aliqua urbi imminente, ob metum, ne ab hoſtibus ſacra Corpora, Hujus, triumque aliorum ſanctorum Martyrum*, (quos paulo inferius nominat, *beati* ſcilicet *Jacobi*, *beatæ Aſteriæ*, ſeu *Heſteriæ V. & M.*, & *Projectitii*) *aut violarentur, aut ſurriperentur, & aliò aſportarentur, in eodem templo altius effoſſâ terrâ, ſimul ſepulta ſunt atque recondita, ibique uſque ad eorum inventionem & elevationem, quæ contigit anno* 1291. *ſexto Idus Aprilis, humata atque abſcondita jacuerunt*. Hoc itaque tempore horum quatuor SS. Corpora *in medio Eccleſiæ inventa ſunt: Corpusque S. Antiſtitis cum Corpore Projectitii Martyris in uno eodemque loculo repertum eſt. Repoſita autem fuere ſacra oſſa in arcà lignea diſtinctis loculis*, ſuperpoſitâ ſingulis ſchedulâ membranaceâ, *in qua nomina Sanctorum & merita expreſſa erant, totidemque chirographa* ex ſimili membranâ, *in quibus rurſum nomina eorum & martyrium deſcripta erant*. Quare ex eo tempore dumtaxat originem videtur habuiſſe *Martyris* titulus, & invaluiſſe apud Bergomates opinio, S. Joannem Epiſcopum martyrii laurea fuiſſe coronatum, nulla habita primævi ſepulcralis Lapidis, aut hiſtoriæ Langobardicæ ratione; quum tam Lapis, quam Paulus Diaconus de hoc Joannis titulo ſileant omnino. Imo, ſi habenda eſſet aliqua in Pauli Hiſtoria chronologiæ fides, videtur potius S. Joannis obitus poſt bellum Alachianum transferendus; quum poſt narratum Libro V.° hujuſmodi bellum, ſequenti Libro VI.° Capite VIII.° honorificam de Joanne Bergomate Epiſcopo mentionem faciat. Hinc ſolertius rimati Bergomates, ut ſuopte acres ingenio, in ejus Epiſcopi ætatem, & juſtum ſui obitus tempus, & ſepulturam, ejus Martyrii acta concinnarunt, inſerta poſtmodum (47)

(46) Op. cit. col. 337. & ſeq.

(47) Vide AA. citt. in *Act. SS.* in Tom. 3. Julii pag. 200. & ſeqq.

Annalibus Ecclesiæ, & Romano (48) Martyrologio; ejusque mortem opportune rejecerunt in tempus illud, quo perduellis Alachis de Regno cum Cuniberto contenderet. Hæc affirmant recentiores Scriptores; quibus tamen mirum accidit, Paulum præteriisse silentio tam nefandum Alachis scelus, quòd nempe Joannem Bergomensem injusta morte mulctaverit; quum illius Tyranni inhonesta scommata, scurriles voces, & impia adversus Clerum Ticinensem vota tam accurate descripserit. *Nomen ejus*, scilicet Joannis, ajunt Bollandistæ, *frustra quæras apud Martyrologos classicos*, *seu antiquos*. Vetusta porro Adonis & Usuardi *Martyrologia* de hoc Martyre prorsus tacent. Imo plurimi censent, eo tempore majori conatu in Cuniberti, quam in Joannis cædem aspiraturum Tyrannum fuisse; præsertim quum urbem Bergomum in Alachis ditione fuisse comprehensam nullus unquam scripserit; imo in Paulo legamus, nonnullos rexisse Bergomum Duces, & singillatim *Rotharit* (49) qui paulo post Cuniberti obitum ab Ariperto II. Rege sui regni initio occisus fuit eâ de causa, quòd Ansprandi, Liutprandi tutoris, partibus studuisset. Certamen hoc litterarium exponere mihi satius est, quam ingredi; quum nemo me judicem constituat. Lubens ergo a proferenda sententia abstinebo, volens lectorum, utriusque partium momenta expendentium, judicio reservare. Absint itaque jurgia intempestiva, & inhonestæ calumniantium voces; neque enim hoc *Martyris* nomen crediderim unquam ex rei lapidariæ inscitia, ut objicitur, profectum. Novi politioris litteraturæ amantissimos ejus Urbis cives, quorum ingenia & elegantiam eruditionis in omni scientiarum genere versatam admiror & plane exosculor. Hanc igitur opinionem, altè infixam incolarum animis, ex veteri populari traditione primùm fluxisse facile quis fatebitur,

(48) Vide ibid. ad diem XI. Julii. (49) Lib. 6. Cap. 18. 19. & 20. V. sup. p. 394. nota (*).

quòd nempe atavorum menti ea sententia insederit, ad seros nepotes transmissa, in eo sarcophago pluta *Martyrum* Corpora semper latuisse. Expensis igitur diligenter Martyrii loco & tempore, & antiquorum silentio, & partis utriusque rationibus, nisi certiora emergant; facile ominor, nunquam defore, qui asseverent, ad veritatem propius accedere, qui *Martyrem* S. Joannem negent, quam qui affirment; postquam priora sex Sæcula S. Joannis mortem consequuta de hujusmodi martyrio prorsus siluere. Jamvero, hisce omissis, ut mei est instituti, ad sanguinolentam Alachis pugnam progrediamur.

Prima destinatur in Campo *Coronatæ* contra Alachim a Cuniberto pugna; quam tamen Rex proposito singulari cum Hoste certamine frustra studet antevertere.
* An. DCXCI.

VIII. Alachis igitur, quò numerum stipendiariorum augeret, vi partim, minisque etiam, ruinis, & fraudibus infinitam armatorum congregatam multitudinem in Brixianam suam ditionem contraxerat. Contra Rex (50) appetente vere * anni DCXCI. (51) Ticino egressus Mediolanum versus toto stipatus exercitu castra movit, unde digressus ad Regni fines amplissima in planitie, in *Campo* scilicet *Coronatæ* haud longe ab Addua (viget hujus loci nomen contractiore vocabulo *Cornate* etiam hodie ab incolis appellatum) illic pugnam destinat, inibi positis stativis, adventum Hostis impigre præstolaturus. Monitus de Regii exercitus itinere atque castrametatione Alachis ocyus per Brixianam planitiem effusis copiis festinato itinere per plana Bergomatum ad Adduam properat, copiisque trans flumen nullo obsistente traductis (militaris enim ars apud Langobardos plus viribus, quam scientia constabat) sua, qua maxime pollebat, fretus audacia, interritus ad Campum *Coronatæ* contendit, atque in Regis conspectu explicatis ordinibus subsistit. Antequam tamen signa conferrent, Rex mitissimus plus

(50) Paul. Diac. Lib. 5. Cap. 39. cit. sub fin. & Cap. 40. (51) Muratorius hanc pugnam simul & victoriam refert ad an. 690. Sed magis arridet Lupi sententia, *Prodr.* Cap. 16. pag. 359. init., qui differt ad vernum tempus anni sequentis.

de bello civili & nationis universæ periculo, quam de sua salute sollicitus, per caduceatorem rogari Alachim jussit, num singulari ipsorum certamine expediri rem totam vellet, campumque designandi potestatem ultrò concessit, in quo viritim soli congrederentur. Audito *monomachiæ* nomine exhorruit Alachis, &, refrigerato militari, quo furere videbatur, ardore, pugnam universi utrinque exercitus depoposcit. Quidam genere Thuscus, Tyranni stipendiarius, qui aderat, & imbelle æque ac immite responsum audierat, eidem exprobrare animi imbecillitatem, pudendam etiam militi gregario. Cui rubore suffusus ferocius reposuit Alachis: Memini, me, quum in Regia impuber versarer, vidisse Cunibertum mei æqualem unâ manu apprehensâ firmiter vervecis lanâ vervecem ipsum sæpius terrâ attollentem, quem imitari toto nisu cupiens incassum sæpe laboravi. Quo responso a Tyranno, etiam invito, extorta est suæ infirmitatis confessio, licet Cunibertum adjecto identidem *ebriosi* epitheto per contemptum appellare consuesset; patuitque Alachim sobrium *ebrioso* Cuniberto de fortitudine concedere. Hæc Thuscus audiens indignatus, e vestigio proripuit se, & ad Cunibertum transfugit.

IX. Designatur inde, ut apud veteres moris erat, certus ineundæ pugnæ dies. Qui antequam illucesceret, *Zeno* (52) Basilicæ S. Joannis Baptistæ a Gundeberga conditæ Diaconus, qui in regiis castris militabat, in regale tentorium festinans, suumque Cuniberto consilium aperiens, ejus genibus advolutus: Per Deum, inquit, immortalem & tutelares nationis Superos oro obtestorque, ne regio amictu in certamen procedas: hunc mihi pugnaturo permittas, velim: si incolumis evasero, in partem victoriæ veniam sub tuis auspiciis pugnans: sin autem obiero, præstat Clericum mori,

In ipso prælio *Zeno* Diaconus Regis personam & habitum mentitus, ab Alachianis pro Cuniberto interficitur. Alachis minæ in Clericos.

(52) Vide sup. pag. 633.

quàm Regem: sic geminanda erit Hosti tuo pugna, ut Cunibertum vincat. Cui Romano animo reposuit splendidè Rex: Hæc potius Alachi proponenda, qui *monomachiam* exhorret, quam Cuniberto, qui depoposcit: hoc tuum, Zeno, consilium mihi aut victoriam invidet, aut honestæ mortis gloriam præripit: præstat virtute vivere, quàm alieno beneficio: Principem decet pugnantem mori. Regis virtute deterriti Aulici & Primores exercitus lacrymantes circumsistunt Regem, idemque, quod Zeno postulaverat, deprecantur, ejus consilium laudant: quumque in Regis unius salute reipublicæ salus constet, ut animum accommodet omnium Langobardorum votis, se rogare testantur. Audito Rex totius nationis periculo ac voto, flexit paulisper ac remisit ferocem animum, invictusque lacrymis ac precibus amori cessit; ac exoratus, tandem regalem amictum depositum, non animum, Diacono permisit, testatus se vicariam Zenoni operam in pugnâ daturum lubentissime. Hæc secretò acta in Regis tabernaculo. Præstitutâ igitur die illucescente, Zeno, ut erat habitu & statura corporis Regi simillimus, amictu, lorica, & ocreis regiis indutus ex regio tentorio procedens, & Cunibertum egregie apud milites mentitus, aciem ordinat: hortatur strenuè ad pugnam ineundam, signumque certaminis dedit. Initio statim, postquam utraque acies appropinquans intra teli jactum in conspectu stetit, res mutuò gesta missilibus: mox, sagittariis in postremos ordines dilapsis, gravis armaturæ cohortes progressæ in adversos ordines irruentes, elatis de more gentis hastis securibusque, fœdis se invicem vulneribus conficiebant. Tum pede presso, quem pugnando singuli occupaverant locum aut corpore mutilato tegebant, aut viriliter stantes adversos detrudere conabantur. Utrinque statutum erat, aut pulchram per vulnera mortem oppetere, aut hoste prostrato vincere. Alachis

interea inter morientium gemitus, & pugnantium furorem densâ cohorte stipatus intentis undique oculis circumspicere, solerterque rimari, sicubi Rex appareret. Quumque notum Regis amictum, cristatamque galeam & cognitam sibi loricam oculis offenderet; omnem Suorum conatum in eum convertit: & cuneato agmine illuc irrumpens, circumfusos simulato Regi ordines disjectos penetrat: designatumque ad necem a se creditum Cunibertum invadit: crebrisque vulneribus tandem confossum terræ affigit, mox truncatum ejus caput hastæ in signum victoriæ præfixurus. Veruntamen avidè & raptim detractâ interfecto galeâ ùt tonsum occisi caput vidit, & loco Regis a se Clericum e medio sublatum; rei attonitus spectaculo, dolum sibi structum exsecratus, horrendo jurejurando se obstrinxit, se tot Clericorum virilia amputaturum, si victor ex eo prælio excessisset, quot puteo affatim opplendo sufficerent. Interea (53) falso disseminato de Regis cæde rumore, ubi referre sensim gradum Suos conspicatus est Cunibertus, adequitans ocyus turbatis ordinibus, apertoque palam capite vivum se obtulit cunctisque conspicuum. Quo cognito, confirmati extemplo milites animo, iterum pedem in justam aciem protulere: pavorque in Alachianos translatus, eòque major, quò gratior fuerat victoriæ prægustatæ fiducia. Hinc desperatâ plane, quam inaniter præceperant, vincendi spe, iniquiore animo ad arma resumenda convertebantur, quò alacrius Regii, de salute Ducis certiores, prælium urgebant.

X. Compressit tamen Suorum alacritatem Cuniberti inaudita humanitas, qui iterum proposito singulari certamine testatum omnibus fecit & quanti faceret Langobardorum sanguinem, & Alachis perfidiam. Revocatis sub signa utrinque cohortibus & armis, Cunibertus primis adequitans ordinibus, suamque & hostium aciem

Mox, dolo comperto, novoque ab Alachi recusato duello, hic tandem, iterata pugna, interficitur.

(53) Paul. Diac. Lib. 5. c. 41.

impavidus circumſpiciens, Superos hominesque teſtatus, atque Alachim elata voce compellans: Cur, inquit, tot hominum cæde ſtet unius victoria? noſtro utriuſque periculo gerenda res eſt: aut tibi meo Regnum emendum eſt ſanguine, aut mihi ſervandum tuo: nullius periculo pugnemus, ſed ſinguli noſtro: itane tot millia Langobardorum pereant, ut alteruter regnet? ſic, qui in ſingulari vicerit conflictu, certe dignior Regno cenſeatur. Quum nullibi ex adverſo Alachis appareret, ſed muto ſilentio torperet inter confertos militum cuneos, Rex ad Suos reverſus: Macti, ait, animis, milites, victum ſe fatetur Alachis facta denuntiatione pugnæ ſingularis: quandoquidem non meum dumtaxat, ſed veſtrum etiam ſitire ſanguinem Inimicus videtur, adversùs communem noſtrum omnium hoſtem viriliter me duce in certamen deſcendite. Hæc Regis dicta mirifice confirmavere regium exercitum. Contrà autem Alachiani exprobrare Duci ſuo abjecti animi pavorem, urgere, orare, minari, ut duellum acceptet, ut nationi parcat, ne effuſo Suorum ſanguine non Regem ſe exhibeat, ſed carnificem. Ille autem ſceleris ſui conſcientiâ convictus ſuique perjurii exagitatus furiis, conſtanter preces Suorum & minas eludens reponebat, vereri ſe imaginem S. Michaelis, quam eminere videbat in contis Cuniberti; ante cujus ſignum meminerat ſe olim fidem ſuam Regi obligaſſe. Quid plura? quum viritim ſingulari certamine Rex depugnare depoſceret, contrà Alachis non auderet, imo exhorreſceret; datur iterum pugnæ ſignum, & ſtatim micantibus utrinque rhomphæis, fulgentibuſque ſecuribus acerrime prælium integratur, Alachianis extortam e manibus palmam retinere, Regiis occupare volentibus. Magna demum hinc & illinc editâ militum ſtrage, eô inclinavit victoria, ubi alter ex Ducibus defuit. Regis enim copiæ toto Marte in Alachim converſæ, ferociſcimo

impetu

impetu disjectis undique defensoribus, tot vulneribus confectum oppressere, ut mox exsciso capite, succisisque cruribus, truncum & informe ejus bustum conto elatum tanquam certæ victoriæ pignus Suis, Alachianis autem terroris & fugæ signum attolleret. Quo viso, hinc exsultantium clamor auditus, inde trepidantium & terga vertentium tumultus est consequutus. Victores effuso cursu fugientium in itinere vestigiis hostium insistentes, aciem partim gladio confoderunt, partim Adduam versus fluminis gurgitibus hauriendam impulere; qui enim ferrum effugerant, præcipites Amnis aquas quum de salute solliciti tranfnatare vellent, absorpti sunt. Forojulienses per fraudem sub Alachi stipendia facere coacti, quum utrique ex Ducibus militari fide essent obstricti, neutri fuere subsidio. Namque ab armis, fervente pugna, abstinuerunt, & comperta Alachiis cade campo excessere, atque ad patrios lares pacifice reversi, morte Alachis debellatum jam esse, Suis denuntiarunt. Dilapsis undique hostibus, Alachis cadaver membratim discissum, in campo repertum, ludibrio victoribus fuit.

Cuniberti gesta post victoriam. *Zenoni* Diac. funebria persolvit. Templum ac Monast. S. *Georgii* M. Coronatæ ædificat. Mutinensium fidem remuneratur. Virginem *Theodotam* a se vitiatam Monasterio Ticinensi addicit.

XI. Feliciter tam periculoso confecto bello, nihil habuit antiquius Cunibertus paternæ pietatis hæres, quam ut Deo liberatori gratiam referret, & Diaconum, quem pro se salutis vadem priori pugnæ obtulerat, extinctumque dolebat cecidisse, honorifico sepulcro ornaret. Magnifica igitur pompa elatum ex militari campo *Zenonis* cadaver in Urbem Regiam non sine bonorum omnium lacrymis & gaudio fuit exceptum (aliis innocentis vicem & mortem dolentibus, aliis autem Regis vitam & communem salutem ejus nece redemptam gratulantibus) & *ante fores Basilicæ beati Joannis, quam ipse* (*) *rexerat*, jussu piissimi Regis tumulatum.

(*) Vitiatum hoc loco Pauli textum in Edit. Lugd. Bat. 1595. in 8., imo & in nostra Ms.

Illius Diaconi virtutem nobili ellogio immortalitati consecrari par erat, quum miles Diaconus in Regis formam indutus rempublicam justis ultus esset armis, sua morte servasset Regem, & Tyrannum crudelissimum ad Ipsius vindictam reservasset. A funebri Zenonis pompa regredientem Cunibertum gratiæ Deo Opt. Max. referendæ necessitas ad Campum *Coronatæ* revocavit. Ibi igitur, ubi prælium institutum fuerat, & summa felicitate confectum, ne accepti beneficii memoria unquam interiret, Monasterium (Virorum, credo) construi jussit, Templumque *S. Georgio* Martyri (54) nuncupari, ea fortasse de causa, ut dies etiam tam celebris pugnæ posteris commendaretur, XXIV.ª scilicet Aprilis sancto Martyri sacra, qua probabiliter sub veris initium Alachim inter & Cunibertum debellatum fuit. Imitatus, credo, filius Patris exemplum, qui diem *S. Agathæ*, suæ Ticino fugæ propitium, erecto similiter Templo ac Gynæceo, posteritatis memoriæ consecratum voluerat. Neque diffitebor, fuisse magni nominis Scriptores, qui vitiato Pauli Diaconi Codice usi, atque in errorem inducti, hoc, de quo loquimur, Monasterium ac Templum *S. Gregorio* (55) dedicatum affirment. Hos tamen refellit idem Paulus Diaconus testatus (56) aperte, pugnæ locum fuisse non longe a fluvio Addua: imo Ambrosianus noster hujus *Historiæ* Codex dilucide *S. Georgii* nomen exponit. Quare, qui *S. Gregorio* sacram Ædem & pugnæ locum in agro Ferrariensi (57) designant, manifesti sphalmatis a Paulo

diolan. Palatina 1723., ex comparatione Codicis nostri Ambros. MS. (signat. C. 72. Part. Infer.) manifeste intelligimus, quod neque Cl. Hor. Blancus in suis Notis animadvertit. Non enim Paulus scripsit: *quam ipse crexerat* (ex quo inferri deberet, *Ipsum*, idest Cunibertum vix nominatum, aliam hujus nominis Basilicam a fundamentis erexisse) sed: *quam ipse* (idest Zeno Diaconus) *rexerat*; ut in aliis etiam vulgatis Editionibus legitur.

(54) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 17. Andr. Presb. in *Chron.* cit. apud Murat. *Antiquit.* Tom. 1. col. 42. D. (55) Vide not. 75. in Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 17. cit.
(56) Lib. 5. Cap. 40. cit. (57) Vide not. 75. cit. in h. l. & Murat. *Antiq.* T. 5. col. 429. A.

ipſo arguuntur. Exſtat adhuc poſt XI. fere Sæcula in pago Inſubrum *Coronatæ* Templum *S. Georgio* dedicatum, quod in Parœciæ uſum traductum vetus nomen, non tamen fabricam ſervat; & per temporum injuriam exciſo licet (58) Monaſterio, loci & pugnæ & Monaſterii memoriam obliterari atque excidere unus Paulus Diaconus feliciter non permittit. Hoc itaque conſtituto Religionis & grati erga Deum animi monumento Rex ad ſarcienda præteriti belli damna cogitationes ſuas appulit, mentemque ac manum viriliter admovit. Mutinenſium enim fidem, qui Alachi in Thuſciam progreſſuro, ut (59) præmonuimus, fortiter ac ſtrenue obſtiterant, ſuæque urbis ruinam Regis ſecuritati ac periculo prætulerant, remunerari non deſtitit, eorumque calamitatem ſublevare, reſtituta mœnia ac munitiones ad priſtinum decus ac dignitatem revocans, ut *Rhythmus* noſter (60) teſtatur. Neque dubito, Vicentinos ac Forojulienſes eadem paſſos paribus etiam beneficiis fuiſſe a Rege juſtiſſimo ornatos. * Exſtat teſtimonium hujus beneficentiæ erga Rodoaldum Forojulienſium Ducem, teſte ipſo (61) Paulo, qui injuſte a perduelle Ansfrit ditione ſua exturbatus quum ad Regem auxilium poſtulaturus Ticinum confugiſſet, promptiſſimum apud Eundem nactus eſt præſidium: quumque Cunibertus illuc eſſet ducturus ſubſidiarium exercitum, perterritus Ansfrit, elato in Regem ipſum perduellionis ſigno, Regis vindictam ocyus ſenſit. Nam vinculis a Suis conſtrictum, ſibique Veronæ, quô proceſſerat, oblatum non ſolum Ducis inſignibus ſpoliavit, ſed oculis privatum in exilium quandiu *An. DCXCIII.

(58) De *Abbatia Coronatæ in honorem S. Georgii constructa* fit mentio in *Diplom.* Lud. III. Imp. ad ann. 901. apud Ughell. *Ital. Sacr.* Tom. 5. col. 271. Quam fuiſſe in Diœceſi Mediol. ſitam probat Tattus in Annal. Comenſibus *Dec. II.* Lib. 1. pag. 16. & ſeqq. In Charta Venditionis ann. 998. apud Murat. *Antiq. Med. Ævi* Tom. 3. col. 741. memoratur tantum *Ecclesia infra ipso Castro* (ideſt *Coronate, qui est juxta fluvio Adua*) *constructa in nomine Sancti Georgii*. Vide & Lupi *Prodr.* Cap. 16. §. 2. col. 359. & ſeqq. (59) Sup. pag. 632. (60) Sup. pag. 625. (61) Lib. 6. Cap. [illegible]

vixit detrusit. Una supererat a Rege pristina delenda ejusque honestati jamdiu inspersa macula per stuprum Romanæ Virgini *Theodotæ* (62) illatum; a cujus consuetudine non omnino abhorrens ægre vix avelli fortasse patiebatur. Veruntamen postquam Alachim divino beneficio superaverat, Se ipsum etiam vincere aggressus, admodum raro virtutis exemplo non modo sceleris sui pœnitentia ductus eam a Se distrahi haud gravate est passus; verum etiam non invitam, sed lubentem volentemque Deo dicatam, Monasterio a Patre constructo addixit, atque in senioris *Theodotæ*, suæ ipsius Amitæ, disciplina erudiendam tradidit, honestioribusque moribus formandam.

CAPUT DECIMUM.

Diversa Scriptorum sententiæ de SS. Benedicti & Scholasticæ Ossium in Gallias translatione.

AD Cuniberti regnum revocat (1) Paulus Diaconus translationem in Gallias Ossium SS. Benedicti & Scholasticæ; narratque, quomodo Monachi e Gallia venientes ad desertum olim ac dirutum a Langobardis Cassinense Monasterium, ibique orando se pernoctare velle simulantes, furtim effossa silentio Sanctorum Ossa in Gallias asportavere. Mirum dictu, quantum in diversa abeunt studio partium abstracti Gallici Italique Scriptores, quorum rationes atque sententias persequi infinitum esset; aliis de rei veritate, aliis de tempore translationis certantibus. Ut me uno verbo expediam, singuli mihi videntur, ut vetere effertur adagio, fluctus in simpulo excitare. Lege sis Diaconum, qui suam Langobardicam *Historiam* in ipso Cassinensium Monasterio, a Petronace (2) reædificato, conscripsit centesimo circiter post translationem in Gallias eo-

(62) V. sup. p. 556. 598. & 62[illegible] (1) Lib. 6. Cap. 2. V. sup. p. 595. (2) Lib. 6. Cap. 40.

rum Ossium anno: *Circa hæc tempora*, sic ille (3) inquit, *cum in Castro Cassino, ubi sanctissimi Benedicti sacrum Corpus requiescebat aliquantis jam elapsis annis, vasta solitudo exsisteret, venientes de Cenomannicorum, vel Aurelianensium regione Franci, dum apud venerabile Corpus pernoctare se simulassent, ejusdem venerabilis Patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholasticæ ossa auferentes in suam patriam asportaverunt. Ubi singillatim duo Monasteria in utriusque honorem, beati Benedicti & sanctæ Scholasticæ, constructa sunt. Sed certum est nobis, os illud venerabile & omni nectare suavius, & oculos semper cælestia contuentes, cetera quoque membra, quamvis in cinerem defluxa, remansisse*. En quomodo ille Monachus sincere admodum ac sine fuco describat, quid in Gallias de Sanctorum illorum Corporibus translatum fuerit, quid autem Cassini remanserit: Ossa nimirum sancti Patris Floriacum, suæ autem Sororis Aurelianum deportata; eorum vero molliora & carnea membra, Benedicti linguam ac labia oculosque cælum contemplari solitos, ceteraque in cinerem defluxa, apud Cassinenses remansisse. Profecto non video, huic testimonio tam dilucido obloqui, aut adlatrare aliquem posse. Discriminat scilicet solidiores eorum Corporum partes a mollioribus in cinerem resolutis, quarum illas ingenue fatetur a Gallicis Monachis furto sublatas; has vero inibi tamen relictas aperte testatur.

Paulus Diac. erroris ac credulitatis obiter arguitur. Bedæ testimonium de fine *Schismati Aquil.* tandem imposito. Nulla *Aquilej. Synodus* Sergii tempore coacta.

II. Complura alia, quæ Paulus in Cuniberti regnum, victo Alachi, improvide congerit, non est meum persequi, sed lubens omitto, quæ in superiora tempora fuissent rejicienda. Neque enim ullo modo pertinent ad Cuniberti post Patris mortem regnantis epocham, quæ nobis ex *Pontificali* Libro propinat (4) Paulus de *Synodo Constantinopolitana* III.ª, inter Œcumenicas VI.ª Nemo non videt, ad Agathonis ac Bertaridi annos retro trahendam *Epistolam*

(3) Lib. 6. Cap. 2. cit. (4) Lib. 6. Cap. 4. Vide sup. pag. 608. & 609.

ſub *Manſueti Mediolanenſis* nomine conſcriptam, de qua ſuperius (5) egimus. Idem dicendum de iis, quæ idem Hiſtoricus (6) refert de Romæ & Ticini graſſante peſtilentia, Indictione VIII., anno ſcilicet DCLXXX. Præſtat irridere potius, quam narrare anilem fabellam (7) de Aldone & Grauſone, de Regis contra eos inito conſilio, per muſcam revelato, quæ feneſtræ Regis inſederat, deinde in hominis formam reſtitutam. Quoniam vero mentionem inferius (8) injicit Paulus de *Synodo Aquilejenſi*, & plura falſa ibidem veritati permiſcet, perturbatque temporum ſeriem, neceſſitatem mihi injicit, ut auxilio ſuperius deſcripti *Rhythmi* vera a falſis ſecernam, & *Synodi* hujus tenebris disjectis Pauli verba explicem, ac veluti caudæ equinæ pilos paulatim evellam. Primus omnium, qui de hujus fine Schiſmatis mentionem in vetere fecit Eccleſiæ Hiſtoria, Venerabilis Beda (9) videtur fuiſſe, ſic ſcribens: *Synodus* (*) *Aquilejæ facta ob imperitiam Fidei* Quintum *Universale* Concilium *ſuſcipere diffidit*; * *donec ſalutaribus beati Papæ*

* An. DCXCVII. vel DCXCVIII.

Sergii monitis inſtructa, & ipſa huic (Quintæ Synodo) *cum ceteris Chriſti Eccleſiis adnuere conſentit*. Chronologi more Beda totam breviter Schiſmatis illius hiſtoriam, initium ſcilicet, progreſſionem, & finem mihi videtur fuiſſe complexus. In hanc igitur ſententiam Bedæ veriſſima verba ſunt reſolvenda. Poſtquam a Pelagii I. temporibus (10) Conciliabulum Epiſcoporum Hiſtriæ, ſive Aquilejenſis Provinciæ, conjuratione facta, *V.*^*am*^ *Synodum* Œcumenicam Conſtantinopoli habitam, male intellectis ejuſdem Canonibus, ſeu *Tribus*

(5) Sup. pag. 606. & ſeq. (6) Lib. 6. Cap. 5. Sup. pag. 615. (7) Lib. 6. Cap. 6. (8) Lib. 6. Cap. 14. Confer Bedæ teſtimonium cum verbis Pauli Diaconi infra Sect. VII.
(9) *Chron. de VI. Æt.* Ed. Cantabr. 1722. p. 32. V. & Hiſtor. Concil. CP. II. in *Concil.* Tom. 5. col. 416. A. Vide ſup. pag. 613. (*) Hic in margine ab Editore appoſitus annus 708., ſed erravit plane Editor in deſignando anno concordiæ Aquilejenſium cum Romana Eccleſia per Sergium initæ, quæ ad ann. 697. vel 698. eſt referenda; quandoquidem Sergius anno 701. vitam cum morte commutavit. (10) Vide ſup. pag. 344.

Capitulis, recipere recusavit, tandem post annos ferme CL. Sergius I. ad unitatem Ecclesiæ eos revocavit. Hæc suis Annalibus inserebat Beda laconice quidem, sed vere, quum nihil de hujus Schismatis initio antea commeminisset. Secus Auctor (11) *Libri Pontificalis*, Paulus Diaconus, & Sigebertus Gemblacensis in *Chronico* (12) ad annum DCXCVIII., qui eadem ipsissima mutuati a Beda sunt sententiam & vocabula, mirum quantas tenebras legentibus offuderint in re suapte natura clarissima. Horum singuli quum historiam & res suis accommodatas temporibus describerent, manifesto errore, Bedæ verbis usi, discordiam Aquilejensium cum concordia conjungunt, bellumque paci permiscent. Quare horum dictione decepti Scriptores Ecclesiastici (13) subsequentes putavere, *Synodum Aquilejæ* (14) factam fuisse, in qua de concordia cum Romana Ecclesia ineunda sanciretur. Quæ porro *Synodus* nulla unquam fuit, ut mox videbimus. Urget hic locus, ut *Rhythmum* nostrum ducem secuti, tanquam Ariadnæ filum, in ipsa veritatis cubilia ingrediamur.

Sergii Pp. adversus Justinianum II. Aug. constantia pro tuenda Fide in *Trullana* Synodo labefactata. Ejus cum Benedicto nostro ac Cuniberto Rege consilia pro Aquil. Schismate penitus extinguendo. Id confirmatur ex *Rhythmo*.

III. Congrua ratione moniti (15) prædiximus, Benedictum Mediolani Episcopum diu Alachiani belli tempore Romæ versatum, adhibitumque in consultationibus Sergii Pontificis, de Aquilejæ Schismate penitus supprimendo probabiliter egisse. Erat opportune, sive importune tum habita Constantinopoli (anno circiter DCXCI.) *Trullana* sive *Quinisexta* Synodus, cujus Decreta jussu Aug. Justiniani II. Romam missa fuerant, a Sergio subscribenda. Quod Sergius constantissime Augusti gratiâ æque ac irâ invictus facere quum recusasset; exsecratusque esset oblatos Canones, præsertim

(11) In Vita *Sergii*. Vide not. 57. ad h. l. Paul. Diac. (12) Apud De Rubeis Op. cit. Cap. 36. col. 312. Vide etiam ibid., & in *Append.* pag. 9. col. 2. *Chronicon* Mſ. ab eo editum, ubi sic legitur: *Hujus* (i. e. Petri Patriarchæ Aquilejensis, qui Cathedram ascendit anno 698) *tempore Universalis Synodus apud Aquilegiam celebratur*. (13) Vide infra pag. 655. (14) De Rubeis Op. cit. Cap. 36., Murat., & Maurini Chronographi, in eundem errorem lapsi, statuunt hanc commentitiam *Synodum* ad ann. 698. (15) Sup. p. 622. & seqq.

contra Ecclesiæ morem sancitos sola Imperatoria auctoritate, cujus tum non esset ecclesiasticam disciplinam reformare; Sacerdotali sua constantia ita offenderat atque inflammaverat Augusti animum, ut hic Sergium per vim expugnare ejusque assensum extorquere meditaretur. Itaque misit Romam Zachariam Protospatarium cum mandatis, ut in vincula conjectum Sergium Constantinopolim duceret. Sed infelicissime cesserat Imperatoris consilium; namque populari favore defensus egregie Pontifex fuerat, & Protospatarius, ad necem petitus, multitudinis furore oppressus cecidisset, nisi a Sergio ipso opem atque auxilium impetrasset. Tot igitur Romanæ adeoque universæ Ecclesiæ perturbationibus commotus Sergius atque animo prævidens futuram Icononomachorum tempestatem, cujus jacta semina aliquot intuebatur in LXXXII.° *Trullani Concilii* (16) Canone, nihil habuit antiquius ac præstabilius, quam Italiæ universæ in una fide consensum ac Dogmatum unitatem curare; quæ postea toti Italiæ & Ecclesiæ universæ, ut exitus demonstravit, & dignitatem peperit, & libertatem. Quare Pontificiam hanc sollicitudinem ocyus ad evellendas *Aquilejensis Schismatis* reliquias convertit; & Cuniberti Regis pietati ac religioni præfidens non dubito quin ea occasione, Benedicti nostri consiliis usus, hujus opem etiam ad Regis favorem in hac re atque præsidium implorandum interposuerit. Hinc Româ redux Mediolanensis Antistes, communicato Regi, atque Damiano sanctissimo Ecclesiæ Ticinensis Episcopo, Pontificis consilio, postquam pacata undique essent omnia, & externa atque intestina quiescerent bella, perfacile uterque piissimum Cunibertum permovit, ut tam salutari operi adjutricem non solum porrigeret manum, sed pro Regia sua potestate efficacem. Conjectura

(16) Apud Labbé *Concil.* Tom. 6. col. 1177.

jecturæ huic non leve pondus addunt ipsa *Rhythmi* (17) nostri verba, quæ testantur, idcirco jussos Aquilejenses ad unitatem redire Ecclesiæ, *Fides ut esset in tota Hesperia coadunata*. Hæc porro verba Pontificiam potius declarant sollicitudinem, quam Regiam, quum toti Cunibertus non imperitaret Hesperiæ. Hinc felix exitus compressi Schismatis, & Schismaticorum Romam ad Sergium dimissio a Rege jussa, demonstrant gloriam totam extincti ejusdem Schismatis Sergio tanquam uni operis auctori & architecto ultro concessam; quod Beda ipse (18) non diffitetur, qui machinationis & Pontificii consilii ignarus palam fecit, *Synodum*, seu Ecclesiam, *Aquilejensem salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructam & ipsam huic* (Quintæ Synodo) *cum ceteris Ecclesiis adnuere consensisse*.

Rhythmi sup. recit. prior pars enucleate expenditur; ubi obiter de *Papiæ* nomine Urbi Ticinensi indito. De Damiano Ticinensi Episcopo.

IV. Hæc atque similia Bedæ aliorumque Scriptorum verba impositum Schismati finem, Sergio auctoritatem suam interponente & concordiam confirmante, vere ostendunt; veruntamen Cuniberti Regis operam, & modum, quo compressum est Schisma, obscuris omnino tenebris consepultum Cimmeria, ut ita dicam, nocte obruunt. *Rhythmus* profecto noster caliginem hanc hactenus obscurissimam discutit plane, & nova luce affusa totam nobis extincti inveterati Schismatis historiam texit, omnibus hucusque incognitam, sed fide dignissimam & a coævo Scriptore profectam. Igitur rhythmicus noster Vates narrationem suam ad morem Bedæ exorsus nos docet, Aquilejæ Schisma hoc initium habuisse; utque elegantius locum describat, frigida *paranomasia* ludit (19) in *Aquilejæ* nomine inquiens, *exortum Schisma prisco de tempore ab Aquilone parte*, *unde* scilicet *omne malum panditur in universa terra*: quam senten-

(17) V. sup. p. 625. (18) V. sup. p. 646. V. & infra Sect. VII. (19) V. sup. p. 625.

tiam *Isaiæ* falsò tribuit, quum apud Jeremiam (20) legatur. Mox addit peritus Scripturæ Sacræ auctor, in hac Aquilonari parte *Superbum*, ideſt Diabolum, *thronum elegiſſe*, male alludens ad Isaiæ (21) dicta: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*. In quarta mox ſtropha omittens *Aquilonis* metaphoram, rem ipſam gratulabundus exponit: *Aquilejenſes* tandem *recepiſſe commune nobiſcum Fontis lavacrum*, ſeu baptiſma; *Trinitatem* cum Romana Eccleſia æqualiter profeſſos; atque *Synodum Quintam* penitus IV.ª conſentientem acceptaſſe; quum ipſi uni Fidei articulo diſſentientes extra Eccleſiam eſſent, ac ſi omnem fidem amiſiſſent, juxta illud (22) Jacobi: *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno; factus eſt omnium reus*. Itaque, ut in unum Eccleſiæ corpus omnia ejus membra in *Heſperia* coaleſcerent, progrediens noſter Scriptor narrat, a Cuniberto Rege Ticinum evocatos *diſſidentes Aquilejenſes* in ipſum Regale Palatium: & Scriptores Ticinenſes, etiam (23) recentiores, id docet, quod hactenus omnes ignoraverant, nimirum *Papiæ* nomen inditum Urbi Ticinenſi ante Sæculi VII. exitum, in hæc verba: *advocari præcepit Urbi, ubi reſidet, Ticino dicta ab Amne, qui confluit, proprium gerens Papia vocabulum*. Hæc aſſerens coævus Cuniberto Scriptor juſſu Regis, ut in fine *Rhythmi* teſtatur, qui Sæculum VII. moriens clauſit, certe probat, ante VIII. Sæculum non ignotum fuiſſe *Papiæ* nomen. Aulam Regiam ingreſſis Patribus, tum ex Catholicorum dogmate, tum ex Aquilejenſium ſecta quum inſtituta

(20) Cap. 1. v. 14. *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*.
(21) Cap. 14. v. 12. & v. 13. (22) Cap. 2. v. 10. (23) Vide inter al. Capſon. Op. cit. Tom. 1. §. CXX. pag. 150. & Tom. 2. §. CXX. pag. 170. ubi VIII. vix Sæculo *Papiæ* appellationem invaluiſſe affirmat.

esset utrinque disputatio: utra, pars rectius & ex vero Patrum sensu Fidei orthodoxæ adhæreret; Synodi Chalcedonensis auctoritate & Romanorum Pontificum decretis obruti Aquilejenses manus dederunt Catholicis & verum dogma sequi se velle professi sunt constantissime. Eorum nomina, qui huic Palatino interfuere Concilio Ticini habito, Poeta noster silentio præterit. Inquisitum certe asserit in scripta & hæresim *Pauli*, *Pyrrhi*, *Ibæ*, & *Theodoriti*, quemadmodum in *Quinta Synodo* Œcumenica factum legimus diserte. Id unum Aquilejenses a Rege postulavere, ut prius Catholici veræ Fidei dogma profiterentur, polliciti jurejurando, se idem conceptis verbis professuros palam; quod facile a Cuniberto fuit impetratum. Digressi igitur ab Aula in Ecclesiam, *ovantium* more, universi primò Catholici, mox Aquilejenses, hi sancte juravere, *Quintam* se recipere *Synodum*, atque in omnibus Romanæ consentire Ecclesiæ. Jusjurandum subsequuta est arrha concordiæ: immolata scilicet Deo incruenta Hostia Corporis & Sanguinis Dominici statim fuit à Sanctissimo Ticinensi Episcopo, ut verisimiliter admodum reor, tum *Damiano*, quo præsente tota res fuerat transacta & felicissimum ad exitum perducta. Dum sacrum parageret, incredibile dictu est, quo gaudio atque animorum motu utrinque fuerit triumphatum. Nullus de Orthodoxis æque, ac de reversis ad cor Aquilejensibus sponte fluentes ex pacis initæ felicitate lacrymas continere ob fletum poterat. Quotquot autem aderant non Christum sub mysteriis latentem, sed verè præsentem ac palam conspicuum suismet oculis usurpare sibi videbantur. In immolatæ sacrosanctæ Hostiæ partem ac communionem venere tam Catholici, quam Aquilejenses, ejurato Schismate unum Christi corpus effecti, & ad ovile Dominicum reducti.

Reliqua pars *Rhythmi* ad trutinam revocatur; ubi de *Thomæ* Ticin. Diac. & *Theodoaldi* Legisperiti ad Sergium Pp. legatione. Quis fuerit hic *Thomas*. Romana Synodus cogitur. Schisma Aquilejense penitus tandem extinguitur.

V. Unum supererat perficiundum; scilicet, ut summus Gregis Dominici Pastor Sergius, verus S. Petri Successor, cui Regni cælestis clavium data est potestas, hasce antea dispersas oves, nunc acquisitas, cognosceret, & Ipse ab ovibus cognosceretur. Utràque ex parte jam fuerat a religiosissimo Rege consultum. Geminos enim jam destinaverat animo legatos de tam felici rerum eventu Romam ad Summum Pontificem Sergium mittendos, *Thomam* scilicet Ecclesiæ Ticinensis Ministrum, & *Theodoaldum* legum peritissimum, qui acta in Ticinensi Disputatione testarentur, litteras vero Damiani publice Sergio Pontifici offerrent, quibus Hic ejuratum ab Aquilejensibus Schisma ex juris forma edoceri posset. Jamdiu piorum Regum Bertaridi & Cuniberti auspiciis fulta Ticinensis Ecclesia egregios alumnos Deo militantes numerabat, ut vidimus (24) in Concilio Mediolani, cui Ticinensis Episcopus Anastasius cum Damiano item Ticinensi Sacerdote interfuerat. Quum vero *solus* regnaret Cunibertus, sedente in Ticinensi Cathedra eodem Damiano jam Episcopo, eminebant in Clero singularia *Thomæ* merita, qui generis præclari nobilitati summas animi dotes virtutesque adjunxerat. Hic mihi ipse videtur, *Vir religiosus & sapiens*, quem, occupato ab Alachi Ticinensi Palatio, ad eum miserat (25) Damianus, *Eulogiam* suo nomine imperciturum, quique ab ipso postea Alachi admodum inhoneste exceptus fuit & non sine ludibrio dimissus. Injecta hujus *Thomæ* commemoratio revocat in mentem illius sepulcrale Ellogium ab ejus discipulo concinnatum, quod nobis Palatinus Codex pluribus ab hinc Sæculis scriptus, & ex eo Gruterus in sui *Inscriptionum Thesauri* Appendice (26) servavit. Fusè in eo illius sanctitatem & egregios mores testatos habemus,

(24) Vide sup. pag. 607. (25) Vide sup. pag. 629.
(26) Tom. 2. Append. pag. MCLXIX. n. 6. inter Epitaphia Ticinensia.

& qua virtute atque existimatione Ticini floreret. Vindicanda igitur ab oblivionis tenebris tanti Viri memoria, quam veteres ejus cives adeo honestarunt; recentiores autem ita quasi neglexere, ut hocce monumentum credatur deperditum: præsertim quum hujusmodi *Epitaphium* maximam *Rhythmo* nostro lucem afferat, & invicem *Rhythmus* veritatem *Epitaphii* confirmet. Poterat quidem hæc Inscriptio antehac Œdipum aliquem desiderare; veruntamen ope *Rhythmi*, quem protuli, in tam bono lumine collocantur *Thomæ* merita in Aquilejensium reconciliatione, & ejus in Histriam (*) legatio, nihil ut amplius ambigatur. En primam *Epitaphii* partem, quam fideliter ex Grutero oculis subjicio:

QVIS MIHI TRIBVAT VT FLETVS CESSENT IMMENSI
ET LVCTVS ANIMAE DET LOCVM VERA DICENTI
LICET IN LACRIMIS SINGVLTVS VERBA ERVMPANT
DE TE CERTISSIME TVVS DISCIPVLVS LOQVOR
TE GENEROSITAS MINISTER CHRISTI PARENTVM
TE MVNDA ACTIO THOMAS MONSTRABAT HONESTVM
TECVM VIRGINITAS AB INCVNABVLIS VIXIT
TECVMQVE VERITAS AD VITAE METAM PERMANSIT
TV CASTO LABIO PVDICA VERBA PROMEBAS
TV PATIENS IAM PARCENDO PIE DOCEBAS
TE SEMPER SOBRIVM TE RECINEBAMVS MODESTVM
TV TRIBVLANTVM VERA CONSOLATIO VERAX.

Sacerdotem hunc præclara virtute & doctrinæ fama illustrem dignum censuit Cunibertus, cui conciliandæ Aquilejensis Ecclesiæ gravissimum onus imponeret. Ei igitur ad se evocato Rex consilium suum aperit; seque ipsum sequestrem pacis offert. Commen-

(*) Hujus *Thomæ* Ellogium exscripsit etiam Baronius (ad ann. 638. §. IV.) quum tamen nullam de ejusdem Ticinensi patria mentionem injiciat; imo 60. circiter ante annis Honorii Papæ jussu hanc apud Istros legationem pro Schismaticis conciliandis obiisse *Thomam* existimet. Ejusd. Ellogii fragmentum vide etiam ap. Murat. *Antiquit.* Tom. 3. col. 681.

dat *Thomas* egregium Cuniberti consilium, neque demandatam sibi provinciam subterfugit. Mox Ejus voto obsequutus, non asperitate itineris commotus neque viarum periculis, ninguida Juliarum Alpium juga transgressus in Histriam proficiscitur. Hinc verosimillimum puto, inibi coacto Schismaticorum cœtu Regis voluntatem ac desiderium exposuisse: rationum vi & Pontificiorum Decretorum pondere pertinaciam Sectæ exprobrasse primùm, mox argumento flexisse, demum expugnasse: & pronas ad fœdus cum Romana Sede confirmandum quum eorum sententias explorasset, felici legatione perfunctum Ticinum rediisse: Cuniberto renuntiasse propensos ad concordiam Aquilejensium animos, si Regium desiderium pro pace solemniter confirmanda accedat. Neque hæc quispiam putet figmenta ad fucum legentibus faciendum: testem depromo finem Inscriptionis ejusdem *Thomæ* tumulo in hæc verba:

* In Ed. Grut. *error*.

ERRORE * VETERI DIV AQVILEGIA CAECA
DIFFVSAM CAELITVS RECTAM DVM RENVERET FIDEM
ASPERA VIARVM NINGVIDOSQVE MONTIVM CALLES
CALCANS INDEFESSVS GLVTINASTI PRVDENS SCISSOS.

Ambo igitur isti legati, *Thomas* & *Theodoaldus*, Romam cum Aquilejensibus profecti, ubì in conspectum venere Pontificis, protulerunt Acta Ticinensia per seriem ab Episcopo *Damiano* sapienter digesta, & divino afflatu Patrumque sententiis confirmata. Hisce lectis, auditisque legatis, constituit Pontifex Synodum cogi Patrum de Urbicariis suis; qua congregata, legatisque Regis cum Aquilejensibus admissis, oblataque *Damiani Scheda* & publice in Synodo recitata, rata omnia habuere congregati Patres, Disputationis Ticinensis acta laudarunt, atque initam antehac concordiam iterum confirmandam communi suffragio censuerunt. Iere in Romanorum Patrum sententiam Aquilejenses, & palam ejurato Schismate, proba-

táque *Quinta Synodo*, præteritorum veniam ab Summo Pontif. deprecantes facile impetravere, inque ſinum Catholicæ Eccleſiæ tandem recepti ſub uno Paſtore in unum ovile Dominicum ſunt reſtituti. Hiſce rite peractis Pontifex Sergius, quum multa præclare de Cuniberti Regis pietate ac religione dixiſſet, ad legatos converſus, illum Apoſtolica, qua pollet, & Petri vicaria poteſtate omnibus peccatorum vinculis abſolvit, fretus Apoſtoli *Jacobi* (27) ſententia, quam rhythmicus Poeta noſter *propheticam* appellavit: *Qui peccatorem ab errore convertit, ſuam a morte liberabit animam* (*) Mox, ut *Synodi Quintæ* Patres ſanxerant, ſcripta *Pauli*, *Pyrrhi*, *Ibæ*, & *Theodoreti* in Synodum allata igni concremanda obtulit, ut eorum Codicum penitus memoria interiret, quibus polluta Aquilejenſis jam centum quinquaginta circiter annis Eccleſia in Schiſmatis ſordibus contabuerat. Sic tandem hac *Romana Synodo*, quam hactenus univerſi Scriptores Andabatarum more, hujus *Rhythmi* lumine deſtituti, *Aquilejenſem* (28) appellavere, finis impoſitus diuturno Schiſmati & tam periculoſo; quodque Pelagii utriuſque conatus, Gregorii Magni conſilia & rationes, imo Exarchorum Ravennatium potentia & vis obtinere nunquam valuit, Sergii I. ſollicitudo, ſimulque mitiſſimi itemque piiſſimi Regis Cuniberti imperium impetrarunt.

---

(27) *Epiſt.* Cap. 5. v. 10. *Scire debet quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

(*) Hæc idcirco dixit Sergius, quoniam Gregorius M. in *Epiſt. ad Gulfarem Magiſtrum Militum* (Opp. Tom. 2. col. 998. *Epiſt.* 93.) uſus eſt eadem ſententia in hæc verba: *Habe, glorioſe fili, ex tanto talique opere præfixam de divina retributione fiduciam, in qua vos non ſolum noſtra adhortatio, ſed & Apoſtolicus quoque ſermo confirmat: Quia is, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Hæc Jacobi ſententia in Vulg. Edit. habet *animam ejus*, in Rhythmo vero *animam ſuam.* Sed hæc varia lectio non infrequens: in Antiqua enim Verſione legitur (ap. Sabater.) *ſalvat animam de morte ſua*: Beda etiam (ap. eund. Sabater.) obſervat, Latinorum Codices alios habere *ſuam*, alios *ejus*. Neutrum vero in Græco legitur, ſed tantum: *ſalvabit animam a morte* &c.

(28) Vide ſup. pag. 646. & 647.

Rhythmi conclusio. De Litterarum rusticitate Cuniberti ævo earumque paulatim progressibus usque ad Liutprandum. De hujus *Rhythmi* ætate. Quæ demum Schismatis extinctionē sint consequuta.

VI. Neque mihi silentio videtur dimittenda *Rhythmi* hujus, quem in lucem profero, conclusio, non solum dictis lucem, sed auctoritatem & fidem allatura. Finem itaque imponit Poeta conversus ad Regem, veniam ab ipso petens, quòd male admodum ejus mandata impleverit, asserens, sibi facultatem utique defuisse, non voluntatem. Verè quidem, quum ubique inflexionibus nominum ac verborum omnino præ se ferat, vernaculī Latini sermonis leges non callere, testeturque lucubratione sua litteras valde rudes Cuniberti ætate fuisse; licet protopædagogum, uti jam (29) vidimus, *Felicem* auro argentoque distincto sceptro donasset. Video autem Latinitatis usum (30) in Inscriptionibus, quæ initium habuere Cuniberti ævo, ad aliquam elegantiam propius accedere Liutprandi ætate, si comparo (31) *Rhythmum* hunc, item (32) *Cuniberti*, (33) *Theodotæ*, (34) *Cunipergæ*, & (35) *Ansprandi* Epitaphia cum rhythmicis (36) S. Petri Ticinensis Episcopi, & (37) Liutprandi Regis Epitaphiis, hujusque (38) Ellogiis, aut cum Rhythmo (39) *De Laudibus Mediolani* apud Muratorium & Gratiolium. Observandum etiam occurrit, quod Rex ipse Aquilejensium pacem cum Romana Ecclesia jussit litteris consignari, ut facti memoria apud posteros exitaret; quod laudabile certe consilium vel Ariperti II. furor, vel Pauli Diaconi oscitantia irritum cassumque reddidit. Siquis vero me arguat, quod infelix hoc atque informe Opus *Rhythmi* nomine inscripserim, tueri me facile possim Scriptoris ipsius testimonio; quoniam (40) profitetur, se *metrice scripsisse per prosam, ut oratiunculam*.

---

(29) Vide sup. pag. 535. 621. & infra p. 662. (30) Vide & infra p. 661. & 662. cit. (31) Vide sup. pag. 536. 579. & 625. (32) Vide infra p. 662. cit. (33) Vide sup. p. 582. (34) V. sup. p. 600. (35) V. infra Cap. XI. Sect. XIII. (36) Ap. Gruter. T. 2. App. pag. MCLXVII. n. 8. & 9. (37) V. in P. Diac. Lib. 6. Cap. ult. not. 245. (38) Ap. Gruter. cit. pag. seq. n. 8. 9. & 10. (39) Vide in fine hujus Operis. (40) V. sup. p. 532. & 536.

culam. Quod ego dictum interpretor de modo, quo usus est Auctor in scribendo per prorsam sive integram usque ad finem chartæ lineam, non autem versam in singulis *Rhythmi* membris scripturam ita, ut scriptus videretur ad modum orationis. Hinc *Rhythmi* dumtaxat strophas crucibus distinxit, non partes stropharum, ut legenti tabulas superius expositas facile constabit. Illis igitur verbis Poeta excusat quidem informem suum in metrica lucubratione conscribendi modum, sed illum *metrice* compositum confitetur: quo autem *metro* sit concinnatum, malim a legentibus discere, quam ab Auctore. Postremo loco Deo Opt. Max. grates pro Ecclesiæ impertita tranquillitate agens ignotus noster Vates Christum supplex rogat, ut Regem Cunibertum in suam clientelam recipiat, eidemque in longum ævum duraturam vitam in hoc sæculo tribuat, sempiternam postmodum largiturus. Hæc plane verba synchronum vatem aperte probant; quemadmodum & priora illa, quibus paulo superius se jussu ipsius Regis *Rhythmum* hunc scripsisse testatur. Maxime optassem, ut Poeta noster conditiones hujus concordiæ vel a Pontifice propositas, vel eidem ultro oblatas exposuisset, ac posteris mandasset. Ipse tamen rerum exitus quales fuerint demonstravit. Nihil enim de ipso, qui tum vigebat, rerum statu immutatum consequutis pacem annis plane video. Nimirum *Patriarchæ* nomen (41) in Romanæ Sedis contemptum initio a perduelle Paulino assumptum, exinde retentum fuit, imo geminatum; quum eodem titulo ornati postea fuerint tam Catholicus Gradensis, quam Aquilejæ Veteris Episcopus. Divisio autem Ecclesiarum inter Catholicos atque Schismaticos facta perseveravit; nempe illæ, quæ Schismate vigente transfugerant ad alterutrum ex Patriarchis, eisdem

(41) Vide sup. pag. 346. & 384. & loc. cit. ibid. in nota (66)

etiam pacis tempore fuerunt addictæ, ut de Comensi (42) testatum est. Quare admirari subit Romanorum Pontiff. moderationem, qui concordiæ atque ecclesiasticæ unitatis gratia de suâ potius & aliorum dignitate ac jure quicquam detrahi, quam ejusdem unitatem imminui, semper passi sunt. Namque, ut adnotavit Gussanvillæus ad *Epistolam* S. Gregorii XVI.am Libri IX.i, *jam extincto Schismate cum in gratiam Sedis Apostolicæ rediissent Venetiæ & Istriæ Episcopi, studio pacis iis concessum relictumque est* Patriarchæ *nomen*.

De fine hujus Schismatis narratio Pauli D. erroris & inscitiæ arguitur. Quam *Epistolam* scripserit Damianus, ex *Rhythmo* evincitur. Quoto circiter Cuniberti ætatis anno hæc acciderint.

VII. Hactenus dicta de hoc Romano Sergii I. Concilio cum mirifice Langobardicam Historiam illustrant, tum maxime indiligentiæ & oscitantiæ, nequid gravius dicam, Langobardicum Historicum Paulum accusant. Quo enim Capite XIV.° Libri VI.i verba de hac *Synodo* ac mentionem facit, colophonem quodammodo inscitiæ suæ imponit. Usus Bedæ verbis (43) supra descriptis, quæ spatium annorum circiter CL., ut vidimus, complectuntur, hæc marte suo præponit de more: *HOC TEMPORE Synodus Aquilejæ facta ob imperitiam Fidei Quintum universale Concilium suscipere diffidit; donec salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructa & ipsa cum ceteris Christi Ecclesiis annuere consentit*. Ohe, bone Paule! Tu ipse mox subdis in eodem Capite, hanc *Synodum*, idest *Quintam*, coactam sub Vigilio Papa; & audes dicere, *hoc tempore*, scilicet Sergii, *diffisam* fuisse *Synodum Aquilejensem* credere *Quintæ Synodo*? Quæ porro est hæc rerum & temporum perturbatio! Quo itaque tempore Aquilejensis Ecclesia defecit, eodem, sedente Sergio, ad unitatem reversa est? neque tibi incurrit in oculos intermedium illud fere CL. annorum spatium, quod Vigilium inter Sergiumque effluxit? Venia tibi danda ex Bedæ verbis, quæ improvidus in rem tuam traduxisti. Quis vero tibi ignoscat Caput idem concludenti testan-

(42) Vide sup. pag. 486. (43) Sup. pag. 646.

tique, in *Quinta Synodo* decretum esse, ut *beata Maria semper Virgo* θεοτόκος diceretur? umbiliscosne & exteriores cedrinas tabulas hujus *Synodi* vidisti, an paginas evolvisti? Porro hoc in *Ephesino* quidem *Concilio*, Œcumenico scilicet III.°, statutum universi legunt, de quo in *Quinta Synodo* vix per transennam aliquid dictum. Etenim in Ephesina contra Nestorium pugnabatur, qui Mariam Virginem *Dei Matrem* æque appellari posse negabat; in *Quinta* autem actum est dumtaxat de celebri *Trium Capitulorum* damnatione, & iterum anathemate confixi Auctores, qui olim impie de Dei maternitate senserant. Quare inter tot ambages, quibus me & historiam involvit Pauli narratio, dubitare maxime cogor, an vere affirmaverit, Mansueti *Synodicam Epistolam*, de qua (44) diximus, a *Damiano* fuisse exaratam; quod unus Paulus ex antiquis testatur, qui funditus, ut video, omnia permiscet. Facile enim in hanc sententiam inclinor, *Epistolam* illam, sive *Schedulam*, quam ex fide *Rhythmi* diximus (45) a *Damiano* compositam, & oblatam Sergio in Romano habito pro Aquilejensium concordia Concilio, eam ipsam fuisse, quam Paulus sub Mansueto in Mediolanensi Synodo contra *Monothelitas* scriptam & Constantinopolim missam atque a Patribus universis laudatam falso putavit. Concordiam hanc Aquilejensem cum Romana Sede quoniam Beda, *Pontificalis Liber*, & Paulus ad Sergii Pontificis tempora certe referunt; Cl. Muratorio visum est opportunum rejicere ad annum DCXCVIII., cui facile assentior. Hæc enim tranquilliora Regi Cuniberto tempora fuere, quibus nullo implicitus bello cogitationes suas ad universæ Ecclesiæ pacem procurandam facile posset traducere. Quare licet ignoraret Vir ille eruditissimus, pacem illam interposita Regis opera fuisse perfectam; hoc enim unice ex *Rhythmo* a nobis primùm in lucem prodito

(44) Supra pag. 606. & seqq. (45) Vide sup. pag. 626.

constat; attamen rei veritatem plane acu videtur tetigisse. Bellica Cuniberti felicitas, Catholicæ studium Religionis, virilis demum ætas, Nationi pacem, Ecclesiæ tranquillitatem, prospera & diuturna omnia in posterum denuntiabant. Etenim, si Cuniberti vices & historiam retteximus, erat in puerili ætate constitutus, cum a Grimoaldo invasore paterni Regni Mediolanensis Beneventum fuerat cum Matre ablegatus anno DCLXII. Redditus patri Bertarido cum Matre anno DCLXXI. erat in adolescentiæ flore; hinc, ut superius (46) dictum est, testabatur Alachis, qui in Bertaridi Aula tum inter Regios ephebos versabatur, admiratum se, eo tempore Cuniberti fortitudinem e terra apprehensum lanigerum vervecem una manu elevantis. Quare ad annum DCC. non poterat quadragesimum quintum ætatis annum excedere.

Cuniberti Regis obitus. Nonnulli ex ejus familia superstites recensentur; præsert. puerulus Liutbertus, & Cunipergа, Regis filii. Cuniberti *Epitaphium*, primum Sepulcrale Langob. monumentum. De huj. Ævi litteratura.
* An. DCC.

VIII. * Veruntamen (proh dolor!) in hoc veluti perfectæ virilitatis apice Rex constitutus, interceptis Suorum & totius *Italiæ* votis, fato concessit; quemque universi immortalem optassent, contra exspectationem, mortuum doluere. Communi omnium luctu parentatum est Regi optimo, *felicissimo*, *Christianissimo*, *& a Deo custodiendo Principi*, *Christianæ Religionis amatori*, uti honorifice hunc ejusque patrem Bertaridum appellat in sua *Epistola* (47) Mansuetus noster, *cunctis demum*, ut Paulus (48) testatur, *amabili Principi*; quo brevi ellogio nihil dici præclarius potest. Ex tam memoranda Bajoariorum progenie post Cuniberti mortem superstite video ad annum DCC., quo decessit, illius Amitam *Theodotam*, seniorem cognomini Monasterio Ticinensi Præsidem, quam supra (49) ex ejus *Epitaphio* vixisse usque ad annum DCCV. ostendimus; itemque *Wigilindam* Sororem (50) nuptam Beneventano Duci Grimoaldo

(46) pag. 637. (47) Sup. nota (17) p. 606. (48) Lib. 6. Cap. 17. (49) pag. 599. (50) Vide supra pag. 602.

II., ac præterea *Ragimbertum* ſeu Ragumbertum (51) patruelem, Godeberti filium. Duos autem reliquit liberos Cunibertus, quorum uni *Liutberto* (52) nomen, *Cunipergæ* (53) alteri fuit. Verum puerilis Liutberti ætas non obſtitit, quominus eum hæredem Regni ſupremis tabulis declararet Pater; tutorem (54) tamen eidem dedit Anſprandum Virum fortiſſimum, & nobili loco, ut Patre Bajoario, natum, cujus virtuti plurimum confidebat. Soror vero Liutberti Cuniperga, fratris vicibus monita, in *Monaſterium Novum*, ſive *S. Agathæ*, ab ejus Avo Bertarido ædificatum, recepta, ibidem ſanctiſſime vixit, & Virginibus illis præfuit, ut ſuperius (55) demonſtravimus. Præſtat ad complementum hiſtoriæ referre partem *Epitaphii* mutili, quod adhuc parieti infixum cernitur dextrorſum ingredientibus portam Monaſterii Caſſinenſium *S. Salvatoris* prope Ticinum, in cujus Baſilica cum Patre & Avo conditus fuit Rex Cunibertus. Quod ſane publicum marmoreum Monumentum referendum eſt acceptum eximio Regis hujus amori pro latinis litteris excitandis, & quantum fieri poterat inter Barbaros fovendis. Etenim deſignata præteritorum Regum ſepulcra & ſepulturæ loca, conſtat quidem per Hiſtoricum Paulum; ornata autem Inſcriptionibus, hactenus ignoravimus: Cuniberti vero *Epitaphium* lapideæ tabulæ inſculptum, licet præ vetuſtate & temporum injuria mutilum, certo ſcimus, & habemus. Qua de re licet conjicere, ejuſmodi Latina Langobardica monumenta hujus Regis temporibus (56) initium habuiſſe. Scilicet pari modo quinquennio poſt inſcriptum fuit *Theodotæ* Seniori *Epitaphium* marmoreum, quod ſuperius recitavimus. Neque omittendum cenſeo, ſimili monumento ornatos præ-

(51) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 53. Lib. 6. Cap. 18. & 35. Vide infra pag. 664.
(52) Lib. 6. Cap. 17. cit. V. infra p. 663. & 664. (53) Vide ejus *Epitaph.* ſup. p. 600.
(54) Vide infra pag. 663. cit. (55) pag. 599. & 600. cit. (56) Vide ſup. pag. 656.

ter *Cunipergam*, uti jam vidimus, Reges etiam *Ansprandum* & *Liutprandum*, *Petrumque* ejus consanguineum, Ticinensem Episcopum, cujus utriusque postremi conservata Lapidibus memoria occurrit apud (57) Grutterum; in quibus progressu temporis non eliminata omnino visitur barbaries, sed aliquantulum emendata atque emollita. Ausa igitur primùm, credo, *Felicis* (58) Grammatici Langobardica Latina Poesis hiscere in Regis Cuniberti funeribus, insculpta marmori ad posteros transmittenda. Poesim dico, utpote versa oratione conscriptam, quam aliquis fortasse elegiam barbaricam suspicari posset propter priores quatuor lineas ad sonum *hexametri* desinentes, & quintam more *pentametri*. Quare etiam per me licebit lyricam Langobardicam poesim in superius exposito *Rhythmo*, & Heroicum carmen in Ansprandi *Epitaphio* suspicari. Habe igitur promissum Cuniberti *Epitaphium*, quod primum Regibus fuisse inscriptum probat, quum Avi, & Patris etiam memoriam complectatur (59)

AVREO EX FONTE QVIESCVNT IN ORDINE REGES
AVVS PATER HIC FILIVS HEIVLANDVS TENETVR
CVNINGPERT FLORENTISSIMVS ET ROBVSTISSIMVS REX
QVEM DOMINVM ITALIA PATREM ATQVE PASTOREM
INDE FLEBILE MARITVM IAM VIDVATA GEMET
ALIA DE PARTE SI ORIGINEM QVAERAS
REX FVIT AVVS MATER (*) GVBERNACVLA TENVIT REGNI
MIRANDVS ERAT FORMA PIVS MENS SI REQVIRAS
MIRANDA (**) . . . .

(57) locis sup. citt. pag. 656. (58) Vide sup. pagg. 535. 621. & 656.

(59) In nota 76. ad Pauli Diac. Lib. 6. Cap. 17. item apud Murator. ad ann. 700.

(*) Neque Cuniberti *Mater* Rodelinda unquam Regnum gubernavit, neque id consonat Inscriptionis sensui, in qua per seriem describuntur tres Reges inibi tumulati. Quare non *Mater* legendum, sed *Pater*, ut fortasse in primævo Lapide exstabat. Non diffiteor scilicet, laudato Bertolasio hujus *Epitaphii* characterum formam accurate consideranti visum fuisse, id nimia jam vetustate consumptum in novum hunc Lapidem posteriori ætate fuisse translatum.

(**) Mutilo huic monumento compactum visitur frustulum non dissimili marmoris specie & characterum forma, ubi sic insculptum legitur:

Ā ECLE SU . . .
POTENSERAT Æ·B. . .

p. 662.

ORICUM

DAE

ORUM INVEXIT.



CAPUT UNDECIMUM

SIVE

COROLLARIUM

In quo Langobardici Regni vices usque ad Liutprandi tempora, & reliquæ S. Benedicti Antistitis nostri res gestæ; nonnulla item de ejus successore Theodoro II. breviter expediuntur. Demum de statu Urbis Mediolanensis, ejusdem Liutprandi ætate.

Infelix Ansprandi Liutberti tutoris,& Rotharit Ducis Bergom. fœderatorum adversus Ragimbertum apud Novariam pugna; in qua Liutbertus regno privatur a Ragimberto. Et ipse brevi moritur; cui succedit Aripertus II. ejus filius.

PRopositam nobis initio Operis metam, extinctum scilicet *Aquilejense Schisma* cum attigimus, liberata apud lectores fide, nihil ulterius provehi nobis ipsis fuerat primitus constitutum. Veruntamen S. Benedicti productus hactenus per novemdecim dumtaxat annos, atque ad alios vigintiquinque producendus in Ambrosii Sede Pontificatus (hanc enim XLIV. annos tenuit) id a me suo veluti jure videbatur exigere, ne interruptam ac mutilam rerum ab Antistite nostro gestarum historiam relinqueremus: præsertim quum diuturnus illius Pontificatus rerum novarum vices tam sacras, quam profanas, perturbationesque complectatur. Liceat mihi itaque ad exitum properanti ea, quæ Cuniberti mortem subsequuta sunt, persequi usque ad Liutprandi pacifice in Solio sedentis, & Theodori II. Benedicto suffecti tempora. Quorum narratio tum atrocia, cum admiranda facta continet, scribenti acerba quidem, legenti tamen haud pœnitenda. Tutor igitur (1) Liutberto filio a Cuniberto Patre datus est Ansprandus, qui quum solerter prudenterque pupilli regnum moderaretur, * octavo administrationis mense ingruere re- * An. DCCI.

(1) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 17. cit. & Cap. 18. Vide sup. pag. 661.

pente de Regni jure bellum sensit ea ex parte, unde minus timendum videbatur. Ragimbertus (2) Godeberti olim in urbe Ticinensi Regis a Grimoaldo interempti filius, puerulus feliciter a Suis servatus, & clam Tyranno enutritus, quum post Grimoaldi mortem adolevisset, a Rege Bertarido patruo Dux Taurinensium creatus, propter immaturam Cuniberti mortem in maximam spem non dumtaxat paterni, sed totius Regni adipiscendi erectus, agitare animo cœperat consilium pueri Liutberti, Ansprandique etiam tutoris inopinato bello opprimendi. Indignum sane Bajoarico ingenio machinamentum, cujus exemplum ad ea usque tempora solus Langobardus Grimoaldus dederat. Vix moveri in Taurinatibus militares copias, & contrahi a Ragimberto auxilia tutori Ansprando suboluit, ne subita aggressione obrueretur improvidus, propere collectis militibus, & evocatis Rotharit Bergomi Ducis, Cuniberti filio & Bajoarico nomini addictissimi, auxiliis, communicato invicem consilio, constituunt ambo Duces ultra Ticinum movere exercitum, neque in Regia Urbe paventibus similes subsistere. Itaque fiducia virium & justa belli causa freti, Novariam usque progressi, cum obviis Ragimberti copiis, prælio accenso, viriliter congrediuntur. Aliquantulum anceps hæsit victoria: tandem fusis fugatisque Regiis ordinibus melior causa iniquiori succubuit. Victi Ansprandus & Rotharit Ticinensem Urbem ingressi abduxere pupillum Regem, Urbemque victori permisere. Ingressus Ragimbertus breve capit de relata victoria gaudium; morbo enim ingruente gravissimo ibi decumbens, tandem extinctus Regnum temere ereptum Ariperto II. filio pari crudelitate administrandum reliquit eodem, quo invaserat, anno, scilicet Octavi Sæculi primo.

II.

(2) Paul. Diac. Lib. 4. Cap. 53. Vide sup. pag. 661. cit.

II. * Interea victi (3) Duces, reparatis viribus, ac trium aliorum Ducum, Ottonis, Tazonis, & Faronis, præsentia confirmatis militibus apud Papiam (vigebat enim eo tempore hoc urbis nomen, ut ex *Rhythmo* (4) vidimus) novam experiri pugnæ aleam statuerunt; pari tamen prælii infelicis eventu, sed damno multò graviore. Etenim adduxerat Ansprandus in castra puerum Liutbertum, ipsius conspectu ratus erigendos pugnantium animos, & virilius coram legitimo Successore de Regno disputandum. Victi tamen Regiarum partium milites, ferocissima impressione ab Ariperto facta, in præcipitem adeo fugam effusi sunt; ut intercepto in stativa reditu, aliorsum dilapsi universi castra ipsa victoris arbitrio & potestati concesserint. Fructum hujus victoriæ cepit Aripertus amplissimum, & spe majorem, captivum scilicet æmulum Regem Liutbertum, qui in pugnæ exitu vel in sui exercitus fuga a Suis desertus, aut, ut aliis (5) placuit, vulneratus, in victoris manus incidit; quo jubente paulo post in balneo fuit interfectus. Victor, belli reliquias persecuturus, quum intelligeret victos duces Ansprandum & Rotharit, illum inter *Insulæ Comacinæ* munitiones (6) receptum, hunc autem (7) Bergomensis inaccessæ Civitatis se mœnibus tueri pertinaciter velle, imo dato Langobardis fœderatis veluti defectionis signo Regium nomen sumpsisse; ne ulterius progrederetur perduellionis incendium, illuc arma victricia convertit, unde majus impendere periculum apparebat. Hinc hostilem urbem Laudem Pompejam progressus, obsistentes clausis portis cives terrore armorum & bellico machinarum apparatu ita perculit; ut mox deditione facta liberam victori Bergomensis

Hic novo prælio Ansprandum ac Rotharit superat, Liutbertum interficit. Ansprando in *Insula Lariensi*, Rotharit Bergomi subsistentibus, Laudem Pomp. & Bergomum per vim capit, Rotharit occidi jubet. Ansprandus ex Lario in Bajoariam fugit.

* An. DCCII.

(3) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 19. (4) Sup. p. 626. & 650. (5) Auctor *Vitæ S. Boniti*, in nota 82. ad P. Diac. Cap. 19. cit. (6) V. sup. p. 468. & 629. (7) P. D. Lib. 6. Cap. 20.

urbis obsidendæ, ut constituerat, facerent potestatem. Itaque, quum in urbis hujus conspectum venisset, conspicatus editioris loci naturam atque oppugnationis difficultatem, corona circumdari primum, mox, vallo promoto atque aggeribus, tamdiu balistis & machinis quati mœnia & dirui jussit, Suique vineis protecti obsessos urgere noctu diuque institerunt; donec desperatione victi, & assiduis laboribus fracti ad deditionem fuere compulsi. Ingressus urbem, Ducem Rotharit ad se jubet adduci, exprobrat Regium assumptum nomen, Liutberto servandum; cujus quidem criminis neque Aripertus expers erat: postremo in servilem modum barba & capite rasis Taurinum in vinculis custodiendum ablegat, ubi neque diu tantum dedecus passus superstes fuit, Regio novo mandato exinde interemptus. Potitus Bergomatum Ducatu Aripertus pari furore ad ulciscendam Ansprandi fidem Cuniberto præstitam & servatam convolat. Quare in conterminam Comensium regionem toto Marte conversus ad *Insulæ Lariensis* (8) oppugnationem se ocyus accingit. Verum Ansprandus mox audita Liutberti cæde præsentiens Ariperti furorem acrius in se inflammandum, & suo sanguine tandem expiandum; celeri fuga dilapsus e Lario per invia Rhætiæ juga Curiam profectus, inde in Bajoariam, unde ducebat originem, reversus, persequentis Tyranni crudelitatem felicissime elusit. Ibi tutissimum nactus perfugium apud Theudebertum Provinciæ Ducem, futurum aliquando divino nutu filii sui Liutprandi (9) socerum, tamdiu fuit, quandiu novis collectis copiis in spem recuperandi Regni erigeretur.

Aripertus II. *Insulæ Lariensis* munitiones evertit. Ejus in Ansprandi consanguineos inaudita crudelitas, in *Theuderadam* præsertim, *Auronam*, & *Sigibrandum*.

III. * Interim ad *Lariensem Insulam* quum appulisset novus Langobardorum Rex, frustratus voto, iram adversus Ansprandum conceptam ac rabiem in ipsas loci munitiones convertit, quas everti funditus cæco quodam furore percitus (10) jussit. Inde Tici-

* An. DCCIII.

(8) P. D. Lib. 6. Cap. 21. (9) Id. L. 6. cit. Cap. 43. V. infra p. 670. (10) L. 6. Cap. 21. cit.

num regressus, diligentissima facta inquisitione (11) in Ansprandi familiam ejusque consanguineos, quos omnes in Regno latere non ignorabat, ira impotens, ferocissimo consilio animadvertere in universos constituit. Florebat affinitatibus apud Langobardos Ansprandi Familia, summa auctoritate apud Cunibertum pollens, cujus etiam fides fuerat apud eundem probatissima, ut suprema illius voluntas testatum fecerat, & ipse rerum exitus declaraverat. Designabatur (12) præsertim ad vindictam ab Ariperto Ansprandi uxor, nomine *Theuderada*, quæ levitate quadam feminea Reginam se fore prædixerat. Hanc primam omnium inhonestis vulneribus, narium scilicet atque aurium mutilatione in facie fœdatam, sive supplicio morte ipsa feminis acerbiore damnatam, ceteroquin liberam dimisit. Qua de re conspectum hominum aversatam, & publico exinde carentem in Amitæ *Theodotæ* Monasterium se recepisse pronum est credere, ut jam Patri Romualdo (13) concessimus. Pari crudelitate sævitum est in Theuderadæ & Ansprandi filiam, *Auronam* nomine, quæ jamdiu nupta Aususim & Gunthergam genuerat, per hæc tempora uxorem Romualdi II. Beneventani Ducis, ut Paulus Diaconus (14) scripsit. Igitur *Aurona* in facie iisdem vulneribus dehonestata, probabiliter primùm cum Matre in eodem Ticinensi Monasterio abdita, regnante postmodum Liutprando fratre, aliud sibi Monasterium Mediolani (15) condidit, in quo, quandiu vixit, remota ab oculis omnium mori præoptavit. Sigibrandum (16) vero ex Ansprandi filiis natu majorem effossis oculis miserrime excæcavit Rex crudelissimus, Patrem, credo, Hildeprandi, quem (17) Natio Langobardica, dum e morbo decumbentem Liutprandum videret,

(11) Vide & infra Sect. XV. (12) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 22. (13) Sup. pag. 558. (14) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 50. (15) Sup. pag. 619. & infra Sect. XVI. (16) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 22. citt. (17) Lib. 6. Cap. 55.

Regem postea renuntiavit, & Liutprandus ipse convalescens Regiæ potestatis consortem facile demum est passus. Reor enim, a Langobardis ea occasione jure sanguinis proximiorem Liutprando Regem fuisse eligendum; is autem certe non alius erat, nisi Sigibrandi filius.

Num ex Ansprandi Regis Familia ortum habuerit etiam *Theodorus II.* Mediol. Episc. *Auronæ* frater.

IV. Ansprandi Familiæ ab Historico nostro descriptæ cogor accensere, etiam eo tacente, *Theodorum* (18) hujus nominis II.um, quem S. Benedicto Antistiti nostro successorem datum Liutprandi Regis temporibus, *Catalogi* Episcoporum nostrorum omnes consentiunt atque affirmant. Quum enim (19) vetus ferat traditio, hunc *Theodorum*, Mediolanensem Antistitem, *Auronæ* fratrem fuisse, & in ædificato ab eadem Monasterio sepultum *Catalogi* omnes apertissime (20) testentur; imo in *Rhythmo De Laudibus Mediolani*, quem in calce hujus Corollarii recitabimus, *natus* dicatur *de regali germine*; nihil est cur hoc ornamentum ac decus Ecclesiæ Mediolanensi denegemus, scilicet Præsulem hunc nostrum *Theodorum* fuisse ipsius *Auronæ* fratrem, de qua mentio apud Paulum, ideoque de Bajoarica stirpe progenitum, Ansprandi & Liutprandi Langobardorum Regum filium ac fratrem. Fateor tamen, sed gaudeo, præivisse suspicioni huic meæ Cl. Comitem Julinium (21) præstantissimis conjecturis suis summo semper in pretio habendis. Recito ipsa Diaconi (22) verba, quibus totam hanc Ariperti tragœdiam complectitur: *Rex igitur Aripertus confirmato Regno Sigibrandum Ansprandi filium oculis privavit, omnesque, qui ei consanguinitate juncti fuerunt, diversis modis afflixit. Minorem quoque Ansprandi filium Liutprandum in custodia tenuit, quem quia despicabilem personam, & adhuc adolescentulum esse perspexit, non solum in ejus corpore vin-*

(18) Vide sup. pag. 619. & infra Sect. XV. & XVI. (19) Vide infra Sect. XVI. cit. & loca ibid. citt. (20) Vide infra Sect. XVI. cit. (21) Tom. 1. pag. 399. & præsert. Tom. 4. pag. 395. & seqq. (22) Lib. 6. Cap. 22. citt. Vide & infra Sect. XV. cit.

dictam aliquam minime ingessit; sed eum ut ad Patrem suum pergeret abire permisit ..... Uxorem vero Ansprandi Theuderadam nomine Rex Aripertus comprehendi fecit, quæ, cum se voluntate feminea Reginam futuram esse jactaret, naso atque auribus abscissis, decore suæ faciei deturpata est. Pari etiam modo & germana Liutprandi, nomine AURONA, deformis effecta est. Si ergo Aripertus *diversis modis afflixit* Ansprandi familiam, in cujus numero erat *Aurona*, quid vetat, quòd deformata in facie Monasterium ipsa condiderit, in eoque delituerit? Certe tempora mirum in modum conveniunt, uti inferius (20) observabimus. *Theodorum* vero nostrum, qui hac ætate in Ambrosii Cathedra sedit, pari jure suspicati jam sumus ex Ansprandi familia fuisse, tam crudeliter ab Ariperto conflictata; qui ut ineptus ad Regnum redderetur, tondere comam & ecclesiasticæ militiæ nomen dare a Tyranno jussus fuerit, ut jam a Sæculo VI. & VII. (*) mos invaluerat. Haud dissimili ratione evasere ex Ariperti manibus *Guntberga* Auronæ filia, item *Cuniperga* filia Cuniberti, & *Theodota* Bertaridi Soror, quæ utraque tum in *S. Agathæ*, sive *Theodotæ* Monasterio Ticinensi versabatur: ea nimirum erat apud barbarum eum Regem erga sacras Virgines religio & veneratio. Unus solummodo *Liutprandus* ex Ansprandi filiis natu minimus ab Ariperto ipso omnis injuriæ expers relictus, & in Bajoariam ad Patrem remissus; humane quidem, si ad paterni infortunii solatium, sin vero futurus oculatus Regiæ crudelitatis testis, plusquam inhumaniter. Neque unius familiæ circumscripta limitibus Ariperti barbaries fuerat, sed progressa ulterius quotquot ex Ansprandi cogna-

(20) Sect. XVI.

(*) Plura de hoc more supersunt exempla, uti de Merovæo Chilperici I. Regis filio anno 567, de Theudeberto II. Austrasiæ Rege anno 613., de Theuderico III. Neustriæ & Burgundiæ: quod exemplum post Liutprandi obitum imitati sunt etiam Magistri Palatini in Galliis, anno scilicet 752., quo Chilpericus III. Regno ejectus, & in Monasterium detrusus, tonsa coma Deo servire coactus fuit.

tione in Regno repererat, aut injuriis ac contumeliis affectos honoribus privavit, aut exilio multatos sedibus suis exegit. Plures passim memorat Paulus Diaconus Liutprandi nepotes ac propinquos ab hoc dignitate donatos; qui sane aut ex Patris Ansprandi fratribus, aut sororibus, aut etiam ex Sigibrando & Aurona ejusdem Ansprandi filiis prognati dicendi sunt; quum ipse Liutprandus ex Theudeberti Bajoariorum Ducis filia *Guntrada* sibi nupta unicam tantum filiam susceperit, teste (21) Diacono. Iste enim Historicus, præter (22) *Aufusum* & (23) *Guntbergam* Auronæ filios, nominat etiam *Gisulfum II.* (24) Romualdi II. Beneventani Ducis ex eadem Guntberga filium, item (25) *Agebrandum* seu *Ansprandum* Spoleti, *Gregorium* (26) Beneventi Duces, Liutprandi nepotes, *Rotharit* (27), & S. *Petrum* Ticinensem Episcopum (28) ejusdem Regis consanguineos.

Tot calamitatum sub Grimoaldi & Ariperti II. tyrannide testis fuit & particeps *Theodota* Senior adhuc superstes.

V. Funestum hunc Bertaridi progeniei exitum, & Ansprandi familiæ & Consanguinitatis cruentum excidium atque damna a Bajoaricæ stirpis Rege Ariperto suis propinquis ac gentilibus furenter illata flebant boni omnes, iique præsertim, qui *cunctis amabilem* Cunibertum atque Ansprandi fidem noverant, & veterum felicitatem temporum cum præsentibus infortuniis comparabant. Illa autem, ad quam omnium maxime tantorum malorum dolor pertinebat, siccis oculis tot familiæ infortunia quomodo spectare poterat *Theodota* Godeberti & Bertaridi soror? quæ fratrum suorum primùm bella mutua; alterum deinde a Grimoaldo interemptum; alterum vero, eorumque filios repetitis ærumnis exagitatos; pronepotis cædem; reliquorum autem calamitates & injurias flere ac tolerare præsens Regia in Urbe cogebatur. Tot fortunæ vicibus, quandiu in Regia fuit, jacta-

(21) Lib. 6. Cap. 43. (22) Ibid. Cap. 58. Vide infra Sect. XVI. (23) Ibid. Cap. 50. (24) Ibid. Cap. 50. cit. Cap. 55. & 58. (25) Ibid. Cap. 57. (26) Ibid. Cap. 55. cit. (27) Ibid. Cap. 38. (28) Ibid. Cap. 58. cit. Vide infra Sect. XV.

ta, quum in portu esset, iterum in æstum tempestatum se videbat delatam. Felicior sane credi poterat tunc cum Grimoaldus Arianus Regnum invaserat, alterum ex fratribus occiderat, exulem alterum abire coegerat, ipsa autem ad Tyranni conjugium compulsa fuerat. Ea quidem sibi toleranda olim ab hoste regnandi cupido, Orthodoxæ Religionis inimico & pacis. Miserrimam verò eam domestici belli testem, Ragimberti ex Godeberto fratre amitam, patruelium Ariperti II. ac Liutberti proamitam, quo animo tum fuisse quis explicet, quum a nepote primùm, ab altero deinde ex pronepotibus invasum Regnum ac laceratum, imo pueruli Liutberti sanguine confirmatum, ac regnandi sitim satiatam videret? Quomodo ferret tantum Bajoaricæ stirpi inustum dedecus sempiternum; Religionem catholicam Caritatis in hostes magistram, tam fœde violatam & impia innocentis cæde pessumdatam; Tutoris familiam, & Consanguinitatem injuriis, contumeliis & vulneribus exagitatam, atque in exteras regiones pulsam ac peregrè aberrantem? Quare infelicissima Ticinensis Cœnobii Præses aliquandiu passa oculos suos quotidiano Regiæ crudelitatis testimonio verberari, conspectu nempe *Theuderadæ* & *Auronæ* in suo Monasterio tum fortasse degentium, angore animi sensim in corpus senile permanante in dies contabescens ac demum confecta diuturnam, ut ita dicam, mortem vita sempiterna mutavit, ad instar Machabæorum Matris post Suorum excidium novissime consumptæ.. Porro hanc calamitatum diuturnitatem egregie innuisse videntur apposita illa Inscriptionis verba:

Mater vixit Virginum per annos nimium *plures*.

Nimirum si annis minus quinque fuisset superstes, hoc suæ Stirpis luctuosissimo spectaculo caruisset. Neque hæc de summa senecta intelligi possunt: quum enim octodecim probabiliter, aut novemdecim annos nata Grimoaldo nupserit anno DCLXII., vel se-

quenti; ejus vero obitus ex eodem *Epitaphio* designetur *Indictione III.*, scilicet anno DCCV., hinc sequitur sexagesimum secundum circiter, uti jam (29) innuimus, ætatis annum inter vivos exegisse. In ea Monasterii sui parte, quod duos supra triginta circiter annos rexerat, scilicet in Delubro a se Deiparæ (30) ædificato, depositæ fuere mortales hujus *Theodotæ* exuviæ postridie Cal. Aprilis, ut denotant a nobis jam supra expositæ Inscriptionis siglæ & numerales notæ, quas male Romualdus (31) intellexit, *D. P. S. II. D. mensis Aprilis*, scilicet *De-Posita Sub II. Die* &c. Sic demum hoc *Theodotæ* Epitaphium interpretari e re nostra censuimus, quod adeo Eruditorum ingenium detorsit, & potiori aliorum judicio relinquimus.

Ariperti II. victoria utrum S. Boniti precibus referenda. Huj. Regis virtutes ac vitia. Jure ne, an injuria Regnum Liutberto usurpaverit.

VI. Subit hoc loco mirari narrationem, quam videre est apud Mabillonium (32) in *Vita S. Boniti* Arvernensis Expiscopi. Scriptor ille, qui ignorare non poterat victoriam illam Ticinensem tot tragœdiarum originem ac fontem, unde Cuniberti progenies crudeliter extincta, & Bajoarici Ansprandi Consanguinitatis damna fluxere, S. Boniti precibus asserit referendam esse acceptam. Aliter porro ac verius de illa Ariperti II. victoria sensere (33) Paulus Diaconus, ac (34) Muratorius: quorum ille admiratus est, viam potius divinitus stratam piissimo Liutprando, ac Regis illius crudelitate munitam ad Langobardicum Regnum occupandum; alter autem nihil divinum in ea victoria deprehendit, *nisi incomprehensibilia Dei judicia & vias ejus investigabiles*, ipso tandem rerum exitu declaratas manifestissime. Parta Regni securitate & defervescente furoris æstu, tandem animum Aripertus ad Regnum bene administrandum adjecit. Alienatos antea propter sævitiam Langobardos justitia & pietate,

(29) Sup. p. 598. & seq. (30) Vide sup. p. 587. (31) Op. cit. Part. I. p. 132. init. Vide & infra pag. 688. (32) *Acta SS. Benedictin.* Sæcul. III. Part. 1. n. 24. pag. 96. (33) Lib. 6. Cap. 22. (34) Ad ann. 702.

pietate, imo & religione in Deum exinde facile mitigavit. Recti tenax ut esset atque haberetur, noctu (35) vulgari habitu lustrare forum & publica hospitia circumire consueverat, sciscitaturus quid de Rege aut de Judicibus publico rumore ac fama efferretur in vulgus. Vilibus more Nationis pellibus indutus exterarum gentium lega tiones excipiebat, veritus, ne regia ostentata opulentia earum desiderium ad invadendam Italiam sollicitaret; legatosque si convivio aliquando exciperet, frugali admodum cibo atque parabili usus, Massicum atque pretiosum quodque liquoris genus epulis interdicebat, ne Italiæ delicias prægustarent. Quamobrem pusilli animi æque ac avari specimen præ se ferebat. Quum nullam ædificiorum memoriam neque sacram, neque profanam reliquerit, illud unum religionis suæ exstitit monumentum, quod * Patrimonium (36) Romanæ Ecclesiæ in Alpibus Cottiis, probabiliter a Rotharis temporibus, qui eam Liguriæ partem primus (37) invaserat, Romana Sede distractum, deinde a successoribus Regibus interceptum, haud gravate reddendum curavit, ut præter Paulum Diaconum testatur etiam *Pontificalis Liber* in Vita Joannis VIII.[i] Dum hasce Ariperti II. virtutes ex Paulo recitamus, nihil detractum velimus ejusdem immanitati, quam superius ex eodem Historico incredibilem pene in Cuniberti & Ansprandi sibi cognatam progeniem exposuimus. Huic Regi apprime convenit Liviana illa (38) de Hannibale sententia: *Has tanti Viri virtutes ingentia vitia æquabant*. Quare assentari plane auribus Suorum & patriæ litare mihi videtur Auctor *Biographiæ Allobrogum*, qui (39) hujus Regis crudeliter

* An. circiter DCCVII.

(35) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 35. (36) Idem Cap. 26. (37) Vide sup. p. 517. & 518. (38) Lib. 21. Cap. 4. *Decad.* 3. Tom. 3. p. 352. Edit. Amstel. 1740. in 4. (39) Tenivelli, *Biografia Piemontese*, Vita di Ariberto II. Duca d'Asti p. 111. & seq. Edit. Taurini 1784. in 8.

gesta non solum excusat, sed tanquam recte gesta ad veteris paternæ divisionis jura revocat. Porro ex Paulo intelligimus, Langobardos patienter tulisse Regni divisionem ex Ariperti I.[i] testamento inter geminos filios factam: item Grimoaldum divisæ utriusque ditionis invasorem ab eadem Natione novenni integro spatio, Primorum ac Ducum nullo contradicente, toleratum. Demum certo scimus, Bertarido ab exilio reduci occursum atque acclamatum a Langobardis fuisse, cui etiam Regia insignia Nationis universæ legati ad Alpes detulere. Hinc bene animati in hujus familiam Proceres ejus etiam filium Cunibertum consortem Regni approbavere; Patre autem defuncto Regem eundem coluere semper ac venerati sunt. Liutbertus igitur a Cuniberto relictus filius quare successionis jure hæreditario legitimus Rex habendus non esset? Sæpe enim videmus apud Langobardos approbatam veluti Regni hæreditarii successionem, quam unice (40) exsecrati sunt in Adaloaldo expulso. Jus igitur in Solium Ariperto II. non fuit, quum ex Cuniberti stirpe Liutbertus superesset. Quod si etiam ex Primorum electione pendebat Regia dignitas, rogo quænam Langobardorum comitia, quæ legatio obtulit Majestatis insignia Ragimberto? quid Ariperti II., hujus filii, Solium stabilivit, nisi jus armorum & violenta mors innocenti Liutberto illata? Demum, qui justam putat totius Dominii occupationem ab Ariperto II. factam, primæ divisionis ab Ariperto I. institutæ videtur oblivisci, ex qua jus Liutberti reviviscere saltem debebat in ditionem Mediolanensem Bertaridi successoribus a Patre adjudicatam, quam sibi impie & armorum vi Aripertus injustissime vindicavit. Ipse demum rerum exitus palam fecit, male a Liutberti patruelibus partum Regnum, postea Deo humanas res sapientissime volvente, nullo Langobardorum ob-

(40) Vide sup. pag. 503. & seq.

ſiſtente, imo Ariperti jam defuncti fratre Guntberto, & Guntberti filiis (41) aliô transmigrantibus, uſurpati Dominii injuriam Natione ulciſcente, ex ipſorum manibus dilapſum recidiſſe in Anſprandum, interfecti pupilli Liutberti tutorem Patremque Liutprandi, qui poſtremus ex Bajoarica ſtirpe in Solio ſedens Langobardicum Regnum religione, juſtitia, victoriis ad ſummum gloriæ apicem mirifice evexit, unde ſenſim labens tandem miſerrime concidit.

VII. Interea Ticinenſis Antiſtes Damianus, ſanctitate & meritis in Eccleſiam Catholicam conſpicuus, præcentor nimirum celebris concordiæ Aquilejenſes inter & Pontificios, Papiæ primum, deinde in Synodo Romana a Sergio I. confirmatæ, ut vivente adhuc Cuniberto ad annum DCXCVIII. ex *Rhythmo* in lucem prolato (42) explicavimus, * ex hac vita deceſſit pridie Idus Aprilis anno (43) DCCX. Tanti Epiſcopi interitus novam ab Eccleſia Mediolanenſi defectionem, prope Comenſi parem, excitavit. * In Damiani locum communibus Cleri & Primorum Urbis ſuffragiis ſuffectus eſt Armentarius. Approbata & cognita electione ab Archiepiſcopo Benedicto, quum Mediolanum venire inaugurandus deberet & conſtanter negaret; cumque Benedictus noſter ad Romanum Pontificem Conſtantinum provocaſſet, ad hunc cauſa cognoſcenda ex integro utrinque defertur. Erat *venerabilis Benedictus*, teſte (44) Paulo, *vir egregiæ ſanctitatis, de quo per univerſam Italiam bonæ opinionis fama * flagravit*. Hic autem (45) Romam profectus quum in judicio ſtetiſſet, Eccleſiæ ſuæ & Metropolis cauſam acturus, jure & ſacrorum Canonum auctoritate ſuſtentatus ac fretus, allegabat S. Ambroſii (46) verbis Mediolanenſi Epiſcopo jus in tota Ligu-

S. Damianus Epiſc. Ticin. moritur. Ei ſuccedit Armentarius. Inter hunc & Benedictum Mediol. de jure Conſecrationis Romæ lis inſtituitur. Quomodo pro re ſua peroraverit Benedictus.

* An. DCCX.

* An. DCCXI.

* ſic, forte pro *fragravit*.

(41) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 35. (42) Vide ſup. pag. 651. & ſeqq. (43) Vide Ughell. *Ital. Sacra* Tom. 1. col. 1032. (44) Lib. 6. Cap. 29. V. ſup. p. 617. (45) Hoc Romanum Benedicti iter Muratorius ſuſpicatur accidiſſe anno 713. Vide eund. ad h. an. (46) *Epiſt. ad Vercell.* n. 63. Opp. Tom. 2. col. 1022. Vide ſup. pag. 89. nota (7).

ria, Æmilia, Venetia, vel ceteris finitimis Italiæ partibus olim fuisse. Memorabat cetera tantæ Diœceseos vulnera, quibus afflicta primo per incursiones Barbarorum Histriam cum Venetiæ parte (47) amiserat; deinde, translata Ravennam Augustorum Occidentis Sede, Flaminiam cum Æmilia (48) distractam doluerat adeo, ut advocata Mediolani Synodo ab Eusebio prædecessore suo, in hac Diœcesi ad solos ferme Liguriæ terminos redacta unum (49) Curiensem Episcopum in Rhætia Prima numeraret. Integrum semper Mediolanensi Episcopo Consecrationis jus fuisse (50) vigente Romano & Gothico Imperio. Felicia unice non sine laude commemorabat Theuderici Gothorum Regis tempora, quibus majestatem suam licet imminutam superioris ætatis vicibus, inviolatam tamen sub Laurentio I., Eustorgio II., & Magno semper servaverat. Tum non sine lacrymis memorabat, inclinato Gothorum Regno, ac pulso in exilium (51) Datio, & deinde late in Liguria dominantibus Langobardis, defloruisse suæ Metropoleos dignitatem atque excidisse splendorem; quum, Episcopis in maritima Liguria (52) exulare coactis, dissoluta fere communis inter Metropolitam & planæ Liguriæ Episcopos societas nullis ferme inter se cohæreret vinculis. Infelicissimo eo tempore quum acerbissimum toti Ecclesiæ Catholicæ Aquilejense Schisma ferveret, fatebatur, plures a Romano Pontifice consecratos Ligures Episcopos; sed eam inaugurationis Romanæ postulationem necessitate temporum extortam & contra Canones factam; attamen nunquam primævo Mediolanensis Metropolitæ juri obfuturam. Quare ipsi Ticinenses Antistites, postquam Mediolanenses Genua reduces fuerant in suam Sedem restituti, Metro-

(47) Vide sup. pag. 32. (48) Vide sup. pag. 88. & 89. (49) Vide sup. pag. 93. (50) Vide infra pag. 680. (51) Vide sup. pag. 287. & seqq. (52) Vide sup. pag. 372. &c. a S. Honorato usque ad Fortem.

politicum jus ultro recognoverant atque ad officium & obsequium redierant. Etenim post Magni Ticinensis Præsulis mortem, qui consecratus Romæ fuerat anno DCXXXIII., dum Mediolanensis Episcopus Austerius Genuæ versaretur, successor fuit sub Ampellio anno DCLXVIII. (53) Anastasius, quem una cum Mansueto Episcopo, tanquam ejus suffraganeum, nemo ignorabat Romanæ Synodi Actis (54) sub Agathone interfuisse ac subscripsisse inter Laudensem & Aquensem, utrumque item Mediolani suffraganeum. Damianum item ultimò testem habebat, qui a se post Anastasii obitum inaugurandus nullam unquam de Mediolanensis Metropolitæ jure quæstionem institui voluisset; quum unus Armentarius primus omnium ad Romani Pontificis tribunal hac de causa provocaret.

Item Armentarii oratio pro sua ipsius causa tuenda.

VIII. Hæc postquam Benedictus pro Ecclesiæ Mediolanensis jure fusius coram constitutis Judicibus disputasset, ad hæc Armentarius breviore atque artificiosa usus oratione, quum nulla ex parte primæva Mediolanensis Cathedræ jura labefactari posse videret, aliorsum deflexo sermone, deplorare primum miseras Ticinensis Sedis vices a Langobardorum temporibus exorsus, deserta hæc jura & Ecclesiæ Ticinensis tutelam ac curam a Mediolanensibus Metropolitis inclamabat. Qua de re, ne Pastore careret inter tot Fidei Catholicæ turbines ac tempestates, coactam fuisse, ab Romano Pontifice tanquam universæ Ecclesiæ Pastore opem atque auxilium implorare. Hujus unius præsidio sustentatam in Ticinensi Ecclesia Catholicam Religionem, atque optimos Pastores datos ab eadem Romana Sede deserto gregi præfuisse ab anno DXLVI., decennio post Datii exilium, usque ad initium Ampellii Pontificatus, annum videlicet DCLXVIII. Sic laudata paterna Romanorum Pontificum erga Ticinensem Ecclesiam sollicitudine, quos vere defensores suos

(53) Vide sup. pag. 572. (54) Vide sup. pag. 607. & 652.

pleno ore commendabat, in eosdem translatum Metropoliticum in suam Ecclesiam jus afferebat & confirmabat; quod jure *præscriptionis* tam diuturnæ inviolatum atque integrum manere deceret. Neque obesse posse addebat unum sive alterum redintegrati in Mediolanensi Antistite juris exemplum contra centum atque amplius annorum inveteratam apud Romanos Pontifices possessionem. Obsolescere nimirum & silere identidem veterum Conciliorum Canones, & temporum successione disciplinæ ecclesiasticæ regulas mutari, aut consenescere. Nam feliciore successu Comenses a Romana & Mediolanensi Ecclesia defecissent, quàm Ticinenses in Romana fide perseverassent. Etenim illi ejurato etiam Schismate in Aquilejensis *Patriarchæ* jure (55) Sergii Papæ judicio quum remansissent, cur Ticinenses Mediolanensi subjiciendi judicarentur, qui tot annorum spatio Ecclesiæ Romanæ & Fidei Catholicæ semper addicti perstitere? Finem autem dicendi facturus se obtestari, Romanam Petri Cathedram, ne ab sinu suo ablegaret fidissimum gregem, decere admodum, Regiam Urbem hoc honore ornari, ut uni Occidentis Patriarchæ subesset. Exstare etiam recentia Aripetti merita (56) in Patrimonio Ecclesiæ Romanæ in Alpibus Cottiis restituto: Damiani item decessoris sui, qui prima fundamenta reconciliationis cum Aquilejensibus firmandæ jecerat: dignitatem autem, qua tum sua Ecclesia floreret, uni dumtaxat Romanæ Cathedræ Ticinenses suos referre acceptam; ac sperare exinde, sub ejus semper patrocinio futuros.

Benedicta causa abjudicatur; servato sibi tamen jure Ticinens. Episcopum ad Synodos evocandi. Quo tempore hoc quoque jus obsoleverit.

IX. Hæc quum in Concilio perorasset Armentarius, atque allata hinc & inde rationum momenta expenderent Patres; vera utique iis atque ex Canonum amussi conflata graviter visa est Benedicti nostri oratio. Veruntamen blandius atque suavius eorum aures permulsit posterior Armentarii sermo, qui, injecta mentione diuturnæ Ro-

(55) Vide sup. pag. 657. & seq. (56) Vide sup. pag. 673.

manæ Sedis possessionis in consecratione Antistitum Ticinensium, totius repente causæ, quæ agebatur, statum evertit. Neque enim amplius *de jure* quæstionem institui oportebat, ut postulaverat Benedictus, sed, ut rogabat Armentarius, hoc veniebat in controversiam, utri, Romano ne, an Mediolanensi Pontifici hujus Consecrationis *possessio* foret adjudicanda. Illud itaque in disceptationem hujus judicii venit, utrum jus a Romano Pontifice post Datii exilium & Langobardorum irruptionem super inauguratione Ticinensium Præsulum acquisitum veteri Mediolanensium juri esset anteponendum; nam in ea possessione diuturno tempore Pontifex fuerat; atque iniquum videbatur, hunc omnium Ecclesiarum Occidentis Summum Pastorem illa, quæ tamdiu viguerat, possessione deturbare. Commovebat etiam Judices sollicitudo, nequid decerperetur ex veteri Decreto utriusque Pelagii, I. & II. Pontificum, qui propter periculum Schismatis Aquilejensis (57) *Cautionum* usum induxerant, & veterem disciplinam correxerant, jam ultra Sæculum & sesquialterum ad Romanam Cathedram evocata Italiæ Episcoporum Consecratione. Censuere igitur Judices, integram servandam esse Romano Pontifici possessionem juris in Ticinensibus Episcopis consecrandis, *præscriptionis* titulo & eorum Pontificum decreto acquisitam. Atque hoc illud ipsum est, quod Historiæ suæ (58) mandavit Paulus Diaconus, nimirum causâ cecidisse Benedictum *eò quòd a priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana Ecclesia fuerant consecrati*. Neque enim dicendus est Paulus, nunquam credidisse, ordinatos a Mediolanensibus Metropolitis Ticinenses Episcopos, ut Ticinensium rerum Scriptores (59) perperam affirmant, sed jam a *priscis temporibus*, scilicet ab anno DXLVI. usque ad annum DCLXVIII. omnes

(57) Vide sup. pag. 384. & 385. & loca citt. in nota (67) ibid. (58) Lib. 6. Cap. 29.
(59) Vide sup. pag. 246. & nota (80) ibid.

hujus Urbis Antiſtites, ut dictum eſt, Ordinationem a Romano Pontifice accepiſſe. Quis enim negaret, ſucceſſorem S. Syri II. Eventium, ſive Inventium (*) a S. Ambroſio conſecratum, quum meridiana id luce clarius conſtet ex hujus *Vita* a Paulino (60) conſcripta, teſtante, Ambroſium, quum ab ordinatione Ticinenſis Epiſcopi rediiſſet, in lethalem morbum incidiſſe? Quis item Ennodio ipſorum Epiſcopo fidem non habeat (61) ſcribenti, Criſpinum ſenem Mediolanum veniſſe, ut hic de Succeſſore ſibi dando conſultationem haberet, aut Epiphanium ad hanc Urbem fuiſſe perductum, ut a Benigno inauguraretur? Quandiu igitur Eccleſiæ Mediolanenſis tranquillitas ſtetit, quis dubitet inviolatum etiam Ordinationum hujuſmodi jus ibi ſtetiſſe? Etenim poſt *Paulum* Ticinenſem Epiſcopum nullum alium a Mediolanenſi Antiſtite ſucceſſorem conſecrari potuiſſe uſque ad *Anaſtaſium*, docet nos certiſſime perturbatus Liguriæ ſtatus a Witige Gothorum Rege, & poſtmodum a Langobardis, quorum cauſa noſtri Antiſtites Mediolano abſuere. Quod temporis longi ſpatium quum CXXII. annos complectatur, vere poſtea Paulus Diaconus *a priſcis temporibus* (**) omiſſam a Mediolanenſibus Ticinenſium Conſecrationem affirmavit. Admirati ſane

(*) A S. Syro, quem Papienſes II. vocant, initium capio Ordinationum factarum a S. Ambroſio; quandoquidem non defuere graves Scriptores, qui antecedentes hunc Syrum Epiſcopos omnes a Præſulum Ticinenſium albo expungant. Videndus hac ſuper re Novarienſis Epiſcopus Carolus a Baſilica Petri in ſua Diſſert. *De Metropoli Mediol.* n. 7.

(60) In *Append.* Opp. S. Ambr. §. 45. (61) In *Vita B. Epiphanii* apud Sirmond. Opp. Tom. I. col. 1656. Vide ſup. pag. 124.

(**) Vide Capſon. Op. cit. Tom. 2. pag. 216., & *Ragionamento Apologetico* pag. XXII. Locum hunc Pauli Diaconi referens hic Auctor in ſuo Opuſculo, *Origine, e Privilegi della Chieſa Paveſe* &c., Edit. Papiæ in 4., non legit *a priſcis*, ſed *a primis temporibus*, contra fidem Codicum omnium & editorum Pauli exemplarium. Nolim id vitio aut fraudi Cl. Scriptoris vertere: ſphalma malim typographi vel emendatoris accuſare, qui aut oſcitanter, aut in ſinu ridens illapſum errorem prælo ſubjici paſſus fuerit.

ſane Romani Patres Benedicti noſtri æquanimis conſtantiam, qui Nicæni potius Concilii (62) auctoritatem tueri viſus fuerat, quam ſuam, quum judicii aleam ſubire Canonum legibus fultus non dubitaſſet; attamen eo animo victus ab Judicum conſpectu diſceſſit, quo victor exceſſiſſet. Hinc neque antea intentare judicium conſtituerat pro revocanda in jus ſuum Comenſi Eccleſia, poſtquam Sergius (63) decreviſſet, nihil omnino de præſenti Aquilejenſium ſtatu concordiæ cauſa immutandum. Tanti Romanæ Sedis auctoritatem Sanctus Paſtor faciebat, quam certe minus obſervare viſus eſt Serenus Aquilejæ Veteris tum ad Catholicam unitatem converſæ Epiſcopus, qui jam diſſectæ Aquilejenſis Metropolis finibus, annuente Pontifice, conſtitutis, licet incaſſum, Gradenſem (64) vexare auſus fuit Eccleſiam. Non defuere etiam ex Scriptoribus, qui dicerent, pronuntiatam in hac cauſa Judicum Romanorum ſententiam Regis Ariperti favore aut metu fuiſſe extortam, quod nullo mihi certo monumento conſtat. Hoc unum ſcio, alibi hoc ipſo anno DCCXI. turbatam fuiſſe ab hoc Rege Eccleſiarum juriſdictionem, cujus rei Muratorius (65) indubiam fidem facit, afferens teſtem Chartam Aretini Archivi in *Italiæ Annalibus*, apud quam lego, a Senenſi Epiſcopo, favore Gundiperti Judicis & Miſſi Regis Ariperti, occupatam atque abſtractam violenter ab Aretina Diœceſi Parœciam *S. Mariæ in Pacina*, quæ illata vis diuturno etiam diſſidio originem dedit. Hoc demum obſervandum ſupereſt, in ea Armentarium inter & Benedictum Romæ agitata cauſa victum quidem Mediolanenſem Epiſcopum diſceſſiſſe, eique ademptum jus Ticinen-

(62) Apud Labbé Concil. Tom. 2. col. 30. & 31. *Canon.* 4. & 6. Vide ſis & *Can.* 5. *Concil. Arelat. II.* anni 452., *Concil.* Tom. 4. c. 1011. (63) Vide ſup. pag. 486.
(64) Vide De Rubeis Op. cit. Cap. 36. col. 309. & ſeqq. (65) Ad ann. 712. pag. 224.

ſis Epiſcopi conſecrandi; intactum vero jus ad Synodos eundem evocandi perſtitiſſe ac perduraſſe; nihil enim de hac quæſtione diſputatum, aut pronunciatum unquam fuit. Imo poſt Langobardorum Regnum, imperantibus Carolingis, teſtem habeo Picturam in Odeo Baſilicæ Ambroſianæ Mediolanenſis nobis graphice a Puricellio (66) deſcriptam, atque Angilberti II. Archiepiſcopi tempore delineatam, in qua ſedentes ordine Suffraganei ad Synodum accerſiti Mediolanenſis Provinciæ Epiſcopi viſuntur; inter quos certe etiam *Ticinenſis* adnumeratur. Quomodo autem centum amplius poſt annis Suffraganeus Metropoliticæ hujus Sedis pingi ac repræſentari Ticinenſis poterat, ſi in Romana de Ordinatione cauſa immunis a Synodis Mediolanenſibus fuiſſet declaratus? Iſta autem a Synodis noſtris immunitas (67) exordium videtur duxiſſe eo dumtaxat tempore, quo poſt Sæculi IX. dimidium acerbiſſima inter Joannem VIII.um & Anſpertum noſtrum efferbuere diſſidia, quæ legi in ejus Pontificis litteris (68) poſſunt, atque ad inſtitutum noſtrum nullatenus pertinent.

Anſprandus cum Theudeberti Bajoarici copiis Liguriam profectus, iterum cum Ariperto confligit ancipiti pugnæ exitu. Aripertus noctu Ticinum redit, Regiam auro ſpoliat, & apud Francos fugere meditatur.

*An. DCCXII.

X. * Interea dum Regiam potentiam ſtabilire ac confirmare Aripertus nititur, nova ex Tridentinis Alpibus coorta tempeſtas funditus Regnum evertere minabatur. Anſprandi corde altius inſederat injuſta pupilli Liutberti cædes, graveſque ſuæ ipſius Familiæ injuriæ ac contumeliæ illatæ, quàm ut earum memoria animo excidere penitus poſſet. Intercepta Uxor, totaque Tutoris ſtirps vulneribus affecta, Propinqui omnes exules, aut ditione ejecti aſſiduis ſtimulis urgebant degentem in Bajoaria Principem, totiuſque Conſanguinitatis unicum ſolatium, ut inuſtam Bajoarico ſanguini maculam deleret prorſus atque obliteraret. Neque apud Ipſum obrutus diuturnitate temporis unquam conſenuerat tot calamitatum

(66) *Monum. Baſil. Ambroſ.* n. 62. (67) Vide infra Sect. ult. *Rhythm. De Laudib. Mediol.* nota (*d*). (68) *Concil.* Tom. 9. col. 30. & ſeqq.

dolor; imo novem quos in Bajoaria annos duxerat, totos in moliendam vindictam impigre constanterque contulerat. Origo illi erat ex primaria Nobilitate ejus Provinciæ, fortasse etiam Langobardorum Regum Bajoaricæ Stirpis agnatione conjuncta; quod non obscure indicare potest tutelæ Regiæ dignitas ipsius fidei a Cuniberto in supremis tabulis commendata. Itaque Bajoaricæ nationi gratiosus quum esset, perfacile ejus cum Primoribus apud Suos affinitates calamitatesque domesticæ multorum opes allicere ad misericordiam poterant, quò adversæ fortunæ telis afflictum sublevarent. Comparatis (69) itaque illic amicorum, ipsiusque Theudeberti, qui regionis Dux erat, auxiliariis copiis, justoque collecto exercitu, militaris expeditionis assumpto comite ac duce Liutprando filio, ingentis spei & miræ fortitudinis juvene, per Tridentinas Alpes ineunte vere in Italiam veniens novam experiri belli aleam statuit, cumque hoste crudelissimo congredi. Secreto fœdere firmatis cum Tridentino, Brixiano, & Bergomensi Ducibus, nequid sibi Ticinum progressuro impedimenti a tergo offerrent, Adduam nullo usquam obsistente transgressus, effusis per plana Liguriæ cohortibus, totam Regiam inexspectati belli terrore complevit. Quare haud segniter Aripertus contractis ex transpadanis & Ticinensibus partibus festinanter præsidiis castrametatus extra orientalem Papiæ portam advenientium hostium interritus præstolabatur adventum. Ubì præmissis exploratoribus sensit Ansprandus, haud longe abesse Regis exercitum, composito per turmas cohortesque militum agmine, vetat quenquam vagari extra ordinem; vallum erigi protinus jubet ac stativa poni. Firmatis igitur utrinque munitionibus, haud diu hæsere inimicæ acies, ut prælio de Regni possessione decerneretur. Dato itaque pugnæ signo, infesto Marte ferociter concurritur, Langobar-

(69) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 35.

dis ſtrenue in Bajoaricos irruentibus, Bajoaricis ex adverſo viriliter repugnantibus. Spe diutius protracto prælio & magna utrinque edita militum ſtrage anceps diu hæſit exitus, donec ingruente nocte prælium fuit diremptum. Citius tamen Bajoaricus exercitus quum ſe recepiſſet in caſtra; aliquanto diutius regii milites perſtitere in campo, ubi pugnatum fuerat, inanibus vocibus de victoria glorìantes. Verum ubi incumbens nox ipſos quoque in caſtra redire coegit, Rex Aripertus ſilentio Papiam dilapſus ſive deſperatione victoriæ, ſive veteris crudelitatis agitatus conſcientia, certe vindictam metuens ac panico quodam terrore perculſus conſilium cepit expilandæ Regiæ, aurique undique corradendi; ut eo onuſtus viaticum ſibi pararet atque ſubſidium, quo apud Francos, ubi perfugium quærere conſtituerat, uteretur. Intellecta in caſtris Ariperti fuga, ingens ſtatim orta ſeditio militum, ejuſque fama etiam apud hoſtes permanante, quantò acerbiore Regii dolebant luctu, eò majore Bajoarii gaudio exſultavere; in quorum ſinum devolvi ac evolare extra omnem ſpem victoria certiſſima videbatur.

Auro onuſtus Ticinum fluviū tranſnatat. Aquis abſorptus eadem nocte interiit. Quot pene incredibilia in hac Pauli Diac. narratione occurrunt.

XI. Mane poſtero patuit divinitus declarata Anſprandi felicitas. Nuntiata in caſtris Ariperti mors finem ſeditioni & bello dedit. Etenim Rex antecedente nocte, quum gazæ in Regio Palatio repertæ ſarcina gravatus, ſolus Urbe tandem egreſſus, ſe Ticino natans commiſiſſet, fluvium trajiciens, auri pondere victus ſenſim vires labi, animumque concidere præſentiens, profundo hauſtus gurgite interierat. Expers ſcilicet eruditionis Princeps nunquam Thebani Cratis dicta audierat: Satius eſſe aurum mergere, quam ab eo mergi. Hic Ariperti II. ejuſque regni finis fuit. Qua in narratione licet multa mihi humanam fidem videantur excedere; quis tamen unico Langobardicarum rerum Scriptori Paulo contradicat, quum nullius alterius coævi Scriptoris fidem implorare poſſimus,

cujus testimonio refellatur? Mihi quidem absurda plura subeunt legenti: Regem silentio noctis victorem cogitasse de fuga & exilio voluntario; solum, sine teste, sine auxilio, sine consilio, Regium thesaurum expilasse; suaque gaza onustum intempesta nocte sine famulis vitam suam & prædam Fluminis æstuosi infidis undis commisisse, ab equis, a lintribus imparatum; meditatum fugam ad Francos inconsulto & inscio fratre *Guntberto*, hujusque filiis: quæ omnia in mentem gregarii militis rebus accisis ab insequente hoste fugientis cadere vix unquam potuissent. Porro quis sui compos hæc omnia faciat, aut fieri posse credat? Attamen de Langobardica Historia scribentibus durissima hæc imposita lex, ut Pauli solius fidem & monumenta sequantur. Hujus itaque vestigiis insistentes, quæ Regis mortem consequuta sunt, evolvamus. Insequente pugnam luce repertum Regis cadaver præteritæ noctis tragœdiæ finem fecit. Ariperti frater cum filiis Regno valedixit; seque e Palatio proripiens apud Francos, quod frater optaverat, ocyus quæsivit habuitque paratum promptumque perfugium. Funebri pompa mortuo Regi est parentatum, ejusque mortales exuviæ in S. Salvatoris Basilica ad Avi, Patrui, ac Patruelium corpora sine Titulo (70) appositæ.

Langobardi Regnum Ansprando deferunt, qui post trimestre spatium moritur.

XII. Ansprandus in castris ad renovandam pugnam paratus, hesternos hostes postridie amicos subjectosque habuit suisque partibus addictos. Cognita scilicet Ariperti morte, tanta repente facta fuerat rerum animorumque conversio, ut universi Ansprando tanquam novo Regi acclamarent, eumque veluti triumphantem in Urbem Regiam deducerent, ubi cunctis Ordinibus assentientibus Rex est a Suis & a Langobardica Natione salutatus. Erat porro Ansprandus, teste Paulo, *vir per omnia egregius, & cujus sapientiæ rari æquandi essent*. Bajoarica nimirum Natio mihi videtur divini-

(70) Vide P. Romuald. Op. cit. Part. I. pag. 33. col. 2. sub fin.

tus ex omnibus electa, ut Langobardicæ genti aliquid humanitatis ac religionis impertiretur. Vidimus enim Theudelindâ cum Agilulfo regnante primùm abſterſam hujus Nationis barbaricam illuviem morumque ſqualorem, ſemper deinde in melius efformatam ex ejus poſteris connubiali jure in Regiis maritis civilitatem. Ex quo autem tempore degener a Bajoaricis virtutibus ultimus Aripertus depoſita humanitate ſe ad Langobardicam feritatem retulit, divina Providentia effectum reor, ut novus Bajoaricus Rex Anſprandus ſapientiam, virtutem, ac decus in Langobardicam Regiam revocaret, filiumque ſibi conſtitueret futurum Regibus univerſis pietatis, religionis, fortitudinis exemplar. Quo extincto peſſum iere omnia: & ſenſim conſeneſcente Regni majeſtate, imo & nomine, ad Francos ultimo tranſlata eſt abſoluti numeris omnibus majeſtas Imperii, & ad Romanos Pontifices Catholicæ dignitas Religionis. Sed novi Regis Ticinum adventus gratior lætiorque civibus, quàm Anſprando fuit. Nam Familiæ ſuæ inibi relictæ novennem dolorem ſolaturus, dum de uxoris *Theuderadæ* & filiorum ſtatu ſollicitus inquireret, acerbiſſimo dolore exanimatur in occurſu Conjugis, filiæque *Auronæ* tam crudeliter & inhoneſte deformatarum, excæcatique *Sigibrandi*. Tum profecto ſenſit, multò ſegnius irritaſſe animum auribus intellectam per Liutprandum eorundem carnificinam, quàm fidelibus oculis expoſitam. Horrendæ eorum vulnerum cicatrices recens & inſanabile vulnus inflixere paterno maritalique animo, ut admodum credibile exiſtimem, ex concepta eo conſpectu ægritudine, annos natum circiter LV., feſtinata morte trimeſtri Sedis ſpatio tandem oppreſſum.

Regis Anſprandi *Epitaphium*. Ejus filius Liutprandus Rex renuntiatur. Pia ejuſdem in *Theuderadam* matrem officia.

XIII. Quod unum afflicto morientique Anſprando afferre remedium poterant, paravere mœſtiſſimi ex impendente Regis fato Langobardi. Dum ægram adhuc traheret animam Anſprandus, convocatis Nationis Ordinibus conſortem Regni & Patris ſucceſſorem fu-

turum Liutprandum communibus suffragiis nominavere. Quod ubì Patri nuntiatum est, parva spe animam ducens recreatum aliquantisper spiritum paulo post Deo reddidit. Tam brevis regni, Regisque memoriam conservavere & commendavere posteris Langobardi nobili, licet infelicissimis hexametris (71) concepto, *Epitaphio* ad nostram usque ætatem transmisso (72) in hæc verba:

ANSPRANDVS HONESTVS MORIBVS PRVDENTIA POLLENS
SAPIENS MODESTVS PATIENS SERMONE FACVNDVS
ADSTANTIBVS QVI DVLCIA FAVI MELLIS AD INSTAR
SINGVLIS PROMEBAT DE PECTORE VERBA
CVIVS AD AETEREVM SPIRITVS DVM PERGERET AXEM
POST QVINOS VNDECIES VITAE SVAE CIRCITER ANNOS
APICEM RELIQVIT REGNI PRAESTANTISSIMO NATO
LYNTHPRANDO INCLYTO ET GVBERNACVLA GENTIS
DATVM PAPIAE DIE IDVVM IVNII INDICTIONE DECIMA.

Optavit frustra Muratorius oculis suis sepulcralem hunc Ansprandi Lapidem usurpare, quandoquidem in postremis illis appositis verbis DATVM PAPIAE, quæ insolenter expressa adduntur, latet aliquis primi exscriptoris (Romualdi scilicet) mali interpretis error. Fortasse consueta inscripta erant sigla *depositionem* indicantia per initiales litteras D. P., quæ sonant *De-Positus*, quas infelix idem Scriptor in Epitaphio *Theodotæ* (73) pro numericis notis, hìc vero pro *Datum Papiae* interpretatus fuit; sed Lapide non exstante hunc emendare marte suo ausus non est Muratorius, neque nos emendavimus. Annus & dies depositionis aperte in hoc Lapide constant, Indictio nimirum decima, quæ denotat annum DCCXII., & dies XIII. mensis Junii: quare evincitur, Ansprandum obiisse die XII.[a]: quumque ante Patris mortem electus sit Liutprandus, hu-

(71) Vide sup. pag. 580. (72) Apud Romuald. Op. cit. Part. 4. pag. 50. item in Notis ad Paul. Diac. Cap. 35. Lib. 6. nota 142. & apud Murat. ad ann. 712.


(73) Part. I. pag. 132. initio. Vide sup. pag. 672.

jus electio certe ante diem XII.am ejusdem mensis est referenda. Hoc autem plane consonat Chartæ, quam excerpsit ex Archivo Pisano & protulit in lucem Cl. Muratorius Tomo III. (74) *Antiquitatum Medii Ævi*; in cujus chronologicis notis annus regni XIX.us designatur concurrens cum Indictione XIII.a & mense Julio, anno scilicet DCCXXX.o; igitur mense quinctili jam cœperat XIX.us annus regni Liutprandi. Celebratis parentalibus, Ansprandi memoriam immortalitati sacravit Rex Liutprandus, ejusque supremæ voluntati obsecundans, in Sacello (*) S. Adriani, quod idem Ansprandus Pater ædificandum (75) curaverat, verosimiliter dum in Cuniberti Aula titulis & dignitate insignis versaretur (neque enim hoc præstare potuit Cuniberto extincto, ut nos expositæ illius vices & novenne ab Italia exilium & mors brevi consequuta manifeste evincunt) mortales ejus exuvias reposuit. A paternis exsequiis mox, rex æque piissimus ac filius, in sublevandam Matrem officium transtulit. Contabescebat illa tum novo amissi mariti dolore, tum veterum calamitatum & vulnerum semper recenti acerbitate confecta, semper a consortio homi-

(74) col. 1005. (75) Romuald. l. cit.

(*) Quum apud Aulicum Ticinensem mentio fiat Sacelli S. *Adriani* prope Basilicam S. *Mariæ ad Perticas*, sitam nunc prope Arcem a Galeatio II. Vicecomite posteriori ætate exstructam, pronum est credere, finitimum fuisse hoc Sacellum jamdiu excisum. Hæc opinio magis confirmatur testimonio Jo. B. de Gasparis Ecclesiæ Cathedralis Ticinensis Beneficiarii, qui superiori Sæculo hæc in suo *Diario* mss. (cujus exemplar apud se habere laudatus J. C. Bertolasius mihi per epistolam testatus fuerat) memoriæ tradidit sub die III. Februarii: *La Chiesa di S. Adriano fu edificata nell' anno* 716. (hic plane est anachronismus, quum Ansprandus jam quadriennio ante decessisset) *dal Re Ansprando de' Longobardi, e fu demolita per essere stata nel sito dove ora è il Castello.* Ceterum, ut me monuit per easdem litteras ipse Bertolasius, fragmentum aliquod * hujus Inscriptionis adhuc exstat in basi cujusdam cenotaphii erecti sæculo XVI. ad honorem Chiliarchæ Cæsarei Christophori Waltpurgii in Basilica S. Petri *in Cælo Aureo*, in quam illatas fuisse crediderim tam Ansprandi, quam Liutprandi sepulcrales Inscriptiones, diruto *S. Adriani* Templo, in quo primitus uterque horum Regum fuerat tumulatus.

* sic



hominum aliena, nullius audens propter indecoras faciei cicatrices subire conspectum, & vix doloris communione cum *Aurona* sociata dum Conjugis fleret jacturam, lacrymas filiæ de sua orbitate conquerentis augebat.

XIV. Interea redire Catholicæ Religionis aurea Ætas Liutprando Rege videbatur, cujus pietas adeo in ore omnium atque oculis erat, ut publicæ a Notariis signarentur tabulæ nobili ista & vix antehac audita (76) epigraphe: *Regnante excellentissimo & Christianissimo Liudprando* (77) *Rege*: & Natio ipsa universa eo regnante *felicissima* putaretur, sicut indicat Legum ipsarum Appendix (78) ab ipso edita, in qua sic legitur: *Excellentissimus Rex gentis felicissimæ, Catholicæ, Deoque dilectæ Langobardorum*. Summo interim gaudio exsultabat Antistes noster Benedictus, qui, sub Ariperto primævo consecrandi Ticinensis Episcopi jure dejectus, sub Liutprando successore fidem Catholicam plane regnantem in Ticinensi Solio gratulabatur. Memorans ille diuturni sui Pontificatus exordia, atque, exactis jam XXX. & amplius annis, ad vitæ & Sedis finem vergens comparabat hæc initia sub Bertarido & Cuniberto optimis Regibus auspicatissima cum faustissimis Religionis incrementis sub Rege Liutprando. Et veterum dolorum oblitus, quibus Ragimbertus, ejusque filius Successor, Familiam Regiam & Regnum universum funestaverant; admirabatur justitiam, fortitudinem, religionem novi Principis jura sua Aretino Episcopo (79) reddentis; Hymnodiam & Psalmodiam (80) in Regiam ipsam primùm invectam; Legum Langobardicarum Appendices, quibus præsertim (81) & Vir-

Reliquus Benedicti Pontificatus Liutprando regnante felicissimus. Hujus Antistitis obitus. De ejusdem sanctitate opinio.

(76) Haud longe dissimilem epigraphem de Bertarido & Cuniberto vidimus supra not. (17) p. 606.
(77) Murat. *Annal.* ad ann. 715. (78) *Prol.* in *Legum* Lib. 2., *R. I. Scr.* T. I. P. II. p. 52.
(79) Murat. ad ann. 715. cit. (80) P. D. Lib. 6. Cap. 58. (81) Murat. ad ann. 722.

ginum, & Viduarum ſtatum ad perfectam Religionis normam conformaverat, & Fidei Catholicæ labes omnes ex veteris ethnicæ ſuperſtitionis reliquiis ſapienter abſterſerat. Firmiter igitur ſtabilitis, per haſce a Rege latas ſanctiones pietatis, & religionis in populo fundamentis, longævus atque ætate confectus Benedictus noſter diem extremum placide exſpectabat. Qui tandem aliquanto poſt tempore egregiam in adverſis & proſperis vitam clauſit, anno * nempe DCCXXV., ut veroſimilius cenſuit Papebrochius, animadvertens (82) facilem, qui in *Catalogo* noſtro (83) irrepere potuit, amanuenſis errorem circa numerum annorum Sedis, quem ipſe Papebrochius ad XLIV. reducit, ut ſuus ac juſtus Succeſſoribus annorum numerus tribuatur. Undecima Martii dies ſuprema illi fuit; & quamvis Ambroſianis faſtis ejus memoria conſecretur ad VI. Septembris diem, ea propter id accidit, quòd nulla de Sanctis habeatur in Ambroſianis ritibus tempore Quadrageſimæ (*) commemoratio, ut ſæpius alibi oſtendimus. Ad Baſilicam S. Ambroſii ſibi ſepulturæ locum electam communi omnium dolore elatus eſt atque depoſitus. Admiranda Ejus vitæ virtus ab obitu ſtatim illum Sanctis accenſuit, ut in *Rhythmo de Laudibus Mediolani* ad finem hujus Corollarii exponendo.

* DCCXXV.

Theodorus II. Benedicto ſuccedit. Hunc ex Regia Stirpe natalem habuiſſe plane conſtat etiam ex *Rhythmo De Laudib. Mediol.* De huj. *Rhythmi* ætate.

XV. S. Benedicti morte nova atque inuſitata dignitas Ambroſianæ Sedi acceſſit. Quum enim de Succeſſore eligendo agendum eſſet, implevit omnium oculos ſingularis virtus, & in adverſis probatiſſima conſtantia eximii Viri, qui ad Regiam fortunam genitus, Deo auſpice, ad Paſtorale munus aptiſſimus videbatur, & omnium votis accommodatus. Erat is *Theodorus*, (84) Anſprandi

(82) In *Exegeſi* ſæpe cit. §. 59. (83) Sic ibid. legitur: *Benedictus Ep. ſed. ann. XLVIII.* (in utroq. cit. *Catal.* apud Murat. *XLVII.*, mendum fortaſſe pro *XLIIII.*) *Ob. V. Id. Mart.* (In *Catal.* I. apud Murat. *VII. Id.*, in II. autem *VI. Id.*) *ſep. ad S. Ambroſium.* (84) Vide ſup. pag. 668. (*) Hinc mirum non accidit, ſi huj. Sancti Comm., quæ in Calendario tantum, Miſſalib. & Breviar. per nos viſis præfixo, ab anno 1487. ad 1560. habetur ad diem XI. Martii, omiſſa poſtmodum fuerit, donec anno 1625. conſtans ejus Officium inſtitui cœpit ad diem VI. Sept.

Regis, ut reor, filius, Liutprandi ipsius frater. Sed ut tanti Antistitis historiam meliori in lumine collocemus, operæ pretium est aliqua leviter reminisci, aliqua uberius pertractare, quæ jam alibi disseruimus. Quum Aripertus II. Ragimberti filius Langobardorum Regnum vi invasisset, id primum omnium cavit, nequis aut ex Cuniberti aut Ansprandi Familia superstes foret, qui novum in se, vel Stirpem suam, bellum, aut belli periculum commoveret. *Liutberto* unico Cuniberti hærede in thermis per summum nefas (85) extincto, *Sigibrando* (86) Ansprandi, qui in Bajoariam fugerat, filio natu majore *oculis privato, omnes, qui ei consanguinitate juncti fuerant, diversis modis afflixerat*; *Theuderadam* item Ansprandi uxorem & *Auronam* filiam naribus atque auribus abscissis crudelissime dehonestaverat. Designavit vero Paulus præsertim eos, in quos immaniter Tyrannus desævierat, reliquos autem silentio præteriens diversimode dumtaxat narravit afflictos. Reapse nullam mentionem injecit Diaconus de *Cuniperga* (87) Cuniberti Regis filia apud *Theotam* in Monasterio *S. Agathæ* latente: vix identidem loquitur (88) de pluribus Ansprandi nepotibus, ac propinquis, quos in Regno Liutprandi variis ornatos dignitatibus affirmat: at ex his neminem significat passum fuisse aliquid calamitatis ab Ariperto; ea arbitror de causa, quod Tyrannus in illos citra sanguinem solummodo animadvertisset. Forte dumtaxat unus *Petrus* ab hoc Historico (89) memoratur, *Ticinensis Ecclesiæ Episcopus, qui, quia Regis erat consanguineus, ab Ariperto quondam Rege apud Spoletum exilio fuerat retrusus*. Pari igitur infortunio inter Ansprandi propinquos obnoxius fuisse mihi videtur *Theodorus* noster, qui & ipse Ariperti jussu longe a Regia Ticinensi exulare & tonsa coma Clericali militiæ

(85) Sup. pag. 665. (86) Vide sup. pag. 668. & 669. (87) Vide sup. pag. 599. 600. & 669. (88) Vide supr. pag. 670. (89) Lib. 6. Cap. 58.

nomen dare coactus, defuncto S. Benedicto, licet alibi degeret, tamen votis omnium expetitus, utpote Regis Liutprandi frater, in se omnium oculos & suffragia converterat. Et ne hoc nimis fidenter dicere videar, præsto mihi est auctoritas synchroni *Rhythmi de Laudibus Mediolani* a Muratorio (90) editi & alicubi emendatius recusi a Petro Gratiolio in Appendice Operis *De Præclaris Mediolani Ædificiis*; quem *Rhythmum* mihi plane conscriptum liquet (91) sub finem regni Liutprandi intra annos DCCXXXIX. & DCCXLIV., qui ultimus hujus Regis vitæ fuit. Quod ut asseram, facit ipse loquendi modus quo rhythmicus Scriptor utitur. Nam ubi de *Theodoro* loquitur, illum uti jam extinctum commendat; ubi autem de *Liutprando*, hunc tanquam adhuc in Solio sedentem describit. Ecce quid in eo *Rhythmo* habeatur super *Theodoro* nostro:

Totam Urbem Præsul magnus ornavit Theodorius
Veniens benigne, natus de regali germine,
Quem ad Sedem rapuit trahens pro amore Populus.

Rhythmi auctor primùm dicit, *ornatam* jam fuisse Urbem hanc ab Antistite Theodoro; jam igitur ille decesserat, quum hæc scriberet: item, *benigne venisse*; idest placido vultu assensum fuisse votis Populi, cujus favore quodammodo ad Sedem fuerat pertractus & raptus, quum alibi versaretur. Quod si *Theodorium* (*) Poeta

(90) *Rer. Ital. Script.* Tom. 2. Part. 2. pag. 689. (91) De hujus *Rhythmi* ætate disseruit etiam Murat. ibid. p. 685. & 1094. & Gratiol. ibid. pag. III. & seqq.

(*) Nescio tamen utrum assentiar libentius Gratiolio volenti *Theodorius* emendare pro *Theodosius* (ut ex Veronensi Codice fideliter in Editione sua exscripsit Muratorius) quàm Comiti Julinio (Tom. IV. pag. 394. & 395.) *Theodosii* lectionem tuenti ex gemini Codicis, *Psalmodiam & Hymnodiam* per totum anni cursum continentis, apud Sancti Laurentii Basilicam asservati, Calendariis ad diem 28. Martii, in quibus, ubi mentio fit de S. *Theodoro* I., utrobique legitur: S. *Theodosii Episcopi*: ob euphoniam, ipse ait, fortasse illi ætati familiarem. Porro facile crediderim, vel mendum irrepsisse in Apograhis, vel male in autographis lectum fuisse *s* pro *r*; quum in Langobardico Alphabeto utriusque litteræ modicum, aut fere nullum discrimen sit, ut in Tabulis jam expositi *Rhythmi* (sup. p. 536. & 626.) nostri facile deprehenditur.

appellat, id dictum potius rhythmi gratia in jambum cadentis, quam ipsius nominis; constanter enim in Catalogis legimus *Theodorum* ipsi nomen fuisse, sicut etiam Mediolanensem Episcopum hujus nominis I.um ita appellavit (92) Ennodius..

Inde conjicitur, *Theodorum* fuisse *Auronæ* Liutprandi Sororis fratrem. Aurona Mediolani Monaster. condit, ab ipsa nuncupatum: quo tempore & loco, quave de causa. Otto anno id auctum fortasse ac locupletatum. De *Auronæ* sanctitatis fama.

XVI. Expendendum igitur superest; cur Theodorus dicatur (93) *natus de regali germine*. Tres Liutprandi tempore numerari poterant Regum familiæ. Prima *Cuniberti*, defuncti anno DCC., quæ tamen funditus interierat, parvulo Liutberto unico ejus filio extincto. Altera *Ariperti* II., quæ & ipsa nulla tum erat in Italia; quandoquidem merso in Ticini undis Ariperto sine liberis, ejus frater Guntbertus (94) cum tribus filiis exilium voluntarium regno prætulit, & apud Francos vix notus nomine degebat. Tertia *Ansprandi* Regis, cujus uxorem & filiam mutilatas deformiter, filium primogenitum excæcatum, reliquos consanguineos variis modis afflictos, atque minimum natu contemptui habitum Liutprandum in Bajoariam ad Patrem remissum, sæpe prædiximus. Itaque ut Theodorus noster affirmetur *natus de regali germine*, de Rege Ansprando genitum dicamus, necesse est. Adstipulatur huic rationi, sive mavis conjecturæ, constans *Catalogorum* (95) nostrorum auctoritas, & Historicorum Mediolanensium omnium consensus, *Theodorum* hunc scilicet fratrem *Auronæ* fuisse. Porro, qui frater *Auronæ* dicitur, idem opus est *Ansprandi* sit filius: *Auronam* vero quis *Ansprandi* filiam neget contra Pauli Diaconi (96) auctoritatem, cui refragari, aut oblatrare, dictatoriæ vel tribunitiæ potestatis sit? Hinc facile intelligemus, quo tempore, quave de causa Monasterium (97)

(92) Vide sup. pag. 144. (93) Vide sup. pag. 663. (94) Paul. Diac. Lib. 6. Cap. 35. Vide sup. pag. 685. (95) In *Catal.* inter Schedas Puricell. mss. S. 89. Part. Sup. sic: *Jacet* Theodorus *in Monast. Horono cum Sorore Horona apud Altare S. Bartholom.*, *qui* (in aliis Catal. *que*) *edificavit Monast.*, *quod nunc dicitur Horonum*. Vide & *Catal.* H. 56. & 87. & Q. 122. Part. Sup., qui singuli idem testantur. Vide & mox infra not. (100) (96) Lib. 6. Cap. 22. cit. (97) Vide sup. pag. 619.

Aurona Mediolani ab se nuncupatum erexerit, ibique *Theodorus* noster se humari mandaverit. Sequutus is, credo, est S. Benedicti Abbatis exemplum, qui prope sororis Scholasticæ cineres sepulcrum habuit: aut *Aurona* sibi Marcellinam ad imitandum proposuit; quarum hæc, repudiato Majorum (98) sepulcro, juxta, fratrem Ambrosium deponi optavit; illa, ut in Monasterio, quem sibi sepulcri locum elegerat, etiam *Theodorus* frater tumularetur. Certe, si vetera Ecclesiæ nostræ monumenta excutere velimus, eaque recolere, quæ jam suo loco (99) expendebamus, num Theodori decessor Benedictus aliquod Monasterium excitaverit; pronum credere est, hoc *Auronæ* primum fuisse, quod intra Urbem nostram constructum legatur. Ergo quod ad tempus spectat ejus Monasterii fabricationis, non aliud designandum puto, nisi (100) illud XIV. annorum spatium, quo *Theodorus* hujus nominis II.us Ambrosii Sedem obtinuit, scilicet, quod ab anno DCCXXV. effluxit usque ad ipsius obitum. Quare ædificatum censeo ante annum Sæculi VIII. trige-

(98) Vide *Epitaph.* ap. Alciat. *Inscr. Antiq.* mss. in Bibl. Ambr. Part. Inf. D. 425. p. 98., qui ejus auctorem autumat S. Simplicianum It. ap. Puricell. *Mon. Basil. Ambr.* n. 98. sic:

Marcellina tuos dum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulcris,
Dum pia fraterni speras consortia somni,
Sanctorumque cupis cara requiescere terra.
Nil longinqua domus casto decerpsit amori,
Affectus nec morte perit; nam munere lethi
Rursus victa soror fraternæ redderis umbræ,
Quamvis magna pio suspiret Roma dolore,
Tertia quod sacri patitur jam damna sepulcri.
Nec tamen angustam Sedem quis dixerit Aulæ,
Corporis hæc domus est &c.

(99) pag. 618. 619. cit.

(100) In *Catal.* nostro vetustiss. sæpe cit. sic: *Theodorus episc. sedit ann. XIIII.* (in *Catal.* ap. Murat. Tom. IV. cit. additur: *Ob. prid. Id. Majas*) *Sep. in Monasterio Auronæ* (in *Catal.* cit. *Olonæ*, in alt. ap. eund. Tom. I. Part. II. *Oronæ*) It. in *Chron.* Ms. in Arch. Mon. S. Ambr. ap. Julin. Tom. 4. pag. 393. *Anno Domini DCCXXV. sedebat Theodoricus* (sic) *Archiep. Mediol. Sedit annis XIIII. & jacet in Monast. Horono cum Sorore sua Horona. Anno Domini DCCXL. factum est Monast. Horonum Mediolani.*

ſimum nonum; quandoquidem hoc anno noſter ille Antiſtes in *Auronæ* Monaſterio tumulari corpus ſuum voluit. Exædificatum vero atque perfectum ſubſequenti anno * DCCXL. crediderim propter rationes, quas prudenter de more accuratiſſimus Comes Julinius allegat Tomo IV. (101) ſuorum *Memorabilium* ſuper Mediolanenſi Hiſtoria. Cauſam vero Parthenonis in hac Urbe inſtituendi, quum diutius *Aurona* Ticini cum Matre in *Theodotæ* Monaſterio domicilium probabiliter habuiſſet, ut ſuperius (102) animadvertimus, ſi divinare licet, non aliam fuiſſe conjicio, quam ipſius Matris *Theuderadæ* mortem, quacum diuturnam ærumnarum & habitationis ſocietatem habuiſſe facile exiſtimo. Cujus tandem conſortio deſtituta, ad orbitatis ſuæ ſolatium, & præſertim fortaſſe etiam quum paulo ante, aut ſub idem tempus, obruta dolore fuiſſet propter inopinatum *Auſuſi* filii in venatione obitum ad Silvam urbem, de quo (103) Paulus ſcripſit, ad fratris *Theodori* ſocietatem ſe applicuit Mediolani, qui ſanctis ſuis monitis in patientiæ & virtutis propoſito confirmaret, & ad cæleſtis gloriæ deſiderium accenderet. Hinc tanta *Auronæ* ſanctitatis fama apud poſteros viguit, ut *Sanctæ* titulo, & cultu inſignis exeunte Sæculo XI. ab Anſelmo Archiepiſcopo noſtro, hujus nominis IV.°, publicis in tabulis tanquam cælites inter relata appellaretur, ſicuti teſtatum facit ſolers Antiquitatis ſcrutator jam laudatus (104) Comes Julinius. Supervacaneum autem puto ejus Monaſterii locum deſignare, quem nobis idem ſemper cum laude memorandus Scriptor tam exacte diligenterque ad *Romana*, ut a-

* An. DCCXL.

(101) Ambr. Boſſ. in *Chron. Flos Flor.* mſ. f. 109. pag. 1., & ap. Puricell. *Mon. Ambr.* n. 231., ſic ait: *Jacet* (Theodorus II.) *in Monaſterio Horono, cum ſorore ſua Horona, quæ ipſum Monaſterium ædificavit anno Domini DCCXL., ut dicit Goth-fredus de Buſſero*; quæ poſtrema verba ad trutinam revocans Julinius (Tom. IV. cit. pag. 392. & ſeqq.) de novo Monaſterii ædificio, addita fortaſſe aliqua ipſius *Theodori* Epiſcopi dotatione, interpretari voluit. Sed mendum in ea nota Chronologica irrepſiſſe quid vetat? (102) Sup. pag. 667.
(103) Lib. 6. Cap. 58. V. ſup. p. 670. (104) Tom. IV. cit. p. 391. & 546. ad ann. 1099.

junt, antiquæ Urbis nostræ mœnia, scilicet ubi superioribus annis exstabat *S. Barbaræ* Asceterium, tam apposite tamque affabre non descripsit, sed delineavit, ut quisquis veterum Murorum ambitum, & publicæ cloacæ alveum perfecte norit, suismet oculis illius Parthenonis situm usurpare se ultro fateatur.

'Quis esset regnante Liutprando Mediol. Urbis status, ex *Rhythmo* synchrono declaratur.

XVII. Sed ohe nimium ultra jam propositam nobis metam excurrimus. Igitur

Tempus equûm spumantia solvere colla.

Liceat dumtaxat mihi coronidis loco memoratum *de Laudibus Mediolani Rhythmum*, sicuti Gratiolius edidit, integrum (*) denuo legentibus apponere; quum multa ad hanc, de qua agimus, ætatem spectantia complectatur, quæ perfectum nostræ Urbis civilem statum, decus Ædificiorum, Sacrorum majestatem, auream Langobardici Regni epocham veris coloribus pingunt, & veteres Mediolanensium dolores, & sensum inflictorum a Barbaris vulnerum plane deliniunt.

(a) *Alta Urbs & spatiosa manet in Italia,*
Firmiter ædificata, opere mirifico,
Quæ ab antiquitus vocatur Mediolanum *Civitas.*
Bonam retinet decoris speciem, & variis
Rutilat cultura modis ornata perspicue:
Locus ita fructuosus constat in planitie.
Celsas habet opertasque turres in circuitu,
Magnas studio nitentes sculpturas, & forinsecus
Et introrsus decorata magnis ædificiis.

Duo-

(*) Huic *Rhythmo* nonnullas, ut e re nostra visum fuit, animadversiones subjicimus. Ceterùm, qui plura desiderant, ad eas amandamus, quas satis luculenter apposuit eruditissimus Gratiolius in App. Op. cit.

(a) *Rhythmum* hunc *acrostichon* esse legenti cuique patet; initium scilicet cujusque Strophes singulas ex ordine Alphabeti litteras exhibet. Vide, quæ de *Rhythmis* jam supra animadvertimus p. 532. & seqq. De Hymnis acrostichis vide p. 494. nota (*).

Duodecim enim latitudo mœnium eſt pedibus,
Immenſumque deorſum eſt quadrata rupibus,
Perfectaque eriguntur ſurſum & fictilibus.
Erga murum pretioſas novem habet Januas
Vinclis ferreis, & claves circumſpectas naviter,
Ante quas catharactarum ſiſtunt (b) propugnacula.
Foris valde ſpecioſum habet Ædificium,
Omnemque ambitum viarum firme ſtratum ſilice,
Undam capit per ductorem lymphæ, quam dat baluſtriis.
Glorioſe ſacris micat ornata eccleſiis,
Ex quibus alma eſt Laurenti *intus alvaberis*
Lapidibus, aureque tecta, edita in turribus.
Hæc eſt Urbium Regina, Mater atque patriæ,
Quæ præcipuo vocatur nomine Metropolis,
Quam conlaudant univerſi nationes ſæculi.
Ingens permanet ipſius dignitas potentiæ,
Ad quam cuncti venientes (c) Præſules Auſoniæ
Juxta normam inſtruuntur (d) ſynodali Canone.

(*b*) Specioſa hæc decora Urbs noſtra plane eadem præ ſe ferebat ante Attilæ & Witigis tempora, a quibus Mediolanum fuit exciſum. Quare aut non adeo luctuoſum tum fuit hujus Civitatis excidium, ut a nonnullis creditur, aut admodum felix & laudabilis facta poſtmodum a Narſete ejus reparatio, ſive etiam ſub Langobardis ipſis Regibus, Agilulpho præſertim ac Bertarido, magnificentius ornata Urbs atque aucta fuit, ſi Liutprandi tempore tanta dignitate & tot munitionibus pollebat. (*c*) Emphatice dictum, ſi de rhythmici hujus Scriptoris tempore ſermo ſit; quum nempe Liutprando Rege Flaminia, & magna pars Venetiæ cum Hiſtria a Mediolanenſis Archiepiſcopi jure non penderet. Vide ſup. pag. 32. & 88. (*d*) Ergo Synodalibus Mediolanenſis Præſulis Conventibus nullus erat, Liutprandi tempore, in ejus Archiepiſcopali ditione exemptus; qui mos, ut ſuperius pag. 682. innuimus, viguit uſque ad tempora Joannis VIII.

Karitas benigna manet, ſcilicet in populo;
Omnes ſedule ad Dei properant eccleſiam
Devota ſua offerentes munera altaribus.
Lætantur ibidem & quieſcunt circa mœnia
Victor, Nabor, & Maternus, Felix, & Euſtorgius,
Nazarius, Simplicianus, Celſus, & Valeria;
Magnus Præſul cum duobus ſociis Ambroſius
Protaſio, Gervaſio*que manet*; & Dionyſius,
Calimerus*que*. *Ibi almus* (e) Benedictus *recubat*.
Nulla poteſt reperiri Urbs in hac Provincia,
Ubi tanta requieſcunt Sanctorum Cadavera
Electorum revelata, quanta ibi excubant.
O quam felix & beata Mediolànum civitas,
Quæ habere tales Sanctos defenſores meruit,
Quorum precibus invicta permanet & fertilis!
Pollens ordo Lectionum, cantilenæ, organum,
Modulata Pſalmorumque conlaudantur. (f) *Regula,*
Actuſque adimpletur in ea (g) *cotidie.*
Quæſtu congrue ditantur venientes incolæ;
Nudi quoque veſtiuntur copioſo tegmine;
Pauperes & peregrini ſatiantur ibidem.

(e) *Ibi*, ideſt in Baſilica S. Ambroſii. Tanta porro floruit exiſtimatione hic noſter Antiſtes, ut decimoquinto circiter poſt mortem anno *Almi*, ſcilicet *Sancti*, nomine inſignitus, SS. Ambroſio, Gervaſio, & Protaſio accenſeri mereretur. (f) Mendoſa hic fortaſſe lectio nedum apud Muratorium, ſed etiam apud Gratiolium: Quidni melius legendum: *Modulata pſalmorumque conlaudatur regula*: *Actuſque* &c. ideſt *Actus* antonomaſtice pro magno Miſſæ Sacrificio? (g) Si tanta *Liutprandi* & *Theodori* II. ætate erat Sacrorum majeſtas & decus, hoc ipſum traditionem noſtram veterem confirmat, qua docemur, maximam ac ſolertiſſimam impenſam a *Theodoro* noſtro operam & ſtudium pro Ambroſianis Ritibus explicandis, & ad priſtinam formam reſtituendis. Vide Sax. in ejus *Vita* Tom. 1. pag. 246. & ſeqq.

Rerum cernitur cunctarum speciebus (h) *inclyta*,
Generumque diversorum referta seminibus,
Vini copia & carnes adfluenter nimie.
Sceptrum inde Langobardi Principalem obtinet
Liutprandum (*i*) *pium Regem*, *meritis almificum*,
Cui tantam sanctitatis Christus dedit gratiam.
Totam Urbem Præsul magnus ornavit (*k*) Theodorius,
Veniens benigne, *natus de regali germine*,
Quem ad Sedem rapuit trahens pro amore Populus.
Viribus robusti cives adstantium (*l*) *certamine*
Nefandarum subdent colla expugnando gentium,
Palmam possident, *& fidei nomen quam amplissimum*.
Xp̄m (*m*) *Dominum precemur universi pariter*,
Ut dignetur custodire hanc Urbem, *& regere*,
Atque cunctis liberare illam de periculis.
Ymnum (*n*) *Regi modulanter cantemus Altissimo*,
Qui eam pulchro decoravit ornamento Martyrum,
Sanctorumque Confessorum ibi quiescentium.

(*h*) In Edit. Murat. *inclyta speciebus*: barbarus quippe Vates fortasse penultimam, quam nos producimus, syllabam ipse corripiebat, ut in jambum caderet, ut plura habemus exempla in Cuniberti *Rhythmo* supra recitato. (*i*) Ita sensum hunc explicat Gratiolius: *Sceptrum* (i. e. Regnum) *Langobardi* (forte in MS. *Langobardū*) *Principalis* (i. e. Princeps) *obtinet* (i. e. occupat) *Liutprandus pius Rex* &c. Vatem opinor poetice mutasse syntaxim *agentis & patientis*, ut syllabarum mensuræ se accommodaret. (*k*) Utrum *Theodosius*, an *Theodorius*, vide, quæ sup. observavimus pag. 692. nota (*). (*l*) *Nefandarum gentium* nomine Poeta innuit fortasse Saracenos, qui quum in Galliæ finibus debaccharentur, & Italiæ imminerent, Liutprandus ipse cum suo exercitu fidelissimo, Mediolanensibus etiam civibus conflato, ex Provincia in Occitaniam repulit anno apud Murator. 739., vix scilicet post obitum *Theodori*. Vide Gratiol. in nota ad h. l. (*m*) De hoc usitatissimo apud barbaros etiam vetustioris Ævi acrostichorum Scriptores *trigrammate* vide, quæ jam sup. animadvertimus pag. 494. nota (*). (*n*) Vide ibid.

Zelemus omnes Christiani Salvatorem Dominum,
Ut in illam nos permittat Civitatem ingredi,
In qua Sancti per æterna gratulantur sæcula.
Gloria sit Deo Patri, Ejusque Unigenito,
Gloriam canamus omnes Spiritui Paraclito,
Qui Trinus Deus & Unus regnat in perpetuo.



Animadversiones in Catalogum Episcoporum Mediolanensium præfixum Codici Ms. in Bibl. Ambr. sign. C. 133. Part. Inf.

Antequam Seriem Chronologicam subjiciamus Mediolanensium Pontificum, quos hæc Historia complectitur, commode atque oppotune accidit aliqua præfari, sicuti polliciti sumus, de pervetusto Ambrosiano nostro *Catalogo*, qui in eorundem Antistitum chronotaxi asserenda atque illustranda tanto nobis plerumque adjumento, tantæque auctoritati fuit. Suismet oculis hunc perlustraverat (1) Papebrochius, deinde (2) Mabillonius; quorum uterque exscriptum & animadversionibus locupletatum posterorum memoriæ tradiderunt. Nos eum quadrifariam dividimus. Tres scilicet priores Partes, uno eodemque continenter charactere ab uno earum colligendarum Auctore ex vetustiore scheda exaratæ, eos Antistites comprehendunt, qui ab *Anatalone* usque ad *Guidonis* obitum in Mediolanensi Cathedra sederunt. Postremam nihil moramur, ab *Thedaldi* Sedis initio usque ad *Joann. II. Vicecom.*, a diversis, qua quisque sedebat ætate, concinnatam.

II. *Prima Pars* (*Frontone* ob allatas rationes (3) ante Auxanum rejecto) ab *Anatalone* desinit in *Honoratum*; quo adhuc vivo ante annum, ut probavimus (4) contra Papebrochium, DLXXII. fuit Mediolani confecta. Formula hìc constanter adhibita = *Sedit annos* &c. absque ulla mensium ac dierum adnotatione, præterquam in *Ambrosio* ac *Theodoro I.* Sequitur dies ac mensis depositionis sic: *Dep.* &c. id tamen deest in *Vitali* & *Honorato*. Demum accedit sepulturæ locus. (ex. gr. ad *tcilia scōr* = Ad *scm̄ iohm̄ ad cōca* = *ad scm̄ nitalē*) non ante Sæculum XI. additus, ut infra differemus.

Primævum *Primæ Partis* Auctorem Antistitum nomina exscripsisse putat (5) Papebrochius e sacris Diptychis, eoque ordine, quo inter Solemnia jam inde a primis Ecclesiæ Christianæ Sæculis recitabantur. Aliquis tamen interpolator chronotaxim seu successionis ordinem perturbavit (6) eorum Præsulum, qui *Monam* ac *Dionysium* intercesserunt. Eodem vitio laborarunt omnes tum utriusque a Muratorio editi, tum quotquot in Bibliothecæ nostræ pluteis (7) recentiores habemus mss. *Catalogorum* Exscriptores, aliique superioris Sæculi Hagiographi. Quis & quando tum *Sedis annos*, licet calculis identidem vitiatis, tum *depositionis diem* fortasse ex sacris fastis adjecerit, facile definiri nequit: *haud diu* post addita opinatur (8) Papebrochius.

III. Primam hanc *Catalogi* Partem, ut alibi (9) animadvertimus, ex superstite aliquo post Alboini irruptionem monumento corrasit, & scriptioni suæ

(1) V. *Exegef. de Epifc. Mediol. in Act. SS.* T. 7. Maji p. LVII. & seqq. (2) V. *Mus. Ital.* Tom. 1. Part. 2. p. 109. & seqq. (3) Huj. Op. p. 349. & seqq. (4) pag. 351. 377. &c. (5) *Exeg.* cit. §. 1. (6) V. *Exeg.* cit. §. 12. & seqq. Sax. Tom. 1. p. 38. (7) In Part. Inf. D. 14. In Part. Sup. H. 56. 87. N. 200. 294. Q. 120. 122. S. 89. (8) *Exeg.* cit. §. 1. (9) Huj. Op. p. 377. cit.

præmisit *Partis secundæ* Auctor, quæ *Laurentium*, *Constantium*, *Adeodatum*, & *Asterium* Genuæ in exilio commorantes complectitur, ab anno DLXXII. ad DCXL. Hanc a Prima diversam cum (10) Papebrochio, & (11) Mabillonio conjicimus ex stili mutatione. Hæc enim ibi adhibetur formula = *Sedit annos* &c. *menses* &c. *dies* &c. *sepultus ad* &c. *Vixit annos* &c. Quare ipso, quo singuli Genuæ obierunt, tempore *Pars* hæc ibidem conscripta fuit, ideoque, Papebrochio (12) teste, *præcipuum fidei & auctoritatis gradum meretur*.

IV. *Pars Tertia* demum a *Forte* initium ducens usque ad *Guidonis* obitum progreditur, uti diximus, ab anno scilicet circiter DCXL. usque ad MLXXI. Hucusque enim uno eodemque charactere ab singularum Partium Compositore adornatus fuit *Catalogus*. Neque Papebrochio ac Mabillonio assentimur, quorum primus *hanc* (13) Trium Partium *Collectionem* putat *scribi coeptam tempore Thedaldi* (qui in hoc *Catalogo* dicto *Guidoni* (*) immediate succedit) *eoque mortuo absolutam*, *addita extrema linea:* Alter vero post *Thedaldum* sic (14 adnotat: *Hactenus primaria manu*. Sed vellem, uterque, qui hunc *Catalogum* suismet oculis usurpavit, in *Thedaldi* pericope perspexisset alicujus litterulæ ductum, imo & atramentum a præcedente scriptione diversum, & præsertim numeri quinarii formam non amplius U, quæ antea constanter adhibita, sed V. hic primò, & deinceps usitatam. Uti *Pars Secunda* Genuæ, ita hæc *Tertia* Mediolani subinde fuit primùm condita. *Tertiam* hanc *Partem*, licet a *Forte* exordiatur, *post unius* tamen *Sæculi decursum* asserit (15) Papebrochius scribi cœptam fuisse, anno nempe DCCXLIV. quo obiit *Stabilis*; ea, ut videtur, ratione inductus, quod, ab hinc tantummodo, præter *annos* adnotari incipiunt *dies* & *menses* cujusque Præsulis, quos a *Forte* usque ad *Arifredum*, *Stabilis* Decessorem, facile supputare nequiverit primus hujus *Tertiæ Partis* Auctor, sed accurate descripserint, qui eandem usque ad *Guidonem* sua quisque ætate prosecuti sunt. A *Forte* itaque usque ad *Arifredum* formula est hujusmodi: *Sedit annos* &c. *Obiit* &c. *Sepultus ad* &c. A *Stabile* ad *Guidonem* sic: *Sedit annos* &c. *menses* &c. *dies* &c. *Obiit* &c. *Sep. ad* &c. Prorsus hic siletur de *Fortis* & *Mauricilli* sepulcro; Ille enim exul ignoto loco diem supremum obivit; Hujus autem Reliquiæ, nemini antea cognitæ, sub Sæculi tantum IX. finem ab Ansperto (16) fuerunt inventæ.

V. Præstat hoc loco comprobare, quod præmonuimus, scilicet Sepulturæ loca in *Prima* Catalogi *Parte* adjuncta fuisse multo serius, eaque fortasse ab Scriptore illo qui singulas priores Tres Partes collegit, & continenti calamo exscripsit. Scitè ergo in hac *Prima Parte* omissa vox *sepultus* (17) *eò quod primus sepulturæ locus aut certo alius fuisse sciretur*, *aut omnino haberetur incognitus*. Argumenta vero, quæ nos adducunt, ut credamus, posteriori ævo adjuncta fuisse, primum est Castritiani sepulcrum in Ecclesia *S. Joannis ad Conca*. Nam certo scimus ex Anonymo IX. vel X.[i] Sæculi (18) auctore Opusculi (19) *De Situ Civitatis Mediolani* (seu verius de S. Barnabæ Adventu & de priorum Sex

(10) Exeg. cit. Part. II. §. 48. (11) Loco cit. p. III. n. (a). (12) §. 48. cit.
(13) Exeg. cit. §. 100. (*) In hoc *Catal.*, uti & in geminis a Muratorio editis in *Rer. Ital. Scr.* Tom. 1. Part. 2., & Tom. 4., & in aliis antiquis, inter *Guidonem* & *Thedaldum* omittitur qua triennii intervallum, *Gothofredi* scilicet Schismatici, & *Athonis* legitime electi, sed qui nunquam Sedem obtinuit. (14) Op. cit. pag. 115.
(15) Ibid. §. 48. & 98. (16) Vide huj. Op. pag. 549. (17) Vide Papebroch. Exeg. cit. §. 2. & 48. (18) Murat. ibid. in Præf. p. 201. & Giul. T. 1. p. 428. T. 3. p. 155. 167.
(19) MS. in Bibl. Ambr. C. 133. cit. Part. Inf. & in *Rer. It. Scr.* T. 1. P. 2. p. 203. & seqq.

Mediolanensium Antistitum Vitis ab Anatalone usque ad Monam) Castritianum (20) tumulatum fuisse *in Cœmeterio, quod dicitur Romano*. Hoc probat Julinius idem fuisse, ac *Cœmeterium Peregrinorum*; quo in loco profecto non nisi aliquot sæculis post Castritiani obitum erecta fuit Ecclesia *S. Joannis ad Concam*. Secundo appellatio ad *Rotam* S. Stephani Basilicæ (21) attributa; quod porro vocabulum Medio dumtaxat Ævo (22) obtinuit. Quin etiam, non ante Arnulphi II. Archiepiscopi ætatem addita fuisse sepulturæ loca certo statuimus ex *Monæ* sepulcro *ad S. Vitalem*. Perspicue enim liquet, hujus Sancti Reliquias, nemini antea cognitas, revelatas fuisse dumtaxat ejusdem Antistitis Arnulphi ætate, ab eoque vel ab suo successore (*) Heriberto in *S. Vitalis* Ecclesiam fuisse translatas. Sic supra memoratus Anonymus (23) de' Sancto Mona *Tollunt patroni sui funus recens, & illud Prædecessorum ejus tumulis adjungunt. Qui locus usque nunc mortalibus manet incognitus*. Sic autem Arnulphus Historicus noster: *Illius* (scilicet Arnulphi Archiepiscopi) *tempore Sancti Confessoris Monæ revelatæ sunt reliquiæ*. Porro ei, qui sepulcri locum adnotavit, notus jam erat *Monæ* sepulturæ locus: addere ergo non potuisset (24) ante Archiepiscopi *Arnulphi* ætatem. Neque mihi quis pro certo asserat, tanquam ex ejusdem Historici auctoritate, primum Monæ tumulum fuisse ad *S. Vitalem*; quum illico post relata verba sic subjiciatur (*in Ecclesia S. Vitalis, juxta S. Naborem*). Revera enim hoc additamentum est, ab aliquo interpolatore intrusum, quod in geminis (25) Ambrosianæ Bibliothecæ mss. exemplaribus omnino desideratur.

VI. Sed valde hallucinatus est Papebrochius, qui ex *Calimerii* sepulturæ silentio (26) conjecit, adnotata fuisse sepulcri loca antequam *invento* ejus *Corpore Ecclesia S. Calimerii conderetur*. Quomodo enim Viro Cl. id suspicari licuit, quum hæc Ecclesia jamdudum erecta fuisset, antequam vetustate fatiscentem Laurentius I. restauraret? Velim animadvertisset Scriptor Clarissimus, eum, qui sepulturæ loca addidit, siluisse omnino de sepulcro nedum *Calimerii*, verum etiam *Eustorgii*, *Dionysii*, ac præsertim *Ambrosii*, cujus Tumulus certe a nemine ignorari poterat, ac demum *Simpliciani*; nulla, ut videtur, alia de causa, nisi quod hi singuli in cognomine Basilica quiescerent, ideoque satis omnibus notum deberet esse eorum sepulcrum. Omisit forte sepulturam *Anatalonis*, utpote qui in loco apud Brixiam tum nemini cognito (27) depositus fuerat.

VII. Neque hic vacat singillatim expendere Muratorii argumenta, quibus ipse *Catalogum* ab se editum (28) *ex pervetusto*, ut ait, *Codice Ms. Bibliothecæ Metropolitanæ Capituli Mediolanensis, scilicet ex eo ipso, qui Beroldi* (floruit is anno 1130. circiter) *libros universos complectitur*, nimis fortasse libera voce pronunciavit, *pluris se facere*, quàm Ambrosianum nostrum, & hunc suo, tan-

---

(20) Ibid. p. 213. col. 2. B. (21) In *Catal.* cit. ubi de *Auxano* V. sup. p. 632. n. (167). (22) V. huj. Op. p. 362. n. (*). (*) Non diffitemur, quod auctor *Catalogi* cit. H. 56., nec non Papebrochius in cit. *Exegesi* §. 7., Joannes De Deis, sive Auctor Operis: *Successores S. Barnabæ* §. VI., Carolus a Basil. Petri, in *Brevi Hist. Prov. Medìol.* §. VI. p. 37., Saxius demum in huj. Sancti Vita p. 34., revelationem hanc & translationem ad *S. Vitalis* Ecclesiam ad Heriberti, Arnulphi successoris, ætatem differunt. Verum utramque sententiam facili negotio conciliare possumus, si dicamus *Monæ* reliquias utique *Arnulphi* Præsulis tempore in *Prædecessorum tumulis*, seu Polyandrio Caji, repertas, sed loci veneratione servata non aliò exportatas fuisse, donec Heribertus honestiore loco recondidit, in Ecclesia scilicet *S. Vitalis*. (23) Op. cit. p. 219. col. 1. C. (24) V. & Giul. T. 3. cit. p. 140. (25) D. 157. Part. Inf. & N. 128. Part. Sup. (26) *Exeg.* cit. §. 6. (27) Vide huj. Op. p. 194. & n. (43) ibid. (28) *Rer. It. Scr.* Tom. 1. Part. 2. cit. p. 228.

quam *ex antiquiori Codice*, ut opinatur, *deprompto*, *antiquitate concedere*. At, quæso, undenam id asserit Vir eruditissimus? Quem profert vetustiorem Codicem, unde haustus fuerit *Catalogus Metropolitanus* suus? Siquid conjecturis assequi licet; Apographum quò propius ad Autographi ætatem, imo ejusdem ætatis indolem, stilum, atque ortographiam accedit, eò *antiquiore* ex Codice & fortasse ex Autographo ipso desumptum, & majori fide dignum, censendum est. Uter vero *Catalogus* magis genuinus, sincerus, ac simplex? Num *Metropolitanus* Beroldi opera (29) & continenti stilo elaboratus; qui marte suo *Suffraganeos* (30) *Episcopos*, de *Barnabæ Adventu* narrationem, *Sancti* titulum (31) prioribus Episcopis apposuit; qui sepulturæ loca (32) in *Ambrosiano* omissa inseruit; qui, ubi de *Caji* sepulcro, recentius Ecclesiæ nomen vetustiori (33) substituit; qui *Frontonis* fabellam intrusit; alia denique nonnulla passim e penu suo (34) contexuit, quæ in nostro desiderantur? An verius *Ambrosianus* noster, qui propositæ in Autographo brevitatis limites ne minimum quidem excedit, qui eadem utitur stili varietate in quibusque particulis, prout varie ac diversimode a synchronis singularum auctoribus (35) conscriptæ sunt, qui aureæ demum Antiquitatis simplicitatem ubique præ se fert? Quod vero ad utriusque Apographi, *Ambrosiani*, ac *Metropolitani*, ætatem spectat; id palmare est *Ambrosiano* nostro, ipsum ante *Thedaldi* Sedis initium, uti jam expendimus, ante annum nempe MLXXV., fuisse ex antiquioribus schedis elucubratum, & uno eodemque charactere conscriptum; quum ex adverso constet, *Metropolitanum* e Beroldi farragine ab ipso hinc inde corrogata, & usque ad annum MCXXXVI., *Anselmi* V. Archiepiscopi supremum, producta, iterum exscriptum fuisse (36) a Presbytero Joanne Bossa anno MCCLXIX., qui *Catalogum* a *Robaldo*, Anselmi V. successore, usque ad *Leonis de Perego* obitum est prosequutus.

(29) Vide Puricell. *Nazar.* Cap. 97. §. 8. p. 466. C. (30) De hujus *Suffraganeorum Episc.* nomenclaturæ ætate, inter annum scil. 1013. & 1093., consule Frisium Op. cit. T. 3. p. 230. nota (42). (31) Hic Sancti nomine exornantur veteres Antistites, quos hodie colimus, præter *Theodorum I.*, *Laurentium I.*, & *Thomam*, quorum memoria peculiariter colitur in Æde Laurentiana, item *Eustorgium II.*, *Honoratum*, *Mansuetum*, *Benedictum*, & *Natalem*. Vide huj. Op. pag 536. n. (*). (32) Scilicet *Anatalonis*, *Calimerii*, *Eustorgii I.*, *Dionysii*, *Ambrosii*, *Simpliciani*. (33) Ex: gr: in *Ambros.* nostro: *Gagius* &c. *ad Concilia sciorum*; in *Metrop.* vero: *Gayus* &c *ad S. Naborem*. (34) Vide præfert. ubi de *Honorato*, *Arderico*, & *Heriberto*. (35) Ex: gr: in *Catal. Ambros.* *Constantius* & subseqq. usq. ad *Anspertum* vocantur *Episcopi*. Desinunt hoc titulo insigniri ab Ansperti successore *Anselmo* usque ad *Guidonem*. *Thedaldus* vero, qui Guidoni in hoc *Catologo* immediate succedit, incipit appellari *Archiepiscopus* cum seqq. usque ad *Olricum*, post quem desinunt hoc titulo nuncupari. (36) Puricell. *Nazar.* cit. Cap. cit. §. 6. pag. 464.



SYNO-

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM

A SIMPLICIANO USQUE AD THEODORUM II.

JUXTA NOVAS ANIMADVERSIONES CASTIGATA.

ACCEDIT TABULA

ROMANORUM PONTIFICUM
ROMANORUM IMPERATORUM

ET

BARBARORUM IN ITALIA REGUM

QUOS HÆC HISTORIA *COMPLECTITUR.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM.

NOMINA	ELECTUS seu CONSECRATUS	SEDIT	OBIIT seu DEPOS. EST	TUMULATUS seu TRANSLATUS Ut in *Catal.* cit.
Epocha I. Sub Romm. Impp. ab Anno 397. ad 476.	An. menſe die	A. m. d.	A. m. d.	
S. SIMPLICIANUS	397 — —	3 4 circiter	400 Aug. 15	In Baſil. S. Simpliciani.
S. VENERIUS . .	400 Aug. —	8 incomplet.	408 Maji 4	*Ad S. Nazarium.*
S. MAROLUS . . .	408 Maii —	15 incomplet.	423 Apr. 23	*Ad S. Petrum ad S. Nazarium.*
S. MARTINIANUS	423 — —	13 incomplet.	435 Dec. 29	*Ad S. Stephanum.*
S. GLYCERIUS . .	436 Jan. —	3 incomplet.	438 Sept. 15 *vel* 20	*Ad S. Nazarium.*
S. LAZARUS . . .	438 — —	11 incomplet.	449 Mart. 14	*Ad S. Nazarium.*
S. EUSEBIUS . . .	449 — — *Synodus Mediol.* An. 450.	14 incomplet.	462 Aug. 29	*Ad S. Laurentium.*
Attila Hunnorum Rex Mediolanum evertit anno 452.				
S. GERUNTIUS . .	462 — —	3 incomplet.	465 Maii 5	*Ad S. Simplicianum.*
S. BENIGNUS . . .	465 — —	8 incomplet.	472 Nov. 22	*Ad S. Simplicianum.*
S. SENATOR . . .	472 — —	3 incomplet.	475 Maji 28 *vel* 29 *Vacavit Sedes m.* 1. *d.* 13 *circiter.*	*Ad S. Euphimiam.*
S. THEODORUS I.	475 confecrat. die Domin. Julii 13	14 8 17	490 Mart. 28	*Ad S. Hippolytum* in Æde Laurentiana.
Odoacar Rex Herulorum &c. tyrannidem in Italia exercet ab Anno 476. ad 493.				
S. LAURENTIUS I.	490 Apr. circ.	22 3 circiter	512 Jul. 25	*Ad S. Caſſianum* in Æde Laurentiana.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA
ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM.

NOMINA	ELECTUS seu CONSECRATUS	SEDIT	OBIIT, seu DEPOS. EST	TUMULATUS seu TRANSLATUS Ut in Catal. cit.
Epocha II. sub Gothis Regibus ab Anno 493. ad 553.	An. menfe dic	A. m. d.	A. m. d.	
S. EUSTORGIUS II.	512 poft 25 Julii.	6 incomplet.	518 Jun. 6	*Ad S. Xyftum* in Æde Laurentiana.
S. MAGNUS	518 poft 6 Jun.	13 incomplet.	530 Nov. 1	*Ad S. Euftorgium.*
S. DATIUS	530 poft 1 Nov.	22 incomplet.	552 Feb. 8 circiter.	*Ad Sanctum Victorem* ad Corpus e Chalcedone translatus.
VITALIS	552 certe ante Jun.	4 circiter	555 exeunte.	*Ad Sanctum Vitalem*, Eccl. olim juxta Ædes S. Valeriæ, dirutam An. 1577.
Interregnum sub Narfetis in Italia Ducis regimine ab Ann. 553. ad 568.				
FRONTO Schifmaticus	555 exeunte, *vel* 556 ineunte.	11 circiter.	566 detrufus.	*In Genua ad Sanctum*
S. AUXANUS . . .	566 — —	2 incomplet.	567 Sept. 3 *Vacavit Sedes 4. menf. circiter.*	*Ad S. Stephanum ad R.* (i. e. *Rotam*).
Epocha III Sub Langobardis Regib. ab A. 568. ufq. ad 739. quo hæc Hiftoria definit.				
S. HONORATUS .	568 ineunte.	5 incomplet.	572 Nov. circ. *Vacavit Sedes m. 2. circiter.*	*Ad Nocetam*, ideft Genua translatus ad Ecclef. S. Georgii *ad Nocetam* prope Mediol., deinde Mediolanum ad S. Euftorgium.
LAURENTIUS II.	573 confecr. die Dominico Jan. 22	19 7 —	592 Aug. 21	*In Genua ad S. Syrum.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA
ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM.

Nomina	Electus seu Consecratus	Sedit	Obiit seu Depos. est	Tumulatus seu Translatus Ut in *Catal.* cit.
	An. mense die	A. m. d.	A. m. d.	
CONSTANTIUS .	593 Aug. 21	8 incomplet.	600 Sept. 3 *Vacavit Sedes an. 1. d. 13.*	*In Jenua in Domo* (i. e. Ecclef.) *S. Ambrosii.*
ADEODATUS . .	601 confecr. die Dominico Sept. 17	28 1 14	629. Oct. 30 *Vacavit Sedes m. 2. d. 27.*	*In Jenua ad S. Syrum.*
ASTERIUS	630 confecr. die Dominico Jan. 28	10 5 7	640 Jul. 4 *Vacavit Sedes m. 6. circiter.*	*In Jenua ad S. Syrum.*
FORTIS	621 ineunte circiter.	3 circiter.	643 circiter. *Vacavit Sedes ann. 6. circ.*	. . . .
S. JOANN. BONUS	649 Dec. circ.	10 1 circit.	660 Jan. 2	*Ad S. Michaelem in Domo*; deinde in Eccl. Metropolit.
S. ANTONINUS .	660 — —	2 incomplet.	661 Oct. 31	*Ad S. Simplicianum.*
S. MAURICILLUS .	661 poft Oct. *vel* 662 ineunte.	— 4 —	662 poft Feb. *Vacavit Sedes ann. 5. circ.*	In Bafilica S. Satyri in Urbe, ab Archiep. Anfperto condita ante Septemb. a. 789.
S. AMPELLIUS . .	667 Julii circ.	5 — —	672 Jul. 8	*Ad S. Simplicianum.*
S. MANSUETUS .	672 *Syn. Mediol.* An. 679. vel feq.	9 incomplet.	681 Febr. 19	*Ad S. Ambrof.*, deinde ad S. Stephanum.
S. BENEDICTUS .	681 poft 19 Febr.	44 — —	725 Mart. 11	*Ad S. Ambrosium.*
THEODORUS II.	725 poft 11. Mart.	14 — —	739 Maji 14	*In Monaft. Auronæ*, ubi ante ann. 1782. erat Afceterium Cappucinarum S. Barbaræ, in P. Nova.

TABULA
ROMANORUM PONTIFICUM.

Anno

385. Siricius elect. vel consecr. mense Jan. Ob. 398. 26. Nov.
398. Anastasius I. 5. Dec. Ob. 401. 14. Dec.
401. Innocentius I. 21. Decemb. vel 402. 27. April. Ob. 417. 12. Mart.
417. Sozimus 18. Mart. Ob. 418. 26. Decemb.
418. (Bonifacius 29. Dec. Ob. 422. 4. Sept.
(*Eulalius Archidiac. Pseudopontifex.*
422. Cælestinus 10. Sept. Ob. 432. 19. Julii.
431. *Concil. Ephes. Œcumen. III.* a die 22. Jun. ad 31. Jul.
432. Xystus III. 31. Julii Ob. 440. 10. Aug.
440. Leo Magnus 29. Sept. Ob. 461. 4. Nov.
451. *Concil. Chalced. Œcum. IV.* die 8. Octob.
461. Hilarus 12. Nov. Ob. 468. 21. Febr.
468. Simplicius, 25. Feb. Ob. 483. 2. Mart.
483. Felix III. 6. Mart. Ob. 492. 24. Febr.
492. Gelasius 1. Mart. Ob. 496. 19. Nov.
496. Anastasius II. 24. Novem. Ob. 498. 17. Novemb.
498. (Symmachus 22. Nov. Ob. 514. 19. Jul.
(*Cal. Laurentius Archipresb. Pseudopont.*
514. Hormisda 27. Jul. Ob. 523. 6. Aug.
523. Joannes I. 13. Aug. Ob. 526. 18. Maji.
526. Felix IV. 24. Jul. Ob 530. 18. Sept.
530. { Bonifacius II. 15. Octob. Ob. 532. 17. Octob.
Dioscorus Pseudopontifex.
533. Joannes II. 22. Jan. Ob. 535. 27. Maji.
535. Agapitus 3. Jun. Ob. 536. 22. Apr.
536. Silverius 8. Jun. Pataræ in Lycia exul 537. 17. Nov. Ob. ibid. 538. 2. Jun.
537. Vigilius 22. Novemb., licet intrusus, rite tamen sedit. Ob. 555. 10. Jan.
553. *Concil. CP. Œcum. V.* a die 4. Maji ad 2. Jun.
555. Pelagius I. m. Apr. Ob. 560. 3. Mart.
560. Joannes III. 18. Jul. Ob. 573. 13. Jul.
574. Benedictus I. 3. Jun. Ob 578. 30 Jul.
578. Pelagius II. 30. Nov. Ob. 590. 8. Febr.

Anno

590. Gregorius Magnus 3. Septemb. Ob. 604. 12. Mart.
604. Sabinianus, 13. Sept. Ob 606., 22. Febr.
607. Bonifacius III. 19. Febr. Ob. 10. Nov.
608. Bonifacius IV. 25. Aug. Ob. 615. 7 Maji
615. Deusdedit 19 Oct. Ob. 618. 8. Nov.
619. Bonifacius V. 23 Decemb. Ob. 625. 22. Octob.
625. Honorius I. 27. Oct. Ob. 638. 12. Oct.
640. Severinus 28. Maji. Ob. 1. Aug.
640. Joannes IV. 24. Decemb. Ob. 642. 11. Octob.
642. Theodorus 24. Nov. Ob. 649. 13. Maji.
649. Martinus 5. Jul. Ob. in captivitate 655. 16. Septemb.
654. Eugenius, adhuc vivente Martino, legitime consecr. 8. Sept. Ob. 657. 1. Jun.
657. Vitalianus 30. Jul. Ob. 672. 27. Jan.
672. Adeodatus 22. Apr. Ob 676. 26. Jun.
676. Donus, 2. Nov. Ob. 678. 11. Apr.
678. Agatho 27. Jun. Ob. 682. 10. Jan.
680. *Concil. CP. Œcum. VI.* a die 7. Novemb. ad 16. Sept. 681.
682. Leo II. 17. Aug. Ob. 683. 3. Jul.
684. Benedictus II. 26. Jun. Ob. 685. 7. Maji
685. Joannes V. 23. Jul. Ob. 686. 1. Aug.
686. { Conon 21. Octob. Ob 687. 11. Sept.
Petrus Archipresbiter, & Theodorus Presbyter, Pseudopontiff.
687. { Sergius I. 15. Decemb. *Ann.* 698. *penitus extinxit Schisma Aquilej. Trium Capitul.* Ob. 701. 7. Sept.
Theodorus Archipresbyt. & Paschalis Archidiac. Pseudopontiff.
701. Joannes VI. 28. Oct. Ob. 705. 9. Jan.
705. Joannes VII. 1. Mart. Ob. 717. 17. Oct.
708. Sisinnius, 18. Jan. Ob. 7. Febr.
708. Constantinus 25. Mart. Ob. 715. 8. Apr.
715. Gregorius II. 19. Maji Ob. 731. 11. Feb.
731. Gregorius III. 18. Mart. Ob. 741. 27. Novemb.

TABULA
ROMANORUM IMPERATORUM
ET
BARBARORUM IN ITALIA REGUM.

ROMANI IMPERATORES.

Anno

395 Honorius, Theodosii Magni filius, 17. Jan. Ob. 423. 15. Aug.

Tyranni, qui sub Honorio Augusto Imperium usurparunt.

407. *Cl. Constantinus* Occisus 411. m. Sept.
409. *Priscus Attalus*. In exilium pulsus 416.
411. *Jovinus*, mense circiter Aug. Occ. 413.
423. *Joannes*. Occ. 425. mense Julio.

421. Constantius, Honorii Collega 8. Feb. Ob. 2. Sept. ejusd. anni.

425. Valentinianus III. Constantii Imperat. filius. Occisus fuit 455. 26. Martii.

452. *Attila flagellum Dei, Hunnorum Rex in Liguriam irrumpit ac Mediolanum devastat. Ob.* 453.

455. Maximus (Petronius) 27. Mart. Occisus 455. 12. Jun.

455. Avitus, 10. Jul. Impulsu Ricimeris detruditur 6., *aut* 16. Octobr. 456. & Episcopus Placentinus creatur.

Anno

457. Majorianus, 1. Apr. A Ricimere detrusus 461. 2. Aug. Occ 7. Aug.

461. Severus III., a Ricimere electus 19. Novembr. Ob. 465. 15. Aug.

Interregnum usque ad April. 467.

467. Anthemius, 12. Apr. opera Ricimeris detrusus sub fin. Mart. & occ. 11. Julii 472.

472. Olybrius, a Ricimere declaratus sub fin. Martii. Ob. 23. Oct.

473. Glycerius, 5. Mart. Aug tit. usurpat. Ab Julio Nep. detrusus 474. Episc. Salonitanus creatur.

474. Julius Nepos, 24. Jun. Ab Oreste obsessus, in Dalmatiam fugit 475. 28. Augusti. Glycerii opera occisus 480. 9. Maji.

475. Romulus, *seu* Momylus, Augustulus, Orestis filius, ultimus Occid. Imp., 25. *aut* 31. Oct. Ab Odoacre Herulorum Rege detrusus 476. mense Sept.

BARBARI IN ITALIA REGES.

476. Odoacar Rex Herulorum Turcilingorum & Rugorum, se Regem Italiæ denuntiat 23. Augusti. Cum Theuderico Gothorum Rege de Regno abdicando paciscitur 493. 27. Febr. Paulo post ab eodem occiditur.

Regnum Gothicum.

493. I. Theudericus, primus Gothorum Rex in Italia 27. Febr. Ob. 526. 30. Aug.

526. II. Athalaricus, filius Amalasunthæ Theuderici Regis filiæ Ob. 534. 2. Oct.

534. III. Theodahadus, Amalafredæ Theuderici Regis Sororis filius, 3. Octob. Ob. 536. mense Aug.

536. IV. Witiges, mense Augusto. Captivus a Belisario Byzantium abductus 540. Ob. 542. *vel* 543.

540. V. Heldibadus *vel* Theodebaldus, a Gothis eligitur. Occisus fuit 541.

541. VI. Eraricus, natione Rugus, a Rugis eligitur. Post mens. 5. occiditur

541. VII. Totila *seu* Baduilla, filius Manduci, fratris Heldibadi, electus mense circ. Aug. Ob. 552. m. Junio.

552. VIII. Teias postremus, ante Totilæ obitum a Gothis eligitur. Ob. 553. 1. Octobr.

TABULA
BARBARORUM IN ITALIA REGUM.

INTERREGNUM.

Anno

553. *Narses Eunuchus, Patricius, natione Persa, Dux* vel *Praefectus Italiae, nomine Justiniani I. & Justini II. Augg. Orient. Ob. Romae anno* 567., *aetatis suae* 95.

REGNUM LANGOBARDICUM.

568. I. Alboinus, X. Langob. Rex extra Italiam, postridie Kal. April. seu postr. Paschatis Indict. I. ex Pannonia egreditur ad Italiae possessionem. Eádem Indict. Venetiae fines ingreditur. Indict. II. an. 569. Venetiae civitatibus potitur. Ind. III., scil. eodem anno & seq., Ligurium penetrat, Mediolano potitur, & exinde anno 570. Regni sui Italici epocham constituit. Ob. 573. 28. Junii.

573. II. Clepho, mense Aug. Occ. 575. Jan. *Interregnum annorum decem sub XXX Ducum tyrannide.*

584. III. Autharis, filius Clephonis Regis. Veneno interemptus 590. 5. Sept.

591. IV. Ago *seu* Agilulfus, Autharis consanguineus, Dux Taurinensis, mense Majo. Ob. 615.

615. V. Adaloaldus, Agilulfi & Theudelindae filius. An. 602. nascitur. An. 604. m. Julio Rex creatur in Circo Mediol. A. 615. Patri succedit sub tutela Matris A. 625. Regno privatur. A. 626. verno tempore veneno extinguitur.

625. VI. Arioaldus, Agilulfi ac Theudel. Gener ex Gundebergae eorum filiae nuptiis. Dumtaxat an. 626 in Regno confirmatur a Langob. Ob. 636.

636. VII. Rotharis, Dux Brixiae, regnat post Viduae Gundebergae nuptias. Ob. 652.

652. VIII. Rodoaldus, filius Rotharis. Sedit menses sex. Occis. 653.

653. IX. Aripertus I., natione Bajoarius, Gundoaldi, Theudelindae Reginae fratris, filius. Ob. 661.

661. X. Bertaridus & Godebertus, Ariperti I. filii, Regno ex Testamento Patris diviso, ille Mediolani, hic Ticini sedet. Godebertus a Grimoaldo Beneventi Duce interficitur; Bertaridus apud Avares fugit, relicta Mediolani uxore Rodelinda, & Cuniberto filio.

662. XI. Grimoaldus, Dux Benev., Regnum usurpat. Deinde Rex a Langob. salutatur. Vena disrupta moritur 671.

671. Bertaridus post Grimoaldi obitum in Thronum restituitur. Ob. 687. ante diem 10. Novemb.

687. XII. Cunibertus, Bertaridi filius, jam ab an. 677. cum Patre collega. An. 698. *Schisma Aquil. cum Sergio I. Papa penitus extinxit*. Obiit Ticini an. 700.

700. XIII. Liutbertus, Cuniberti filius & haeres, sub Ansprandi Bajoarici tutela. Post mens. 8. Regno spoliatur a Ragimberto, Godeberti Regis filio, an. 701. In balneo occiditur jussu Ariperti II. an. 702.

701. XIV. Ragimbertus, Dux Taurinensis, Regnum Liutberto consobrino usurpat. Eodem anno moritur.

701. XV. Aripertus II., Ragimberti Regis filius, Regno per vim potitur. Ticino mersus interiit an. 712.

712. XVI. Ansprandus, natione seu origine Bajoarius. Sedit menses tres. Ob. 10. *vel* 11. Junii ejusd. anni.

712. XVII. Liutprandus, Ansprandi Regis filius, mense Junio. Ob. 744. mense circiter Januario.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM.

A

A

A

A

A

C

C

C

D

D

D

E

E

E

F

F

G

G

H

H

I

L

L

L

M

M

M

M

Mediolanensis Ecclesiæ Metropolitica dignitas.

M

N

P

Q

R

Ejus

S

S

T

T

T

T

V

ADDENDA, VEL CORRIGENDA.

Verbo Agatho *lin.* 2. corrige *Pogonati* — Alani *l.* 3. *adde*: Vide *Saulus* — Aquilejæ *l.* 1. *adde*: Quare *inter claras Urbes* Ausonius recensuerit *p.* 32. seq. — Ibid. *l.* 11. *adde*: Severus Aquilejensis vocatur *Episcopus* a Greg. II. *p.* 483. — Belisarius *l. ult.* *adde*: Eum Justinianus ad se revocare meditatur, novo Persico bello præficiendum. Pacis conditionibus Witigi ab Aug. oblatis subscribere recusat. Witigem capit. Regnum Gothicum sibi oblatum splendide recusat. Witigem ad Justinianum adducit. Adversus Chosroen cum exercitu contendit *p.* 319. seq. — Chosroes *adde*: Vide *Belisarius*. *Witiges* - D. P. *p.* 688. corr. *p.* 687. — Genuensis Eccl., *adde*: Vide *Paschasius* - S. Georgii *adde*: S. Georgii Nocetæ. Vide *Nocetæ*. *s.* *Honoratus*, & *p.* 708. *col.* 5. — Gradensis *l.* 2. *adde*: Item a Sereno. Vide *Serenus* — Grimoaldus *l.* 3. *adde*: Slavos montis Gargani prædæ inhiantes opprimit *p.* 567. — Gundeberga *l.* 2. *adde*: Apud Arioaldum proditionis insimulatur: regio decore spoliatur: in pristinum restituitur *p.* 507. — Ildibadus *l.* 2. sic: eligitur & occiditur &c. — Justinianus *l.* 3. *adde*: Belisarium ad se revocare meditatur &c. Vide *Belisarius*. *Witiges*. — Ricimer *l. ult.* *adde*: Moritur p. 131. — Roma, *l.* 11. *adde*: Vide *Ethnica superstitio*.